Compactori Monitum.

Possetálicui major hujus libelli videri moles, quàm quæ manibus commodègeri queat: Qui ideò illum duobus voluminibus cuperet divisum; Huic ut inserviretTypographus pagellam hanc titularem addidit, cô casû Centuriæ XI. vel XIII. præponendam.

Bericht an den Buchbinder.

Dafern diesesBuch in zwey Bänden verlangetwird/ könte solches bey der XI. oder XIII. Centuria abgetheilet/ und der Titul Pars Secunda vorgesetzet werden.

SYLLOGES MEMORABILIUM MEDICINÆ ET MIRABILIUM NATURÆ ARCANORUM CENTURIÆ XX.

Studio & Labore

JOANNIS RUDOLPHI CAMERARII, Phil. & Medic. Doctoris, in Imperiali Reitlinga Medici Ordinarii.

Editio altera, emendata, & quatuor Centuriis postumis aucta.

Ioann. Audoën. l. 3. Epigramm. 75.
In Antiquarios & Novatores.

Stulta hæc invidia est, cui cuncta recentia sordent;
Invida stultitia est, cui nova sola placent.

TUBINGÆ,
Sumptibus
JOH. GEORG. COTTÆ, Bibliopol.
Typis MARTINI ROMMEII,
Anno M DC LXXXIII.



Jul. Cæsar Scaliger, Exoter. Exercit. de subtilit. 160. sect. 3.

Suam cuiq; laudem, laborum præmium & relinquimus libenter & concedimus cumulatè, & deferimus liberaliter. Non ut quidam ignavi & ingrati facere audent, ut alienis laboribus titulos imponant suos. Tùm gratiam, quam debent dißimulant superciliosi, aut ejus abolent memoriam maleficiis, nè sui nominis authoribus quippiam debuisse videantur. Isti homines conscientiam pro accusatore, pro judice habituri sunt posteritatem.





LECTORI AMICO SALUTEM.

I. P. A. W. M.



Ector benevole & amice, pauxillum te in frontiſpicio ut remorer, æquâ mente patere. Qui Medicum, Naturæ ſpectatorem, miniſtrum & aliquando primarium Opificem, primus dixit, haud ineptè certè dixit. Spectator ſanè & ſpeculator eſt eorum omnium, quæ in Macrocoſmo & Microcoſmo. Speculatur Aſtra, miratur horum lumina, magnitudinem & altitudinē, anxiè obſervat curſus & periodos, inveſtigat vim & energiam. Cui fini? Hominum ut miniſtret Naturæ. Futurarum quippe aëris mutationum, quibus obnoxii ſumus, prænuncius & augur, unde quilibet ſani corporis tutelam, ægri remedium hauriat, jam pridem præmonet. Ex Macrocoſmi & Microcoſmi cœleſti planè harmoniâ Geneſes eruit & extruit. Cui uſui? Hominum naturæ ut miniſtret. Hinc enim inclinatio in morbos, eorumque pro præſenti habitu

& statu exitus, cui si ex proximis causis calculus, quid facto vel omisso sit opus, evidentius habetur. Idem Lunæ motus accuratâ indagine notat. Quâ mente? Naturæ ut ministret. Etenim Lunâ silente, silet, naturam Pharmacis non fatigat: Quibus illa blandâ facie arridet, maturè solatur; ad humorum incrementum vel decrementum prudenter phalanges medicas armat, instruit, adornat. Per aërem è cœlo mente delapsus, quæ sensui magis obvia pervestigat, quid Auster, quid Boreas, quid aëris pestilens miasma moliatur, ut Naturæ ministret, studiosè inquirit, mala præcavet, impedit, avertit. Marinos Euripos, exundationes, flumina, stagna, lacus, rivulos omnes, ceu Delius quidam, pernatat, lutosam illuviem, naturæ ne obsit, Pharmacis exhaurit; è cancris, piscibus, conchiliis, & horum fœtibus, Myrothecium, pro abigendis Naturæ hostibus, exornat. Nec ipsis terræ visceribus parcit, in penitissima horum sese abscondit, ut, quid inde naturæ sit ex usu, in apricum proferat. Gemmarum, auri, calchanthi, succini, & aliorum vim intus scintillantem elicit, & hisce veluti Promethei ignibus, favillas nativi caloris, vix ab attritu micantes, luculenter in omnem humani morbi stipulam inflammat. Pari ardore terræ superficiem perreptat, montium cacumina scandit, omnes

mun-

mundi angulos excutit,&quicquid è polydædala ſtirpiũ aut animaliũ varietate poteſt,id omne in uſum naturæ humanæ, ſummo animi & virium conamine confert & impendit, Ipſi denique Microcoſmo, quid in eo perſcrutando, ſecundum, quid præter, vel, ſi vis etiam, quid contra naturam, inſit, quantus, quantus totus immerſus eſt, nativus & non agyrta Medicus.

Hiſce proinde tàm arduis ſtudiis (nec enim, ut ephemeron, unâ nocte aut die naſcuntur aut creantur veri Medici) quà contemplando, quà praxin exercendo, velùti ſacramento addicti, haud exiguum operæ precium facere mihi videntur, qui præter auguſta venerandæ antiquitatis monumenta, etiam recentiorum probatæ monetæ Autorum ſcriptis inſident,& ex his, veluti apes ex variis floſculis, non minus utilem, quàm palato exceptum extruendi mellificii ſuccum prolectant.

Plurima veterum ſunt nobis incognita, linum ἄσβεστον, Mauſolæum, Solis Coloſſus & ſexcenta alia; nec minora numero & opere patrum noſtrorum & noſtra vidit ætas, Typos, Bombardas, Cylindrum Opticum,& multa talia, veteribus ne per ſomnium quidem notata. Idem in foro Medico eſt. Multa ſubinde in ſtirpibus & aliis, quæ uſui Medico famulantur, notantur effecta; plurimæ antiquis incognitæ, ex omnis generis

terræ naſcentibus eruuntur & uſu probantur vires, quæ veteres in admirationem rapiant. Hujusmodi obſervationum, ex aſſiduâ Auctorum lectione cento & faſciculus hic eſt; quem ſi exiguum habere cenſes ex laboris tenuitate, non faſtidies fortaſſis Auctorum, qui exquiſitâ & perpolitâ ſuâ hiſce floſculis ornare non dubitarunt, gravitate, vel aliorum exemplo. Nam quod Mizaldo, Schenckio, & aliis in hoc genere, haud citra gratiam licuit, cur aliis minùs licitum ſit, non intelligo. Niſi fortè plus licitum cenſeas illis, qui quod temporis nacti ſunt à præciſis horarum per ſtudia ſegmentis, id omne in aniles fabulas, lites inutiles, quandoque item ſatis futiles, in aleam, chartas, choreas, ſcyphos & cum his ſcurriles diaboliſmos impendunt, abliguriunt, conſumunt; quàm qui, ex conceptâ diurnâ nocturnâque laborum & ſudorum in praxi nauſeâ, operæ quippiam, velut obſonii & oblectamenti nomine, in colligendis hujusmodi, tàm amœnè fragrantibus floſculis elocant, firmant, evulgant.

Fallor? an audio te ridentem & dicentem?
—— pueri puerilia tractant;

ajo viciſſim: aut puer, aut puero ſimilis, quiſquis es, vetus illud: nihil parvum, nihil contemne; haud noſti? Tu, quem Imperatoriâ

Maje-

Majestate Imperatorum nullus hactenus assecutus est, Salomonem, quòd à Cedro ad hysopi usque (at quàm vilis plantulæ!) naturam, divinæ sapientiæ radiis investigandam penetrârit, puerum dixeris? En! Mithridates, Ponti & Bithyniæ Rex, inter suæ compositionis, quam ex nomine celebramus efficacissimam, pretiosa & arcana, Fœniculum, Petroselinum; Rosas, quæ nobis ex vulgi familiâ sunt, haud quaquam susque deque habuit. Nec Dioscorides, Mathiolus, Tabernæmontanus, Bauhinus, & quicunque sunt in hoc genere posteriores, vel abjectissimum graminis germen calamo prætereundum sibi censuerunt. At quo fine? haud pueriliter, opinor, arbitrati omnes: multas esse plantas, quæ dum pedibus conculcantur, nî contemtui fuissent, mortem ab homine avertisse poterant. Jam, quid Homeri est Batrachomiomachia? quid Roterodami Stultitia? quid Virgilii Culex? Entis Morosophia? Pirckaimeri Podagra? num pueritia? Scilicet: pueritia est, à puero sapientum scriptis, dictis & factis non assuesse. Atque adeo, ut nihil hîc cibi sit, animi certè condimentum est plurimum. Flore Tunicæ, Rosis, violis, qui seorsim delectatur, ex fasciculo fragrantium omnis generis flosculorum, etiam neglectim, sine aureo, vel sericeo adornamento, coactorum, nauseam

vix concipit. Sunt, qui non nisi Elephantes ob molem admirentur; at Plinio, vel musca majori admirationi est, cujus anatomen ne peritissimus quidem Anatomicus tentare ausit, ut exquisita motûs, gustatûs & alia, quibus insectum hoc ingerit, digerit, egerit, instrumenta, mente saltem concipiat, taceo, ut ea oculis cernenda vel manibus palpanda subjiciat. At verò nec merum hîc opus est, sine operæ precio.

Te intuere, mi Homo, & Delphicum illud, γνῶθι σεαυτὸν, quà vitam, quà structuram contemplare, unico ictu oculi cernes Paulinum hoc: Invisibilia Dei, creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus potentia & divinitas; ipsissimâ veritate esse verius. Id hâc in Sylloge habes. Evolve modò, perpende, scrutare. Homo es? annon ipsius Dei imago, & velut terrestris Deus es? Dei profectò plasma es, tùm corporis opificio, plusquam admirando, in basi & columnis, in formâ nec pictâ, nec fictâ: tùm Anima, Deo & angelis proxima, nomine, origine, viribus, & quæ huc pertinent, aliis. Homo es? Annon totus μικρόκοσμος es, punctum centrale omniũ inferiorum, & Idæa superiorum? fulgent in teipso Stellarum fixarum & vagarum lampades, Lunæ, Solis ignes, radii,

Ad Rom. c. 1. v. 20.

radii, motus, ortus, occasus, & polydædalæ impressiones. In te, velut centro, Mineralia, Metallica, Vegetabilia & Animalia sunt omnia. Habes in te uno Angelicæ, cœlestis & sublunaris naturæ harmoniam auream. Quas non dico Stellas, Planetas? quæ Elementa? quæ Meteora? quos ignes? quos ventorum turbines? quos imbres? quæ maria? quos terræmotus? & quæ non totius Physices principia? Atque hæc in te omnia. Extra te, solas intuere stirpes & Creatoris tui omnipotentiam, sapientiam, providentiam & Majestatem infinitam, in hoc solo Naturæ speculo videbis exactissimam, splendidissimam. Et erit, ut omnium dicas:

præsentemq; Deum qualibet herba refert;

aspice obsecro, illam Rosam, albam, rubram, purpuream, Damascenam, Prænestinam; illam violam, puniceam, planam, plenam, luteam, tricolorem S. S. Trinitatis indicem; illam Anemonen flore violaceo, coccineo, sanguineo, suaverubente, polyphyllo coccineo, medioluteo, medio-purpurascente. Hanc Tulipam albam, luteam, purpuream, coccineam, flammeam, Persicam, Cretensem, Bononiensem: hunc Hyacinthum stellatum Aquitanicum cœruleum, stellatum Hispanicum album, Orientalem latifolium cæruleum, purpurascentem,

ex pallido purpureum, pleno vel gemino flore ſubvireſcentem; hanc Coronam Imperialem; hanc Fritillariam purpuream, albam, luteam, rubris punctis maculoſam.

Et quid te moror amplius? vel millies millenas plantarum habes ſpecies, colores, odores, ſapores; quibus color ocellus eſt; odor aura cœleſtis; melleus ſapor; vires divinæ, admirandæ; majeſtas tanta, quanta ne Salomonis unquam fuit. Neque veſtitum ſaltem & externum ſplendorem hîc ſpectandum habebis, invenies internam plantarum formam, in earundem cineribus & ſalibus redivivam, ſtupendum planè reſurrectionis noſtræ myſterium. Dixeris autem hoc omne abſque numine? aut negaris cum Atheis, Divinæ præſentiæ atque omnipotentiæ plena eſſe omnia? procul igitur eſto execranda Moroſophiſtarum de corde hominis feneſtrato, de nuditate, de Atomorum fortuitâ compage, in Deum & Naturam injuria.

Et hæc Schola Theologica eſt. De Medicâ, cui tota primitus hæc Sylloge dicata eſt, quid multis? Audin' rem, & ipſam de ſe loquentem? Medicinæ Autorem cum Syracide agnoſcis hîc, Jehovam illum Altiſſimū, omnium dierum Antiquiſſimum; cultores ipſum JESUM Salvatorem, Angelos, Sanctos, Imperatores, Reges, Ma-

Magnates, propriis nominibus insignitos: Incunabula, sagacitatem Animalium nativam, quâ Capræ Cretenses ope Dictamni sagittas excutiunt; Serpentes ex fœniculo visum acuunt; eundem pullis Chelidonia restituit; Lacerta usu Galegæ ictus viperæ lethales eludit, Ibis rostro, ceu clystere alvum eluit; Hippopotamus sibi ipsi venam secat & sanguinem exhaurit. Cui verò illa usui? Salutem quò præsentem tuearis, amissam ut recuperes. Ita Scordium, Plantago, Caphura pesti; Tabacum, Lapis Bufonius, Sales viperini venenis; Elephantiasi vipera; Epilepsiæ Pœonia, Ruta; Thoracis Apostemati Scabiosa; Dispaææ Aselli, & alia aliis peculiari Naturæ vi consecrata sunt. Est & à foris, quod Medicina sit usui; præter honores nempe, nomen & amores, ipsa præmia. Julius Cæsar Medicos civitate Romanâ; Darius Damociden mensâ Regiâ; Hippocratem Herculis honorib. Græcia, dignos censuerunt. Erasistratus sexaginta millia aureorum à Ptolomæo nactus est. Thaddæus Florentinus cum peregrè proficisceretur, aureos quotidie quinquaginta accipiebat. Stertinius quingentis sestertiis annuis contentus esse, citra exprobrationem vix potuit, cùm ex urbis quæstu plus acciperet. Ludovicus XI. Galliarum Rex, quot aureos menstruos Medico derit

[illegible], de mod. stud. Med, c. 1.

derit, Cominæus ostendit. Verùm hæc tanti non sunt, quin illud prævalere debeat: Salus ægroti suprema lex esto. Sed tamen, quo locò antiquitus Medicina fuerit, in confesso est. Audi Sapientem: nihil tam preciosum, quo permutari possit Animus eruditus. Proinde, vis Medicus dici? ornes te pietate, doctrinâ, morum elegantiâ, industriâ. Memineris officii, ut ex methodo citò, tutò, jucundè cures; ut sis naturæ spectator industrius, & Simia ejus, felix imitator, quandoque item primarius opifex. Nec est, quod à vulgi opinione pendeas. Qui Medicis tritum illud: Medicè vivere, est pessimè vivere, oggenniunt, vel in ipso aditu discent: Medicè vivere esse optimè vivere, medicè, hoc est, modicè ad mediocritatis normam. Medicus quippe inter naturam labantem & morbum triumphantem quasi medius, ad medium in victu, mediocritatem scilicet morbo & naturæ convenientem; ad medium in morbis, concinnam scilicet ex lege naturæ partium omnium & humorum συμμετρίαν, corpus nostrum ducit, trahit, impellit. Empiricos qui mirantur, perspectis veri Medici attributis, illos admirari & amplecti forte desinent. Desinant verò & facessant isti ipsi Empeirici, Medicastri, Mulo- & Pseudomedici, medicantium Catharmata, Nebulonum portenta, Sutorii ab uno calopodio. Libellistæ,

ſtæ, Aſinarii, Impoſtores torquati, Theriacales, Monetarii omnes, nefario auſu hominem, Imaginem Dei, corrumpentes. Deſinant, inquam, & faceſſant ad Garamantes & Indos. Quos autem Titan è meliore luto finxit naturæ indagatores induſtrios, invenient hîc, in quo acumen ingenii exerceant; quoad viſum, in modo videndi, in uſu perſpicilliorum & opticorum inſtrumentorum, in coloribus lipothymicorum; in ſcintillis felium, Leonum, Leopardorum; quoad Auditum, in modo audiendi Surdaſtrorum oris beneficio, in ſonis harmonicis muſices, ſcuticarum item, campanarum tonitrui; quoad Aerem, quâ vi ſuffocet confertus, quâ penetret ipſos lateres & ſudores moveat: unde per Auſtrum καρυβάρειαν accerſat, per Aquilonem glaciem fabricet, fatuos ignes concipiat, calorem per antiperiſtaſin concitet: quoad Metallica, in modo generationis metallorum, in auro ardente, in factitio, in Spiritus Vitrioli & olei tartari antipathia, in olei Vitrioli parandi modo, vi & uſu & ſimilibus, quorum excutiendorum campum hic nanciſceturPhyſicus ampliſſimum, jucundiſſimum, amæniſſimum & plus quàm Elyſium.

Nec minus Politicos hic, quàm appoſitè interdum ex unius ſtirpis proprietate, in legationibus obeundis, res maximi momenti expedian-

tur,

tur, ad quas vel ipsum orationis flumen vix sufficerit, Basilica herbula commonefaciet.

Duces belli, haud infrequenter herbarum ope, cùm armorum vi non licuisset, maximas Victorias fuisse consecutos, ut non temerè mireris, Mandragora, Solanum hypnoticum & helleborus hic depicta, facient. Ficus omnem dulcedinem à stipite, tanquam parente trahunt, qui ob id expers dulcedinis est: sed iidem utero maximè utiles, luculento naturæ documento liberos admonent, dulcedinem bonorum à stipite haustorum, ex lege τῦ ἀντιπελαργεῖν, In matricem genuinam esse transfundendam. Succinum, & Magnes, confusis ferri & palearum invicem segminibus, dum id, quod ex lege Naturæ proprium est attrahunt, propriis contentos, ab alienis nos abstinere jubent.

Parasitorum os impudens, ut obstruendum sit, joco lepidissimo Solanum te majus admonebit. Sed quorsum hæc ita seriatim: nihil hîc, quod non volupe, quod non ex usu sit, sive ad vitam, sive ad mores. Sed & Silex hîc est, attritu animi candidi scintillam, quæ oblectet, quæ prosit, elicies. Carbones & Crabrones atros, mecum ut spero, nil moraberis. Vive, vale, fave, Lector benevole, animitùs precor.

ME-

METRA IN PRIORI EDITIONE SPARSIM CENTURIIS ADDITA.

Viro Clarissimo, Filio Carissimo,

DN. D. JOHANNI RUDOLPHO CAMERARIO, Reipubl. Reitlingensis Medico Ordinario.

Ad Centur. 4. prior.

UTile cum dulci; factis vox consona, recti
Conscia mens, punctum temporis omne ferunt.
Hîc rectum dulci sociatur & utile; verùm
Acta probant variis conglomerata modis.
Ergò Theonino rodat cur digna laboris
Præmia dante, nihil livor habebit iners.

Ad Centur. 5.

MActe istâ virtute, Vir Inclute, sic Tua sistet
Te bona Fama solo, Te pia Fama polo.

Ad Centur. 11.

QVem CAMERARIADVM dicam te? FILIVS an sis
Magnus ALEXANDRI? num PATER Ipse? latet.

At

At neque Tu latuisse potes, Pater ipse nec; ausim
Dicere: in aequali est Natus & ipse Pater.
Hic pius aeternâ reserarat laude coruscam
Phoebea Praxi nocte dieq; domum;
Tu calamo reseras arcana Sacraria. Quid ni
Aequâ lance sies Natus & Ipse Pater.
O CAMERARIADUM Decus! O verè aurea clavis
Qua sic ad Medicas atria pandit opes.

Ad Centur. 13.

H*Erculeos, (ne!) Tu, per mystica sacra, labores*
Felici exantlas nocte dieq; manu.
Posthuma Fama Tibi hinc monumenta aeterna ministrat,
Quae venit ex merito Gloria, vera venit.

Applausus Paterno affecto sic effusus

à

JOHANNE PLACHETIO, Medicinae Doctore, primùm Aulae Würtembergicae Medico, nunc in Illustri Academia Tubingensi Professore Ordinario.

HEN-

HENRICI HERMANNI, Reipublic. Reitlingensis Advocati & Syndici Epigramma.

Morborum domitor CAMERARI, Asclepia proles;
Quem labor immemorem non sinit esse sui.
Seu tibi per cæli convexa meare lubido est:
Seu Medicas agris adplicuisse manus:
Seu quicquid doctis gratum acceptumq́ palatis,
Mirandum omnigena promis ab historiâ;
Omne meres punctum, nec jam præconia poscunt
Laus sua queis propria est & stabilita fides.
Macte hoc proposito! hoc Medicorum spernere vulgus
(Si Medicos fas est dicere) ne dubita.
Vna quibus cura est curatio, protenus omnem
E ventre atque extùs pellere congeriem:
Adficta & sincera simul discrimine nullo:
Cumq́ intestinis ejicere ipsam animam.
O mihi laudandi postica per ora Magistri!
O ore & linguâ dignum opus Artificum!
Naturæ quicunq́ sagax mysteria versat;
Caussarum callet qui penetrare sinus:

Qui CITÒ, *qui* TUTÒ, *&* JUCUNDE *commodat agro*;
Hic MEDICUS *vitæ est, atq; necis* MEDIUS.



NAtura arcanam Cameram scrutando recludens
Dum sic lectorem dogmata mira doces.
Iure annon Doctor Camerarius appellaris?
Nonne tuo mirè nomine digna facis?

MICHAEL BERINGER, U.J.D.
Linguæ Hebraicæ Professor emeritus, Tubingæ.



Ad Centur. 4. prior.

TE, RODOLFE, *sinus Natura admisit in omnes*,
Et dedit ingenii pandere clave tui.
Quicquid in arcana MIRUM *&* MEMORABILE *capsâ*
Illa adeò rerum dædala mater habet.
Et miremur adhuc PHYSICÆ CAMERARIUS AULÆ,
Si fama æterno diceris elogio?

Ad

Ad Centur. 11.

MIRA *Dei manus est, qua nobile totius orbis*
Ex nihilo quondam dædala struxit opus.
Et MEMORANDA DEI *manus est, qua plurima rerum.*
Natura arcanis abdidit in latebris.
Quarum nos ruditas, inscitiaq; alta teneret,
Si nostra hac clausas mater haberet opes.
Hinc Mystas habet illa suos, industria quorum
Ardet in abstrusos se penetrare sinus.
Et clave ingenii reserare, Ens entium in Uno
Descripsit MUNDI *qua memoranda* LIBRO.
Illorum Rudolphe loco te principe pono,
Quem vocat indigetem dia Minerva suum.
Nam DIVINA MANUS *quod condidit, eruit omne*
Hoc Tua MIRA MANUS, *&* MEMORANDA MANUS.



Ad Zoilum.

A*ut limos averte oculos, aut comprime linguam,*
Aut par, aut melius, Zoile profer opus.

Ad Centur. 12.

Q*uæ stultus carpit, Sapiens probat, elige Mome,*
Hujus an illius nomen habere velis?

JOHANNES MARTINUS RAUSCHER, AcademiæTubingensis P.P.

In Centurias omnes
Med. Exc.
JOANNIS RUDOLPHI
CAMERARII &c.

EPIGRAMMA.

Istos si Medici sequerentur ubiq; libellos:
Nî vespillo fame, vix moreretur homo.

f.

16. Martii 1629.

M. FRID. HERM. FLAYDER. P.

N*Vnc oculis tandem usurpo, quæ nulla silere*
Debet anus, semper publica fama loqui.
Haut errem, crasso qui vivo sub aere, dixim:
Hic, qui Mizaldi filum imitetur, erit.
Excepto hoc: hic verius, ille licentius; hic &
Sepositis nugis aptius, ille minus.

Observant. ergò

JOHAN. SEBASTIAN. WIELANDUS Poëta Matthia-Cæsareus.

JOAN.

JOAN. RUDOLPHI CAMERARII, MED. D. MEMORABILIUM MEDICINÆ, ET MIRABILIUM NATURÆ ARCANORUM,

CENTURIÆ I.

Particula I.

MEDICINAM dari, resolutione ex actionibus ad habitum, deducitur.

SOphistæ Herculem apud Spartanos laudanti occlamavit Archidamus, vel quis alius: ecquis verò illum vituperat. Nobis verò an MEDICINA detur inquirentibus, metuendum id non erit, cum Hippocrates *(a)* quoque eandem peculiari commentario, contra calumniatores sui temporis defendere voluerit: neque desint nostrâ ætate homines, qui propter diversitatem opinionum, imaginatione tantùm ipsam stare; veritatis nihil subesse existiment. Ipsius autem Medicinæ essentiam, hoc est, quod talis habitus, in intellectum humanum cadat, resolutione deducimus, ex actionibus ad habitum argumentatione ductâ, cum si ἐνέργειαν extra intellectum dari constiterit, ἕξιν ejusdem, intra hominis intellectum, vel actu, vel potentiâ quoq; dari, necessariò inferri possit.

a) *lib. de Arte.*

II.

Idem, sensu Brutorum, & ratione hominum stabilitur.

Id, quod Naturæ ductu, BRUTA etiam cognoscunt, quodque constanti observatione ii, qui inter Homines, propter sensuum integritatem, & ingenii acumen primas sibi vendicant, verè esse deprehenderunt, illud secundùm sensum simul & secundùm rationem dari necessarium est: ut quicunque hoc negare velit, ἢ αἰσθήσεως ᾗ κολάσεως indigeat, & propter hanc suam stupiditatem, vel petulantiam dignus sit, qui tunc maximè, cum ægrotat, neminem habeat, cujus opem Medicam experiatur.

Atqui Medicationum, vel actionum Medicarum Exempla Naturæ ductu, bruta etiam cognoscunt, & homines constanti observatione deprehenderunt.

Ergò Medicationum & Actionum Medicarum Exempla, secundùm sensum simul & secundùm rationem dari necessarium est.

III.

Idipsum ex Actionum Medicarum certis causis eruitur.

Quarum actionum Exempla certa sunt, earundem certas quoque causas dari necesse est.

Atqui actionum Medicarum Exempla certa sunt, per conclusionem præcedentis ratiocinationis.

Ergò actionum Medicarum certæ etiam erunt causæ.

IV.

Ex habitu, per causas actionum Medicarum, ad Medicinæ essentiam recurritur.

A. Jam

Jam, quarumcunque actionum certæ ſunt cauſæ, earundem cauſarum juſta cognitio, in animo cognoſcentis, habitum quendam gignit, juxta cujus præſcriptum ſimiles actiones is exercere poſſit.

Atqui actionum medicarum certæ ſunt cauſæ.

Ergò actionum Medicarum cauſarum juſta cognitio, in animo cognoſcentis, habitum quendam gignit, juxta cujus præſcriptum ſimiles actiones is exercere poſſit.

Zvvinger. lib. 1. phyſiol. c. 4. Dôring. de Medic. l. 1. part. 1. ſect. 1. c. 2.

V.

Medicinæ primordia, ex Naturæ ductu loquuntur.

1. *Capræ Cretenſes, ope Dictamni, ſagittas excutientes.*

In Cretâ Inſulâ, Capras Sylveſtres, ſagittâ transfixas, Dictamnum herbam quærere ajunt: *(a)* hoc enim ſpicula è corpore ejici: & legitur idem apud Virgilium: *(b)*

Hic Venus indigno Nati concuſſa dolore
Dictamnum Genetrix, Cretea carpit ab Idâ,
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita Capris
Gramina; cum tergo volucres hæſere ſagitta &c.

Plutarchus: *(c)* Quis capris Cretenſibus præcepit, ut ſagittis ictæ, Dictamnum quærant, quo comeſto cuſpides extrahunt? Plinius, *(d)* idem etiam Cervos facere affirmat. Unde etiamnum Dictamno utimur in Medicina, ad infixa ejicienda.

A 2 a) *Ari-*

a) *Aristot. l. 9. de hist. an. c. 6. Cicero l. 2. de nat. Deor.* b) *l. 12. Æneid.* c) *in Gryllo.* d) *l 8. c. 28.*

VI.

2. *Hippopotamus Venæ Sectionis Autor.*

Hippopotamus (est illud animal in Nilo) assiduâ satietate obæsus, exit in littus, recentes arundinum cæsuras perspeculatus, atque ubi acutissimum videt stipitem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis, morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit.

Jul. Solin. c. 45. Plin. l. 8. c. 26.

VII.

3. *Ibes Ægyptia Clysterum inventrix.*

Ibes Ciconiæ haud dissimilis in Ægypto avis (& ipsa quoque serpentum pernicies) clysterum usum hominibus intulit: dum enim illi non ex officio respondet alvus, rostro aquâ marinâ repleto, longanonem proluit.

Plutarch. lib. utr. anim. plus rat. hab. Plin. l. 8. c. 27. Heurnius l. 1. M. c. 10. Gal. de Ven. sect. contr. Erasistr. & in præfat. Introduct.

VIII.

4. *Serpens ex fœniculo senectam exuens, & visum acuens.*

Anguis obductam situ hyemali membranam corporis, fœniculi succo exuit, nitidusque vernat, Visu obscurato, dum hybernat in cubilibus, aciem reficit confrictu ejusdem herbæ, tenuantis perscalpentisque obnatam oculis caligantibus pelliculam. *(a)* Scilicet hinc intellectum est, hominum quoque caliginem præcipuè eo relevari. *(b)*

a) *Sal.*

a) *Sal. Albert. in orat. de herb. cognit.* b) *Plin. l. 20. c. 23.*

IX.

5. *Lacerta, esu Galegæ, ictus viperæ lethales eludens, eâdemq; spoliatâ, moriens.*

Senex quidam, quondam circa fluminis ripam deambulans, forte fortunâ videns lacertam, cum viperâ dimicantem, humi sese prostravit, ut pugnam aptiùs, bestiis non animadvertentibus, specularetur. Lacerta, utpote viribus infirmior, ictu validissimo, à serpente sauciatur, adeò ut moribunda pedibus cespitaret: verùm paululum ad se rediens, per gramen longiusculum, viperâ non vidente, lacerta repsit, per ripam fluminis, ad herbam quandam, in proximo ibi crescentem, quâ equidem devoratâ, vires ex tempore pristinas recuperavit, atque denuò ad viperam se convertens, eandem non aliter, quam antea adoritur, sed vulneratur rursus à viperâ, ictu non minus lethali, ut priùs. Mox lacerta denuò ad hanc herbam digreditur, ut viribus recuperatis atque refectis, cum hoste capitali rursum congrederetur. Sed frustra: eodem enim modo, utpote viperâ longè inferior. quo antea excipitur. Animadvertens autem Senex, non minùs herbam ipsam, quàm pugnam, demirabatur & ut periculum faceret, utrum herba tales vires occultas & sublatentes in se complecteretur, eandem clanculo, dum lacerta iterum cum vipera pugnaret, radicitus evellit. Lacerta denuò saucia, ad herbam redit, quàm cum in loco consueto non inveniret, statim occubuit, atque expiravit. Senex verò hujus herbæ vim expertus, Medicis, ea quæ viderat, narravit: est ea

non ſolùm Bononiæ, verùm etiam in Italiæ Officinis ſatis nota, contra venenum, vermes & peſtem celebratur, fortè Veteribus incognita: nonnulli Galegam (Itali Graligam vel Gralægam) appellant, cujus fit mentio in Pandectis, ſub finem.

Foreſt. de incert. Urin. jud. l. 2. c. 5.

X.

6. Canis ex herbâ Canariâ vomituriens.

Invenerunt Canes χολεϱῶντες Canariam, quâ faſtidium ex infeſtante cholerâ deducunt, nauſeamque reſtringunt. *(a)* Neque nobis ignotam vorant herbam, ut ait Plinius: *(b)* ſed quamcunque etiam oblongiorem, ut Phalarin & lolium murinum, & ipſam quoque ſegetem, etiam præſente homine: non vorant autem, niſi vomitus ciendi causâ. *(c)*

a) *Ariſtot. de hiſt. anim. l. 8. c. 5. l. 9. c. 6. Gal. introd. c. 1. & l. de Ven. ſect. adv. Eraſ. c. 6.* b) *l. 29. c. 4.* c) *Scaliger in comm. Ariſt. de hiſt. anim. p. 734. & 1023.*

XI.

7. Chelidonia ſui nominis herba, viſum pullis reddens.

Hirundines invenêre herbam Chelidoniam, hâc enim oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. Hoc tamen C. Celſus *(a)* naturæ ejus avis, non herbæ aſſignat. Unde etiam locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herbâ Chelidoniâ reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.

a) *de re Med. l. 6. c. 6.*

XII.

8. Capra ſpinis catarrhactam ſibi detrahens.

Decutiendarum oculo catarrhactarum inventio

Ca-

Capræ accepta ferenda est, quæ fortuito ad spinosas frutices allisu, obstruentem lumini suo catarrhactam dejecit, sicque visum recepit.

Fr. Tidicaus l. 2. de microcosm. p. 509.

XIII.

9. *Asplene pecorum, in Cretâ inventum.*

In Cretâ Insulâ prope Cortynam, vix conspicuos lienes habent pecora; cujus rei causam rimati Medici, comperêre, isthic scilicet loci enasci herbam, quæ pecorum lienes imminuat: atque hinc lienosis curandis medicamentū excogitatum, quod à re, Asplenon dicunt.

Jessen. administr. anat. 3. p. 48. b.

XIV.

10. *Fons Nephrocatharticus, à bobus inventus.*

In Regiensi agro, apud Castellum, Braadula vulgò vocatum, est fons Aquæ Medicatæ frigidæ, cujus aqua scatet pulcerrima, habet nescio, quem saporem salsum, sed illum minimum, vixque perceptibilem, ea aqua bobus gratissima. An. 1488. cœpit, ineunte æstate, inter boves grassari talis Epidemia, ut omnes boves mingerent sanguinem, & omnes illi boves, qui bibissent, vel biberant istam aquam, sanabantur: aliorum autem locorum boves, quibus non erat data facultas bibendi, moriebantur. Quod ubi observatum, omnes finitimorum locorum pastores, suos boves, ad illam aquam duxerunt. Tandem res à bobus, ad homines devenit, & cum quidam paterentur circa vesicam, cæperunt analogiâ quadam argumentando in potum assumere, & aliqui excrevêre arenulas, aliqui lapillos, aliqui saniem, & sanati sunt. Quæ res de-

demum pervenit, ad Medicorum aures, qui aquæ illius usum, pro affectibus urinæ & vesicæ comprobârunt, & hactenus illius usus ad talem affectum viget. *I. Bauhin. de fonte Bollensi l. 3. c. 52. ex Fallop. de aq. med. c. 10.*

XV.

11. *Tapsus barbatus Veneni & pestis antidotum.*

Tapso barbato magna vis inest. Nam id Animalium Natura docuit contra venena posse. Mustela enim decertans cum serpente, si virus sensit, statim eam herbam quæritat, & mandit, atque ita instaurat pugnam. Et experimento vulgi certum est, succum ex eâ herbâ expressum, in vino tenui & odoro, non solùm præservare, sed liberare peste correptos. *Holler. de pest. p. 76.*

XVI.

12. *Aliorum quorundam Brutorum sagacitas.*

Auditum est Pantheras, quæ in Barbariâ, venenatâ carne capiuntur, remedium quoddam habere herbarum quo cum essent usæ, non morerentur.

Cerva ante partum perpurgatur herbulâ Seseli, faciliore ita utens utero: enixa, si eodem vescatur, ad fœtum redit. Testudo cunilæ (quam bubulam vocant) pastu vires contra serpentes refovet.

Ciconia Origano, Mustela rutâ, cum serpentem glutiit, aut in venatu murium, dimicatione cum iis conserta, Apri edendo hederam in morbis sibi medentur.

Ursus post incubatum diutinum lustro egressus in apricum, sylvestris ari acrimoniâ, alvum constrictam hacte-

hactenus cit. Tantam ingenuit in animantibus conservandi sui, natura custodiam, ut sine procuratione hominum salvis esse liceret. Hujusmodi data ab iis spectacula, mirum non est, adeò movisse Veteres, ut in dubium vocarent, posset ne νόησις, sive ratiocinandi vis brutorum generi jure abrogari, cum præter alia innumera, quæ sanè miranda sunt, ex unoquoque trium Medicinæ generum, particulam magnam quandam, & præclaram sibi ipsa vendicarent.

Sal. Alb. Orat. de herb. discipl.

XVII.

Ἰητρῦ *Etymon.*

Ἰητρὸς Homero dictus, (*a*) ἀπὸ τοῖς ἰοῖς, à venenis, eò quod tunc tumporis toti quasi circa Alexipharmaca versarentur. (*b*) Aliis, ab Iaco, medeor. (*c*)

a) *Odys. 4.* b) *Bauhin. l. 1. de comp. med. c. 1.* c) *Zvvinger. l. 1. Physiol. c. 2.*

XVIII.

Medici Etymon, & arguta denominatio.

Medicum Antonius Codrus Bononiensis, magni nominis Criticus, à medio deducit, quoniam medium, hoc est, temperantiam suadeat, quâ SANITAS conservetur: ad medium, id est, ad SANITATEM reducere studeat extrema, à medio, per excessum vel defectum exorbitantia; ingeniosa quidem, sed nimis longè petitâ derivatione.

Zvving. l. c. Scal. comment. in Hipp. de insomn. apot. 4. N. Perottus, in cornu copia.

XIX.

Sanitatis varia præconia.

1. *Sanitas fautrix Artium, vitæ ſolatium, vigor animi & corporis bonorum.*

Sanitas Sapientiæ, Scientiarum artiumque omnium piiſſima fautrix: hæc vitæ hujus tam turbulentæ unicum ſolatium: hæc illa eſt, cujus præſentiâ actiones humanæ vigent, vis corporis, forma, divitiæ & quæcunque apud homines in precio haberi ſolitæ, valent: hæc omnium bonorum, quæ in hominem cadere poſſunt, auctrix & auxiliatrix exiſtit; adeoque blandiſſimum maximeque divinum bonum, totiusque vitæ opt. condimentum: quâ collapsâ, cauſarumque hoſtilium vi, & malignitate expugnatâ, concidunt, quæ prius valebant omnia, & morbus ad mortem certiſſima via ſuccedit.

Fienus præfat. l. de flat. Plut. de tuend. ſan. N. Stupan. diſp. 1. de Med. th. 19.

XX.

2. *Bonorum omnium in vitâ primum.*

Qui olim Epigramma in Apollinis Delphici propylæo inſcripſit: illud Autore Ariſtotele (*a*) inſeruit: λῷστον τὸ ὑγιαίνειν. Quin etiam Plato inter bona humana, primum locum tribuit Sanitati: & ex Antiquo Poeta, convivalem hanc Cantilenam diſcumbentibus celebrari ſolitam, citat; (*b*)

ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἐστιν:
τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι.
τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως.

Inter Menandri ſententias refertur & ille Senarius:

οὐκ ἐστὶν ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

&

& ille, alter;

ὑγεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

a) *l. 2. Rhetor.* b) *l. 6. de Republ. l. 1. de l. in Gorg. & l. 2. de leg.*

XXI.

3. *Omni preciosior auro.*

Quid enim inculpatâ Sanitate desiderabilius, vel dici, vel excogitari potest? nihil. Quæ obsecro opes, diurno nocturnoque labore congestæ, animum vel corpus oblectare possunt, dum morborum torturis miserè excruciamur ac tabescimus? ac tantillo pomo tosto, vel ptisanæ haustu, saturi esse possimus. Certè, nec cum Crœsi divitiis, aut auriferi Tagi & Pactoli harenis, adde si libet, nec cum omnibus Romani Regni divitiis, Sanitatem commutarem.

Larg. l. 1. epist. l. 3. ep. 6.

XXII.

4. *Ecclesiæ & Reipublicæ necessaria.*

Quid enim esset vita humana, si perpetuis obnoxia morbis foret? quomodo de Deo, de salute generis humani, & de aliis rebus utilibus, cognituque jucundis posteritas doceri posset, si aut vix dum nati, mortis violentiâ eriperemur è viventium cursu, antequam justam senectam attingeremus, aut per omnem vitam adversa valetudine oppressi, nullo membro uti possemus, ad laudem Dei, & incrementum, utilitatemque, tùm Christianæ Ecclesiæ, tùm societatis humanæ? quomodo verò incrementum humani generis fiet, si in infantiæ ætate morbis correpti extinguéremur? quomodo Respublicæ administrari, urbes constitui, vitæ honestas, legum juriumque severitate,

tate, mitigationeque contineri, imperia armis decorari, & legibus, divinæ voluntati, humanæque rationis dextro judicio consentientibus gubernari valerent, si omnes ægritudinibus, aut auferremur, ante justam senescentis ætatis tempus, aut per omnem vitam involuti, ita premeremur & affligeremur, ut neq; muniis publicis vacare, neque privatarum rerum curam habere, in administratione rei familiaris, & liberorum educatione valeremus?

I. Sportsch. c. 1. epit. Med. Pract.

XXIII.

5. Contubernalis exoptatissimus.

Quis igitur tàm malevolæ erit mentis, ac pertinacis animi, qui Sanitatis propriæ curam non gerat, & in ejus Pæona, ac laudes, cum Amphyone Sicyonio Poeta, non erumpat?

O sanitas beata!
O sanitas amanda!
O sanitas colenda!
Tecum mihi beatè
Reliquum agitare vita
Liceat! mihi perennis
Comes ô adesto vita!
nam quicquid est bonorum.
& quicquid est leporum,
& quicquid est honorum,
& quicquid est amorum
magnis in auri acervis
In liberis venustis,
in principum decore,
& conjugum favore.
& quicquid est, quod ampli

lar-

largitur orbis Autor,
quietis à labore
gaudiiq; post dolorem,
tecum viget, viretque
O sanitas beata,
Tu ver facis suave
fulgere Gratiarum:
sine te nihil beatum!

Athen. in calc. ult. l. dipnosoph. Regn. Bruitsm. in voto jatr. Sennert. præf. l. de febr. Th. Schonlin. præf. l. de catar. & melanch.

XXIV.

MEDICINÆ origo divina.

Quemadmodum omnes bonæ Artes, ceu fontes, præclarorum operum, à Deo ortum suum trahunt: ita Medicina verè est Dei quoddam munus & inventum, vel naturâ, vel divina quadam sorte hominis concessum. Neque enim ea Ars, ingenio excogitata humano, sed ipsius Dei munere ac beneficio singulari monstrata est mortalibus, quæ in corpore potissimum humano tuendo versatur: in cujus profectò fabricatione omnia sunt plena, & artis & consilii. Hinc & veteres illi Sapientes Medicinam à Deo, quamvis veri Dei ignari, profectam esse asserunt.

N. Reisn. IC. in præf. Epist. Lang.

XXV.

Medicina, cur hominibus à Deo data.

Medicinæ enim auctores ante omnia accepimus Deos, sive ut hæc infirmitas hominum, haberet adjumenta aliqua, atque solatia; sive tantum huic arti tribuere Majores, ut eam vix crederent humanis potuisse

tuiſſe, ingeniis inveniri; ſive Medicina per ſe Sacrum eſt. Quod enim hominum genus eſt, qui ſexus, quæ ætas, quæ non utilitatem ex hac petat?

Quintil. declam. 289. Plin. l. 29. c. 1.

XXVI.

Medicinæ dator, fictitius Apollo.

Sed graviter lapſi ſunt veteres in hoc, quod non vero Deo, (*a*) ſed commentitio Apollinis numini hanc laudem tribuerunt, quod falsò Pythius de ſe gloriatur: (*b*)

Inventum Medicina meum eſt, opiferque per orbem dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

a) *Havvenreit. in orat. de art. Med.* b) *Ovid. l. 1. Metam. fab. 13.*

XXVII.

Verus Medicinæ autor, Deus.

Sed de eo multo certius divinæ vocis extat oraculum in Eccleſiaſtico: Honora Medicum, propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu Magnatum collaudabitur. Altiſſimus creavit de terrâ Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit.

Syrac. c. 38. verſ. 1. 2. 3. 4. & 12.

XXVIII.

In Medicina, fama de Deo, eſt ſparſa gratiſſima.

Etſi ſuus cuique arti locus, ſuus honos tribuendus eſt, tamen pietas Deo debita eſt, eam Artem magnifacere, in qua ampliſſima & gratiſſima de eo fama ſpar-

ſparſa eſt, & quæ expreſſâ voce divina laudatur, quod à Deo authore profecta ſit. Impoſſibile enim fuiſſet humano ingenio, tantam ſcientiæ varietatem complecti, ut conſiderationem corporum cœleſtium, quæ hanc inferiorem naturam variè afficiunt & temperant, inſpectionem fabricæ humani corporis, ut juxta oraculum nos ipſos agnoſcamus, tot morborum genera, & ſingulorum cauſas & ſymptomata, naturam animantium omnium, & infinitam varietatem herbarum, & virium, quas ſingulis Deus attribuit, ita ut aliæ herbæ aliis membris opitulentur. Non igitur dubium eſt, Deum ipſum primis parentibus vires plantarum & remedia monſtraſſe, quæ deinceps per manus poſteris tradita ſunt.

David Chytr. in comment. l. c. Syrac.

XXIX.

Medicinæ cultores, Deus, Chriſtus, Angeli & Sancti.

Magna igitur eſt Medicinæ laus: Autorem enim habet Deum ter opt. Max. comprobatorem ejus Filium: (dum enim in hac vita verſaretur, ut animas ab æterna morte, ita corpora à morbis & ab exitio liberavit:) factitata eſt ab Angelis: non ſpreta à Patriarchis: uſurpata à S. Regibus: adhibita à Prophetis: cognita ab Evangeliſtis: tradita ab Apoſtolis.

Havvenreit. l. c. H. Chriſt. Airer. in præf. Med. Pract. Melch. Schitz. in orat. de requiſ. veri Med. l. Rud. Saltzman. in Orat. de dupl. Medic.

XXX.

Medicus omnium præſtantiſſimus.

Chriſtus animæ Medicus, qui cum morbos & infir-

infirmitates ipsas, tùm earum causas gratiosè ex nobis exemit, eas in sese recipiendo, sibiq; appropriando. Is à cæteris Medicis desperatos, curandos suscipit, feliciſſimeque curat. (*a*) Magnus enim per totum mundum jacebat ægrotus, h. e. totum humanum genus, multis animæ & corporis subjectum angoribus & languoribus, ac ideo Magnus venit Medicus, cujus livore sanati sumus. Nam revera videmus, quòd innumeris vitiorum morbis anima ægrotat hominis: denique omnino nullum est animal, quod tot & tantas infirmitates pati cogitur. O verè admirabilis, & amabilis res, pietatisque pleniſſima, quod fusus est sanguis Medici, & factum est Medicamentum phrenetici! (*b*)

Vulneribus Christi fit medicina meis.

Sanguis Medici, ut dixi, ac iterum dico, facta est Medicina phrenetici. Ille optimus est Medicus, qui ab omnibus desperatos recipit & feliciter curat. (*c*) Magister est ad salvandum (*d*) Ego, (inquit) Jehova, Medicus tuus. (*e*) Occiditur Medicus & sanatur ægrotus. Hic potest auferre cordis mei dolorem, & animæ pallorem, qui novit occulta: inveni Medicum, qui in cœlis habitat & in terris spargit medicamenta: solus potest sanare vulnera mea, qui nescit sua (*f*)

a. c) *I. Haidfeld. c. 34. Sphing. theol. phil.* b) *Auguſt. ſup. Ioan.* d) *Math. 9. Eſai. c. 53. v. 4.* e) *Exod. c. 15. v. 26.* f.) *Ambroſ.*

XXXI.

Medicina artium digniſſima & utiliſſima.

Si omnes omnium artium commoditates, facultates atque copias dispicis, nihil est Medicinâ melius, nihil

nihil optabilius, nihil hominum generi datum præstabilius. Nam, si vita cunctis mortalibus carissima; si lux ea cumprimis expetenda, in quâ vivimus, spiramus & jucundâ consuetudine inter nos conjungimur; si ea primum est & præstantissimum munus animantibus attributum: ars quæ illam servat, continet ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima: quid eâ potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos (inquam) & adversam valetudinem propulsat? quæ vitam incolumem ab omni ærumnâ & languore liberam quàm diutissimè tutatur? ut corporis firmâ constitutione, nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores: sic imbecillâ & labante illa, nihil laboriosius. Qui ergo in hoc periculum, discrimenque adductis subvenire & opitulari queat, tantùm abest, in illorum offensionem occurrat, ut etiam illos summâ consuetudine & amicitiâ sibi conjungat, atque quasi pro numine (inquit Hippocrates) colatur, qui tantas opes restituerit, per quas externæ quoque fortunæ obtineri possint, illarumque usus jucundus, atque dulcis habeatur.

Fernel. prefat. ad Medic.

XXXII.

Medicinam omnium artium esse difficillimam, ostendunt. 1. Requisitorum ad hanc varietas & subjecti nobilitas.

Qui Medicinam faciunt, Artem sanè omnium præstantissimam, sed longe difficillimam, maximè arduam, ac si dicere audeo, periculosissimam exercere

mihi videntur: nam præter accuratam infinitarum penè disciplinarum cognitionem, præter absolutam singularum Medicinæ partium eruditionem, præter judicium incredibile, ingeniique non vulgarem solertiam, omnino in medendo necessariam: longo quoque usu, diuturnâque experientiâ, in opere Medico eum versatum esse oportet, qui munus Medici cum laude sustinere meditatur. Id nimirum subjecti illius dignitas, ac amplitudo suo jure postulat, ut quoniam non sordidi alicujus opificii, sed humani corporis Medico cura demandata est, is quascunque ingenii dotes conferat, omnesque industriæ vires experiatur, quibus præsentem ejus valetudinem tueatur, collapsamque citò ac tutò restituat. Quòd tamen non dicam præstare, aut susceptum exequi, sed aggredi, quam difficile ac operosum fuerit, rei ipsius magnitudo testatur.

2. *Morborum dignoscendorum infinitus numerus & species.*

Quanta enim quæso morborum, non modò trecentorum, ut putavit Plinius, sed penè infinitorum turba occurrit? quot clades, quot ærumnæ? quot novi ac insolentes affectus, quotidie suboriuntur? quot jam geniti succrescendo vires acquirunt, quibus omnibus tanquam infestissimis vitæ salutisque hostibus pugna cruenta Medico est indicenda? quot casuum inopinatorum eventus, singulis fermè horarum momentis sese offerunt, ut lapsuum, ruinarum, ruptionum, adustionum, luxationum, vulnerum atque his consimilium, quibus salutarem opem manu præsenti suggerere debet Medicus? quot venenorum pericu-

ricula, quot lethales impetus citiſſimè ſupprimendi ac propulſandi veniunt? quanta in humanis corporibus ſpectanda diverſitas? quanta ex ætatibus, ſexu, regionibus, cœlo, educatione, ſtudiis, uſu, varietas dignoſcenda? quanta in corporum cœleſtium obſervatione difficultas, quæ niſi cognôris, ſæpè venenum erit, quod in remedium datur: quam diligens adhibenda cautio, in conjiciendis morborum internorum notis, quæ fallaces ſunt ſæpè numero, ſive coloris habitum ſpectes, ſive lotii ſigna timeris, ſive pulſus harmoniam obſerves, velut hoc agentibus morbis, ut hoſtem Medicum fallant.

XXXIV.

3. *Prognoſeως & therapeιας operoſa moles.*

Quantâ item in præſagiendis futuris morborum eventibus ſolertiâ ſit opus, quanta ſeſe offerat difficultas in excogitandis remediis, quamque præceps ac momentanea eorum exhibendorum occaſio: quanta in ægris tractandis ubique mæſtitia, quantus pavor & quam triſtis mortis imago, Medicorum perpetuò obverſantur oculis: ut ne addam, quòd etiamſi tot difficultates, laborumque moleſtias, ſummo ſtudio, atque induſtriâ Medicus pervicerit, omnemque moverit lapidem, ut quâ doctrinâ, atque diligentiâ poſſit, munus Medici ſuſtineat, vix ac ne vix quidem, vulgi calumnias, hominumque perditiſſimorum impoſturas queat effugere.

I. Liebault. in theſ. ſanit.

XXXV.

Medicinæ præstantiam liquidò asserunt ; 1. Antiquitas, Authores, Divinitas, Labor, vis, necessitas, virtus, testes Sacri & profani.

Si res commendat Antiquitas, Medicinam primùm omnium necessitas reperit. Si scientiam Autores illustrant, hujus Inventio semper Deo est attributa. Si magnifiunt, quæ Magnis viris probantur: hæc summos Reges, hæc primates non solùm delectavit, verùm etiam illustravit. Si ex Platonis sententia, δύσκολα τὰ καλά: nihil operosius Medicinâ, quæ tot disciplinis, tantarum rerum pervestigatione usuque constat. Si dignitate rem æstimamus, quid excellentius, quam ad Dei benignitatem proximè accedere? Si facultate, quid potentius, aut efficacius, quam totum hominem certo exitio periturum, posse restituere? Si necessitate, quid æquè necessarium, atque id, sine quo nec vivere, nec nasci licet? Si virtute, quid honestius, quam servari genus humanum? Si utilitate, nullius rei usus, aut major est, aut latius patet. Hanc denique Divina Oracula nobis commendant: (a) hanc prophani scriptores, laudibus in cœlum vehunt Poëtæ, historici, Oratores, philosophi: ut meritò Anticyras relegandi sint, si qui reperiantur, qui secus audeant sentire aut loqui. (b)

a) *Exod. c. 15. v. 26. Luc. 5. v. 12. 18. Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 3. 3. Reg. c. 4. v. 33. 4. Reg. c. 20. v. 7. Exod. 15. v. 25. Tob. c. 11. v. 13. Esai. c. 38. v. 21.* b) *Donzell. in praef. comment. Iacob. in Rhaf.*

XXXVI.

XXXVI.

2. *Denique ipsa rerum cognoscendarum multitudo.*

Tanta enim rerum cognitione præcellit Medicina, ut omnium, quæ Mundus complexu suo coërcet, naturam atque vires solerter consequatur, quas demum ad unius Hominis (cujus præcipua illi cura est) commoda salutemque referat, ut illorum usu & appulsu integram corporis valetudinem conservet, adversamque depellat (a) Admirabilem enim hominis fabricam, naturamque explicat; ossa nimirum omnia, cartilagines, musculos, ligamenta, partes item nutritioni famulantes & propagandæ speciei inservientes: cordis præterea structuram & ipsius functioni ministrantia organa: Cerebrum denique & hujus actioni destinatas partes: in summâ, corporis minutissima quæque, horumque omnium usus prosequitur. Nec ista tradidisse contenta est, sed & quomodo hæc omnia ex Elementis nata sint, qualemque ex horum commistione, consecuta sint temperaturam, ostendit. Postea causas, quæ fabricam hanc, & Naturam conservant, quæque eandem destruunt ac demoliuntur, ob oculos ponit. Tandem præsidia, quibus ea, quæ Elementorum concordiam turbant, & omnis generis morbos accersunt, propelluntur, edocet. Quapropter singularum Stirpium, Animalium, & quæ patefactis terræ faucibus eruuntur, Metallorum, Lapidum, Gemmarum, eorum etiam, quæ ex mari & aquis extrahuntur, vires exponit. Et quis omnia, quæ Medico sunt cognoscenda, percenseret? (b)

a) *Fern. præfat. ad Medic.* b) *Fuchs. l. 1. instit. c. 2.*

XXXVII.

Honores Medicis olim decreti, & inter Deos relati.

Cum itaque tot, & tantarum rerum peritiâ ornatum esse oporteat Medicum, quid mirum, omnis eruditionis oceanum, rerumque humanarum peritissimum Vatem Homerum, in hæc prorupisse verba:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. id est.

Unus homo Medicus multis æquandus honore est. *(a)* Rectè sanè. Quid enim multis commemorem eam facultatem, quæ aut valetudinem afflictam restituit, aut turbatam recreat? quæ non solùm oculis expositum, sed latens etiam in corpore vitium tollit? Imò quæ fugientem ipsam animam, & tanquam è carcere, quo retinetur, evadere cupientem, sistit atque remoratur. *(b)* Et rursus:

Ἰητρὸς καὶ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων

Atque hinc est, quod veteres Medicis, propter artis, quam profitebantur, præstantiam amplissimos decreverint honores: *(c)* eosque beneficentiâ & studio innumerum Deorum sustulerint. Quod graviter quidem illi, & constanter fecerunt, (ut eorum ferebat relligio) Judicabant enim illi, hanc sapientiam, non humanam, sed cælestem esse, quæ tam arcanas rerum virtutes, in ipsis naturæ venis reconditas & abstrusas evolvere & in lucem proferre posset: neque hominis, sed Dei esse, tanta hominibus commoda adferre. Quare meritò apud eos in divino honore erant, à quibus divina beneficia perveniebant. *(d)*

a) *Iliad.*

a) *Iliad.λ.* b) *Odyß. δ.* c) *Fuchs.l.1.ſ.1.c.2.inſtit.* d) *Melanch.orat.in laud.art.Med.*

XXXVIII.

Cæſarum ſtipendia Medicis data.

Quare Romani Cæſares videri poſſunt intellexiſſe, quàm ſalutares ac neceſſarii eſſent boni Medici Rebuspublicis, qui eis in ſingulos annos ampliſſimum ſtipendium, CCL. ſeſtertia pendebant, cum tamen reliquarum diſciplinarum profeſſoribus, CC. ſeſtertia modò in annum numerarint. Cujus pecuniæ, ſi rationem more noſtro intueris, comperies Rhetoribus & Poëtis tria millia aureûm, & trecentos triginta quatuor numeratos: Medicis verò octo millia aureûm, & amplius trecentis in ſingulos annos ſtipendium fuiſſe. *(a)* Nil dico de Melampode, nihil de Hippocrate; nihil de Eraſiſtrato; nihil de Galeno, nihil de aliis innumeris. *(b)*

Ludovicus XI. Galliæ Rex. Jacabo Coiterio Medico ſuo, menſtruum ſtipendium decem aureorum millia dare ſolebat, ſic ut intra quintum menſem ille ab eo, ad quinquaginta quatuor millia acciperet. Nec id modò, verùm etiam Epiſcoparum Ambianenſem ejus nepoti, & munera publica largiebatur ejus propinquis & amicis. *(c)* Guilhelmus Haiſelius, Medicus Laudunenſis, cum Carolum VI. Gallorum Regem ab inſaniâ liberaſſet. mille coronatis aureis donatus eſt. *(d)* Compertum quoque eſt, Camilium Cornutum, ditiſſimum hominem, provinciæ Aquitaniæ Legatum quum mentagrâ fœdiſſimâ corriperetur, & ſanitati eſſet reſtitutus, perſolviſſe Medico, honorarii loco ducenta ſeſtertia, quæ ſumma eſt noſtrorum aureorum

4000. *(e)* Verùm omissis priscis exemplis, ad recentiora redeamus. Thaddæus Florentinus Medicus, ad curam ægrotorum extra urbem vocatus, non viliùs, quàm quinquaginta aureorum mercede, in singulos dies peregrinabatur: vocatusque ab Honorio IV. centum sibi statui voluit, præter mercedem. A quo curato, decem millia reportavit. *(f)* Petrus Aponensis, Conciliator dictus, Medicus Patavinus, vocatus ad ægros, extra urbem, non minoris quam L. coronatis, in diem conduci se patiebatur. Cum ad Pontificem aliquando ægrotantem accerseretur, pactum priùs esse singulis diebus salarii loco, quadringentos coronatos. *(g)* H. Capivaccius, è Gallicæ luis curatione, ultra octodecim millia coronatorum lucratus est. *(h)*

a) *Melanch. l. c. Plin. l. 29. c. 1.* b) *Döring. l. 1. de Med. sect. 2. c. 4.* c) *Ph. Comine. l. 10. hist. Gallic. c. 136.* d) *I. Froissard. l. 4. c. 50. hist. Gallic.* e. g.) *Camerar. hor. succis. cent 1. c. 4. Zuving. vol. 10. theatr. p. 2496.* f) *H. Rubeus de destill. sect. 1. c. 8.* h) *l. 5. Pract. c. 12.*

XXXIX.

Sanatorum ingratitudo, & Medicorum Fortuna.

At quæ hodiernorum Medicorum conditio? nimirum, quando homines ægrotant,

Pollicitis dives quilibet esse potest,

ut spe & pollicitatione Medicos inescent. Ubi verò divinâ annuente gratiâ, magno cum periculo & Medici labore multo, vix tandem convaluerunt:

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est (a)

Et solet ab ipsis ut plurimùm diligenter observari Cratis Thebani, inter Diogenis discipulos sapientissimi, Ephemeris illa vulgatissima, ita se habens: ponito coquo minas decem, Medico drachmam, assentatori

tori talenta quinque, consiliario fumum, Philosopho triobolum. *(b)* Quin quod magis dolendum, pro labore sæpè opprobrium; pro gratiâ exilium reportant. Gratiores fuerunt illi, quos olim divinis honoribus, delubris excitatis, Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem, ob artis præstantiam coluisse accepimus. Scilicet suus tunc temporis Medicinæ constitit honos, sua existimatio. *(c)* Sed desino plura Medicorum præmia referre, quod sciam discendarum artium finem non esse quæstum aut mercedem, sed veritatis potius fruendæ ac inquirendæ studium, & ut quàm plurimis prosimus. Tantos verò honores, ac tot præmia, nullo alio nomine in Medicos contulerunt Veteres, quàm quòd immensam esse, illarum rerum cognitionẽ & eruditionem ac doctrinam, perspectum habuerunt, & ad multorum vitam & valetudinem tuendam summè necessariam. Ut cæcos planè & iniquos fuisse judices palàm fit, qui inter professores Medicis postremum locum assignarunt. Sed hæc est perpetuò bonorum fortuna, ut ipsis pessimi quique præferantur. *(d)*

a. c.) *Döring. l. c.* b) *Laërt. l. 6. in vita Cratis.* d) *Fuchs. l. alleg.*

XL.

Naturalis Philosophus elegans Medicus.

Ubi desinit Philosophus naturalis, ibi incipit elegans Medicus, inquit Aristoteles. Ut enim plantæ radices suas in terrâ fixas habent, per quas alimentum suscipiunt, conservantur tamen ambientis aëris temperie, & vitali syderum influxu vegetantur: ita quoque ars curandi homines, ex media Philosophia, prin-

cipia & fontes suos petit: qui deinde particularibus Medicinæ præceptis illustrantur & confirmantur. Quare Medicina nihil aliud est, quàm particularis quædam, & sensibus objecta Philosophia naturalis. Physicus enim in universum omnia corpora naturalia, atque etiam humanum considerat, scientiæ causa: at Medicus circa solum corpus humanum versatur, non tantùm ut sciat illius naturam: sed potius ut ex hac scientiâ modum operationis & actionis deducat. Quemadmodum ergò ad moralem Philosophiam Jurisprudentia, ad Metaphysicam Theologia reducitur, ita ad naturalem, sacra Medicina.

Zvvinger. theat. tom. 5. lib. 2. p. 1229.

XLI.

Medici veri officium est methodica curatio.

Is sanè Medicus salutiferam manum porriget ægris, qui loco, jure, & accommodatè remediis uti norit. Noscet hæc is, quem non fugit, quodnam remedium cuique optimum sit, & qua copia, qualitate, tempore & modo cuique in usum flecti debeat, nesciunt hæc, quibus incognita hæc medendi Methodus. Hæc docet curandum esse tutò, celeriter & jucundè. Tutò, ne lædas; citò, sed ne quid temerè: nec tamen temerè cunctandum; jucundè, nec onera remediorum pondere ægros, & sint, ut res fert, jucundissima, alioqui μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα (optima & non jucundissima) præscribe, ut consulebat Solon: etenim à molli Medicina, quæ consenuisse videbantur, resobolescunt, & Hippocr. l. de Arte ait ῥαστώνῃ μᾶλλον, ἢ βίῃ: facilitate potius, quàm vi, his suis

officiis

officiis ſatisfecerit is Medicus, qui Methodo medetur.

Hëurn. l. 3. M. M. c. 1. & l. 12. inſtit. c. 3.

XLII.

Medicus naturæ ſpectator & felix Imitator.

Medicus perpetuò naturæ motum, ac propenſionem per commodas & opportunas vias, noxia propellere conantis animadvertat, atque imitetur: ita enim facilis & tuta erit vacuatio; facilis quidem, naturam enim habet opitulantem: tuta, quia loca ſunt conferentia. *(a)* Eſt autem Medicus, naturæ, rectè ac ſecundum leges, non ſymptomaticè agentis imitator, ſufficienter operantis ſpectator, malè ſe commoventis director, adjutor denique ſive miniſter & cooperator, non validè ſatis, ſed ignavè & perfunctoriè, munia ſua obeuntis. *(b)*

a) *Viſcer. in explic. aph. 21. ſ. 1.* b) *Gal. l. 4 de uſ. part. p. 17. 1. Epid. com. 2. t. 4. l 9. M. M. c. 6. l. 9. de plac. c. 8.*

XLIII.

Medicus naturæ miniſter fidelis.

Cum enim ars ſit ſanandi, non nocendi Medicina: (*a*) ita ejus miniſter, Medicus fidelis non fortunâ neque perſonis homines æſtimat: verum æqualiter omnibus implorantibus ſuo auxilio, ſuccurrit, nullique unquam nociturum pollicetur. Intima enim (*b*) ſecreta & penetralia naturæ rimatur, jucundosque ejus receſſus inveſtigat, & humanum corpus, rerum admirandarum miraculum, contemplatur, eo fine, ut id, ſi extra ſanitatis lineam exilierit, reducatur. Naturam dico, rimatur ille: nihil enim Medicus ſolus poteſt, natura eſt illa, imò Deus qui agit, & Medicus

cus minister magni hujus Domini. Præclarè itaque (c) à Vido Vidio dictum: Medici plures sanarent, si esse naturæ ministros esse agnoscerent. In eundem sensum Ph. Scherbius: τὴν Ἰατρικὴν dixit. ἐπίνοιαν εἶναι, καὶ παρασκευὴν, ἥτις συνεργεῖ τῇ φύσει πρὸς τὸ τέλος.

a) *Scribon. Larg. ep. ad C Jul. Cal.* b) *Heurn. de cap. aff. c. ult.* c) *Emman. Stupan. com. in aph. Hippocr. p. 19.*

XLIV.

Medicus verè Rationalis.

Hinc nihil sine ratione decernit, & tentat, nihil sine consilio & prudentiâ agit & molitur, sed accuratè magnâ curâ & sedulitate, præsentia quæ infestant mala cognoscit & perpendit. atque quantùm potest profligat, futuraque prædicit. (a) Quare immerito quidam à Medico, plus quam ab homine requiri debeat exigunt, non enim satis putant, si operam is fidemque præstiterit: quin etiam (quod solius Dei est) eventum morbi & periculum præstari ab eodem volunt, impiâ quadam Dei & naturæ oblivione. Præclarè promittebat Hippocr. operam suam: κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν, (hoc est, quantum viribus & judicio assequi possit.) Scelere fateor, in hâc divinâ scientiâ se contaminant, qui, cum possunt juvare, nolunt; sed etiam temeritate hi, qui volunt ea, quæ præstari non possunt. (b)

a) *I. Oberndorf. de ver. & fals. Med. cognit. part. 45.* b) *Heurn. de aff. cap. p. 350.*

XLV.

Idem, salutis alienæ avidus, propriæ negligens.

Ac nihil prius habet ægrotantium salute, quibus totus

totus eſt mancipatus, & propter quos nihil non recuſat ſubire periculi ſæpè ac nullis parcit laboribus, imò ſemetipſum emacerat alienis calamitatibus, ſolicitudine exhaurit, atque ex aliorum damnis, proprias ſibi demetit moleſtias, tantùm ut ea, quæ fieri debent in Medicinâ, rectè præſtet, & ipſos valeat ægrotantes, ab infeſtantibus periculis & ipsâ morte vendicare.

XLVI.

Itidem, HOMINIS non immemor.

Novit enim quale ſubjectum ſit ſuæ Artis, nimirum HOMO, nobilis illa Dei fabrica, imò Spiritus Sancti domicilium. *(a)* (Atrociſſimum ſanè facinus, temerare corpus humanum, domicilium perpetuæ animæ *(b)* eximium inter alias creaturas, divinæ ſapientiæ, juſtitiæ, & bonitatis ſpecimen, Homo, inquam, ad vivi Dei imaginem conditus *(c)* æternum animal atque immortale. *(d)* Atqui ſi uſquam fidem habet tritum proverbium: Hominem homini Deum eſſe, hac in parte id profectò rectiſſimè uſurpatur: quia divinâ vi Medicus ægroti ſalutem tuetur. *(e)*

a) *D. Paul. ep. 1. ad Cor. 3. v. 16. 1. ad Cor. 6. v. 19. 2. ad Cor. 6. v. 16.* b) *Heürn. explic. aph. 1. ſ. 1. & com. ad leg. Hipp.* c) *Oberndorf. l. c. part. 41. 46. 47.* d) *Heürn. de aff. cap. p. 350.* e) *Melancth. orat. de laud. Medic. p. 107.*

XLVII.

Medicinæ Crura & fulcimenta.

Duo ſunt, ad morbos rectè curandum inſtrumenta peræquè neceſſaria: Ratio ſcilicet & experientia: quæ ceu crura & fulcimenta quædam Medicinæ ſuſten-

ſtentandæ, haud abs re ſtatui poſſe videntur. Quemadmodum enim corpus humanum, ad integram, abſolutamque ſui perfectionem, gemino, ab opifice Deo, crure donatum eſt, quorum conjunctō miniſterio variè corpus pro libitu, uſuque exigente, verti, moveri ac transportari ſolet; quorumque alterum alterius carere ope &auxilio minimè poteſt: imò ſolitarium ſocioque deſtitutum, non modò nulli uſui ſed impedimento potius & oneri eſt naturæ: ita propemodum Medicina, Ratione Duce, Magiſtrâ verò experientiâ nititur, tanquam fulcris ad conſummatam artis præſtantiſſimæ dignitatem obtinendum neceſſariis. Horum tàm recta ſunt vincula, tàm ſtricti nexus amicitiæ, ut reipsâ verè neutiquam ſejungi, imò ne cogitatione quidem ſeparari commode poſſint. Conſpirant quippe in unum eundemque finem ſanitatem nimirum hominis, tùm conſervandam, ſi præſens eſt, tùm reparandam, ſi deperdita, ad quæ præſtandum mutuas tradunt operas; dum cauſas effectuum omnium, medendique ordinem ac rationem altera rimatur & exquirit; auxilia experta & comprobata confert altera.

Hart. Bajer. in præfat. pract. Capivacc.

XLVIII.

Ratio & experientia indivulsè cohærent.

Quid enim magni præſtiterit Medicus, ſi herbas ac medicamenta efficaces obtinere effectus ratione ſtudeat evincere, niſi id experimento comprobet? è diverſò, quâ fiduciâ niti poſſet experimento, quod plerumque judicio adhibitum fallax eſſe atque periculoſum declarat inconſulta Empiricorum temeritas, niſi

nisi illi ratio suffragetur? & quamquam sophisticum censeri posset, contra experientiæ testificationem, ac documentum, rationem exigere: nunquam tamen quisquam sani judicii, & qui in delectu rerum aliquid pensi habet, experimento assensum fecerit, aut id temere experiri sustineat, nisi ratione id per omnia comprobatum sit & suffultum.

Lemm. præfat. l. de occ. nat. mir.

XLIX.

Ratio & experientia Dogmaticorum fundamenta.

Quare rationalem Medicinam nos amplectimur, ex ratione & experientiâ conflatam. Non enim solam nudamque volumus experientiam: illa enim si rationi non fuerit consociata, periculosè fallax est, & fallaciter periculosa, dum ea tentat in ea fabricâ humanâ, quæ longâ die non sunt probata: (temerariæ enim experientiæ, finis est certa mors) multa etiam putant fieri lege naturæ in corpore humano, quæ sunt symptomatica, hoc est, vi morbi expressa. Accedit & illud, quod nullus morbus sit idem omnibus, nec ullum est remedii genus, quod habeat eandem vim in singulis: nec soli rationi & judicio standum: nam hoc difficile est, distinctione corporum, causarum, signorum, medelarum; ad cognoscendum, præsagiendum & curandum, & quod similitudines sæpè bonis Medicis imponant. Multa sanè solitaria ratio suadet, quæ tandem usus coarguit. Quare rectè Salustius: utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio valet.

Heürn. instit. l. 1. c. 1. explic. aph. 1. s. 1. & com. ad L. Hipp.

L. Ra-

L.

Ratio præstat experientiæ.

Quod si tamen alterutri palma sit deferenda, potius rationem experientiæ, quam hanc illi nostro hoc sæculo prætulerim. (a) Oportet enim ut primò secundum rationem consideranda considerentur, deinde experientiâ certificentur, ut ratio per experimentum confirmetur. Virtus namque rationis, experimenti virtutem ostendit (b) Quid enim quæso vilius medicis est experimentis hoc tempore, scatent formulis probatis omnia, nec angulus mundi ullus est, qui non receptis oleat. (c)

a. c) *Hartm. Bajer. l. 1.* b) *Gal. l. 2. & 6. de tuend. sanit.*

LI.

Medicinæ propudium ex Germano-Medicis.

Utinam autem illi, qui Germanicis versionibus optima Autorum medicamenta delirè prostituunt imperitissimis audacissimisque nebulonibus, barbarum tonsoribus, mulierculis stultis & fæci plebis, in hanc partem non tàm licenter peccarent; in majore authoritate esset sacra Medicina.

Libav, in præf. Alchym.

LII.

Medicastrorum & empiricorum Catalogus, Medicantiumque καθάρματα.

Dum enim omnes, qui hanc artem jactitant, & sese falsò Medici titulo venditant, & insuper cum magno funestoque aliorum damno praxin exercent, considerantur, plerumque sunt sordida & abjecta fæx plebecu-

beculæ, quique negatâ professione, alieno malo, clanculario modo, hanc artem condiscunt, & si eos in lucem proferimus, detractâ larvâ apparent Judæi scelerati, Christianorum sicarii, & expilatores, Monachi, suæ professionis desertores, sacrificuli perjuri, parochi πολυπραγμόνες, pastores φίλαυλοι, Chemici indocti, Juris Apostatæ, pædagogi δοξόσοφοι, inepti & vulgares pharmacorum confectores & seplasiarii, catabaptistæ Æsculapii deliri & lucifugæ, Mechanici pigri, aut inhonesti, histriones, ardeliones, circulatores, tonsores inepti, aliptæ fætidi, balneatores curiosi, impostores circumforanei, milites triarii, mercatores obærati, aratores segnes, pugiles monoculi aut claudi, vetulæ edentulæ & blatterantes, aniculæ cothonizantes, vel clinicæ, obstetrices largiloquæ, nutriculæ diobolares, carnifices, canicidæ bipedum nequissimi & hujus generis terræ filii. Nec immerito his, tanquam comites adjunguntur venefici, incantatores, augures, harioli, chiromantici, Magi, sortilegi, sagæ & alia detestandorum & malitiosorum hominum καθάρματα καὶ κακῶν πανήγυρεις: *(a)* omnes ad unum tam remediis divites & copiosi, ut Rhenum aquæ facilius, quam περιεργίεια hoc genus hominum deficere queant. *(b)*

a) *Oberndorff. l. c. part. 22. & 23.* b) *Hart. Baj. l. c.*

LIII.

Mira nebulonum in Pseudo Medicos μεταμόρφωσις.

Vidi enim heri aromatarios, hodiè Medicos: heri barbarum Rasores, hodiè morborum gravium censores: heri herbas cæteraque materialia in Apothecis

C com-

commiſcentes, hodie in Principum aulis morbos judicantes.
Roder. Caſtellan. l. 2. ſpec. vit. hum.

LIV.

Hiſtoria N. Gonellæ joculatoris.

Huc aptiſſimè quadrat hiſtoria de Gonellâ joculatore maximè comi: quam autor Shingis Pphiloſophicæ (*a*) è Pontano (*b*) tranſcripſit his verbis: Gouella aliquando, à Nicolao Marchione Ferrarienſi interrogatus, quarumnam ſive artium, ſive facultatum, in urbe Ferrariâ major eſſet numerus? confeſtim reſpondet, Medicorum majorem eſſe numerum. Tum Nicolaus: ô inanem hominem & urbis hujus, artium, artificumque ignoratiſſimum! quippe cum vix duos, trésve ad ſummum Ferraria Medicos habeat, ſive cives, ſive exteros. Ad ea Gonella: ô Principem, majoribus rebus deditum, qui ob eas, urbem ſuam, ſuosque cives ignoret penitiſſimè! tum Nicolaus: quid ſi hoc ipſum falſum ſit, quod aſſeris? tùm Gonella, quid ſi ego verus: ibi ſive pœna, ſive mulcta ei, qui vanus eſſet inventus, conſtituta. Itaque inſequenti die, ſub auroram Gonella, pro templi aſtans foribus, obvoluto pellibus ore ac gutture, interrogantibus, qui in templum ingrediebantur, quonam morbo laboraret? reſpondebat ſingulis, dentium dolore: ſingulis etiam remedium aliquod dolori præbentibus, quorum ipſe & nomina conſcribebat & remedia. Atque hac ratione urbem perreptans, perſcrutandoque remedia, ſingulos qui obviam fierent percunctatus, ſupra trecentos homines medicinam dolori tradentes, notavit in tabellâ. Quo facto regiam

giam ingressus, quâ hora Nicolaus prandebat, sese obtulit, involutis & ore & cervicibus, ingentem dolorem simulans. Nicolaus astu viri parùm cognito, cum intelligeret, illum haud benè valere à dentibus, hoc statim inquit remedium adhibe, laudabis Nicolaum: è vestigio enim sanus eris. His Gonella acceptis, domum reversus, tabulam instruit, remedia illa, remediorumque autores continentem: ac primo loco Nicolaum Marchionem adscribit, inde alios atque alios, delectu habito. Tertio die quasi sanus, atque à dolore liber, nudata gula, ac cervicibus, Principem adit, docet, quæ conquisita & comprobata fuerint, mulctam ab ipso expostulat, atque in jus illum se adacturum minatur & his dictis tabulam Marchioni legendam exponit. Ibi Marchio primum inter Medicos locum sese obtinere conspicatus, inde alios atque alios primates viros, à risu continere se nequivit, seque victum confessus, pecunia illi, ut solveretur, imperavit.

a) *I. Haidfeld. c. 34.* b) *de serm. c. 6. Lemn. de occ. nat. mir. l. 1. c. 17.*

LV.

Solis Medicastris hominem impunè occidere licet.

Ψιχάρπαγες, fures, corpore plectuntur: at hodiè verorum Medicorum l'ατρεῖον Empiricis manicula- riis defertur. Grassatores, sicarii, latrones, capite, nec immeritò, mulctantur: sed Empiricorum carnificum caput civica corona præcingitur. Sæviens pestis, qua fieri potest ratione à Regum & Principum aulis, ab Urbibus arcetur: veris autem in Medicina pestibus, liberrimi ad Reges, Principes, Ur-

besque aditus conceduntur. Sed, bone Deus, quàm miserabiles passim lanienas & tolerante Senatu, & tota connivente Republicâ sibi extruunt! Quid? sic-cine semper hominum oculi cæcutient? siccine tanti impietati locus erit? siccine ejusmodi carnifici-bus per hominum mortes sua agere experimenta li-cebit?

heu quo nunc mentes rectè quæ stare solebant
antea, dementi sese flexêre ruinâ?

Robert. Fevin. de abus. Medic.

LVI.

Asini, (mirum!) ad Lyram Medicam nati.

Ad Medicinam omne ingenium satis esse credunt; in aliis disciplinis vix proficiunt sine Doctore, & constat, qui sensu doctrinæ percipiendæ destituti sunt, eos informari liberaliter non posse: medici evadunt etiam in cunis, nec facilè invenias surdum, mutumque, quin se medicinarum peritum simulet, adeò, ut etsi in omnibus aliis falsum sit illud Platonicum, Pythagoricumque, de Animabus corpore prioribus, milleque annos, antequam in lucem veniant, omnia naturæ arcana scrutatis, singulaq; mundi loca emensis, unde postea corporibus immersæ non discant, sed recordentur saltem: in Medicina tamen verùm esse, judicari non ineptè possit.

XVII.

Lutosorum Medicastrorum una fidelia, unum calopodium.

Usus enim Magister in Poësi, in agricultura, nautica, sutoria, architectonica, & similiter aliis artifices

fa-

facit, nec licet præcepta cognoverit tyro & memoria teneat, feliciùs veterano, nisi exercendo ἕξιν acquisiverit, benèque agendo firmaverit, artis Magisterium sibi rapere audet & confidenter arrogare; qui vix in transcursu gustavit lympham pæoniam & lutum figulinum subtiliter paulò eluere potest, è vestigio Medicus est, & terras sigillis premit, & uno remedio omnes sanat morbos, quasi uno calopodio, cothurnoque adversus quælicet mala omnem muniturus pedem & eadem fidelia omnem inducturus incrustaturusque parietem.

Libav. in præfat. Neoparac.

LVIII.

Scita Pseudo Medicorum cum Tragœdiarum personis comparatio.

Sed hæc est artis Medicæ fatalis quædam conditio, ut perpetuò sub ea lateant homines φιλάργυροι, & impostores audacissimi, qui non artis cognitionem affectent, sed ex artis umbra ac titulo, solum lucrum & unicum turpem quæstum venentur. Tales, Hippocrates *(a)* personatos Medicos appellat, simillimosque iis ait, qui in Tragœdiis introducuntur: ut enim hi ludiones, figuram, faciem & stolam referunt ejus, cujus personam agunt, ipsi autem verè non sunt illi: ita & Pseudo Medici, veste oloserica, annulis rubroque pileo decori, falsa & ficta artis ostentatione, apud ignobile vulgus, indoctosq; proceres, titulum personamque Medici sibi vendicant: quam, si illis exutis, ademeris, sub illorum personâ, aut Judæum perfidum, aut Monachum apostatam, vel omnium bonarum artium ignarum parochianum, ac id genus farinæ homi-

minum latére animadvertes, qui nihil non audent, quô ab afflictis ægris, per fas & nefas, pecuniam emungant. O ſceleratum pecuniæ aucupium, quid non mortalia pectora cogis audere? hi ſacroſanctam Medicinam, præclarum ſummi Dei donum, temerariis ac nefariis ſuperſtitionum nugis, & incantationibus conſpurcare non erubeſcunt! (*b*) Complures verò hujuscemodi, in omnibus propemodum vicis reperiri, nec novum, nec admirandum eſt, quando nec illæ antiquiſſimæ, Hippocratis & Galeni ætates, nec ullum poſterius ſeculum, à talibus Harpyis fuerit vacuum & in hac artium ſola, quod Plinius (*c*) ſcribit, eveniat, ut cuicunque Medicum ſe profeſſo, credatur. (*d*)

a) *in Lege* b) *Lang. l. 1. ep. 1.* c) *l. 24. c. 1.* d) *Dodon. in præf. legumin.*

LIX.

Bullæ, ampullæ & ſesquipedalia Medicaſtrorum verba.

Quis enim quæſo hominum eſt, qui vitreas verborum bullas, jactando artis Medicæ aliquam ſcientiam & cognitionem, non dico exiguam ſed perfectam, non vendicet, non arroget, non aſſignet ſibi? quis eſt, qui ægro de dolore ex morbo contracto, multùm conquerenti medelam adhibere non geſtiat? quis eſt quem (fallacibus) ſuis experimentis, ſordidam gloriolam, inanem laudem, auram popularem captandi, anxius ardor, deteſtabilis libido, execranda cupiditas, non rapiat? non teneat? non inflammet? adeò enim omnes homines, viri æquè ac fœminæ, ſenex æquè ac juvenis, anus æquè ac virgo, peritus æquè ac imperitus, Medici videri pruriunt, ut ſi omnes, qui

artis

artis Medicæ cognitionem atque ſcientiam falſo nomine ſibi adſcribunt, eamque nullis, nec practicæ nec theoricæ Medicinæ adminiculis inſtructi, non ſine exigua decumbentium clade, impudenter exercent, numero comprehendere velis, prius quot fluctibus mare à condito ævo agitatum ſit, ſermone atque oratione expedias, adeo in infinitum Medicorum ſe numerus porrigit, ut major ſit, quam ut ab hominibus conſiderari poſſit.

Zach. Palthen, in præf. tract, Seidel. de morb. incur. cauſ.

LX.

Medicorum turba, & ex libro Medici, quare Impoſtorum dulcis nutricula, hominum opinio.

Hinc illa infelicis monumenti inſcriptio, turbâ ſe Medicorum periiſſe. Sed audiamus Platonem, absque omni dubio ſapientiſſimum virum: *(a)* SOCR. Si quis ad ſodalem tuum Eriximachum, aut ad patrem tuum Acumeum progreſſus dicat, ego ſcio talia quædam corporibus adhibere, ut & calefaciam ſi velim, & frigefaciam, & ſi mihi videatur vomere faciam, & ſi rurſus videatur efficiam, ut deorſum per alvum fiat egeſtio, & alia multa hujusmodi, & cum hæc ſciam, pro Medico haberi volo, & alium Medicum facere poſſe me jacto, cui harum rerum ſcientiam tradidero; quid putas his auditis dicturos fuiſſe? PHOED. Quid aliud, quam interrogaturos, an inſuper etiam ſciat, & quibus oportet & quando & in quantum ſingula hæc facere? SOCR. Si igitur dicat, quod nequaquam hoc ſciat, ſed oportet eum, qui hæc à me didicit,

cit, per seipsum facere posse ea, quæ tu proponis, quid dixerint? PHOED. Dixerint, arbitror, insanit homo, & ex libro, alicunde doctus, aut in medicamenta collapsus, Medicum se factum esse putat, cum nihil in arte sciat. Ecce *(b)* nihil affirmat, talem impostorem scire in arte, cum tamen multa nominaverit, quæ revera ad Medicum pertinent. Fit igitur ex tam pravâ & insulsa opinione, quam de Medicina passim homines conceperunt, ut eam non artem, sed nescio quid leve tantum & fortuitò collectum esse putent, & nullo discrimine, nullo judicio, nullo delectu, quibuslibet, qui pro Medicis se venditant, se suamque salutem committant, ac plerumque deterioribus: hi enim artificia tenent, aucupandi rumores, favores & applausus imperitæ plebis.

a) *In Phædr.* b) *Seidel. de morb. incur. p. 70.*

LXI.

Torquati & stentorei impostores forenses.

Qui enim omnes Germaniæ urbes, nundinarum tempore frequentarunt, non possunt non ingentem ejusmodi impostorum & blatteronum concursum satis mirari, qui, ut misera credulaque plebe (quæ cultu splendidiore, concioneque impudentiore autoritatem hominibus addi putat) faciliùs abutantur, & illius mentem, oculosque eludant, conscensis equis, erogato è purpura amiculo, aureisque torquibus conductis (quorum collum laqueus potius ornaret) *(a)* splendentes, magna nebulonum famulorum stipante caterva, in publicum prodeunt, eminentiores urbium plateas affectant, & quoties de medicamentorum suo-

rum

rum dotibus aliquid deblatterandum est, tantum plerumque vociferantur,

——— *quantum novies deciesque*
mille viri clamare solent, qui pralia miscent,

nihil non nugarum comminiscuntur, nihil non mendacii effutiunt: quo suos popello fumos venaliores reddant. Clamat hic, ac verum Deum testatur, se meliorem orbis partem peragrasse, & suo medicamento quosvis obvios, quantumlibet malè affectos, tridui spacio salvos & incolumes restituisse. Ille Imperatoris, Regum, Principumque amplissima diplomata, suarum curationum certissima testimonia, μυρεπωλίων frontispicio appendit & explicat, nonnulli expositis in publicum animalibus ignotis, suam in medendo artem confirmare contendunt. *(b)*

a) *Armbrust. praf. de cathart.* b) *Fevin, de abus. med. p. 9. & seq.*

LXII.

Circumforaneorum theriaca.

Cum circumforanei suggesta ascendunt, coram populo, quem dolis capere intendunt, ostensuri, quod venenum æquè ac panem innoxiè sumant, multis cavillationibus, atque insidiis utuntur. Primus itaque dolus, quo nituntur hujusmodi fraudulenti impostores, est, quod cum sciant, venena non posse, nisi parùm nocere, ubi ventriculus fuerit cibis valdè repletus, priusquam suggestum ascendant ad saturitatem usque, præsertim æstate, lactucas crudas devorant, sale, aceto, & oleo conditas, verùm olei tantùm imponunt, ut ferè in eo innatent lactucæ. Et quia hyeme, maximè urgente bruma, tenellæ lactucæ, difficilè pas-

ſim inveniri poſſunt, ideo earum vicem his præbent, interanea boum præpinguium, quorũ tantam comedunt copiam, quoad ventriculus, veluti tympanum extendatur. Id autem eo conſilio faciunt, ut hæc quidem jurium pinguitudine, eorumq; ſubſtantiæ craſſitudine, illæ verò frigiditate ſua, oleique multitudine, quam illis adjiciunt, præterquam quod veneni penetrationem inhibent, cum internas vias obſtruere poſſint, erodentem quoque ingeſti arſenici, vel riſagalli, ſeplaſiis vocati, acrimoniam obtundunt & hebetant. Cum igitur venenum ſumſerint, quod illis ob præaſſumti alimenti vim, nullam aut parvam noxam adfert, nempe quod ventriculus ſit tenſus & pinguedine imbutus, mox ſuum adulteratum antidotum (quod omnino legitimam Theriacam mentitur) aſſumunt, idque impunè. Quo fit, ut facile poſtea populo aſtanti perſuadeant, id eſſe antidotum omnium præſtantiſſimum, contra omnia venena, quod in univerſo orbe reperiri poſſit. His, leves vulgi animi perſuaſi, accenſique majore multitudine ac impetu feruntur, ut adulteratam, invalidam, veramque mentientem theriacam emant, quam ii, qui in maxima annonæ penuria, eo catervatim concurrunt, ubi plurimum panis, gratis, omnibus exhibetur. Itaque cum temporis momento capſulam hac impoſtura exhauſerint, ſtatim è ſuggeſtu deſcendunt circumforanei, ſeſéque in hoſpitium recipiunt, ubi cùm primùm fuerint, arſenicum paulò ante ſumtum, una cum lactucis, aut bubulis interaneis, arte quadam evomunt, neque aliud illa die aſſumunt, quam lac, quod tantùm ſæpius alternatim potant, vomuntque ac revomunt. Tantum poteſt in improbis hominibus auri cupiditas,

tas, ut spontè consultoque in manifesta vitæ discrimina ferantur.

LXIII.

Altera impostorum fraus.

Fraus altera, quam isti facinorosi perpetrant, ita se habet. Ii, una aut duabus horis, antequam suggestum ascendant, in foro Pharmacopolium quærunt, illudque foro, in quo sermonem populo habere volunt propinquius eligunt, atque ubi jusserint Pharmacopolæ, sibi arsenici capsulam adferri, ejus duo aut tria frusta seligunt, pro ut sibi magis expedire videtur, quæ postea charta involvi, & in eandem capsulam reponi mandant. Quo facto, pharmacopolam rogant, ut cum in suggestum ascenderint, arsenicum illud repositum dare velit puero, quem ad eum miserint. Porrò, in forum abeunt, verba facturi, ubi suam spuriam Theriacam ad cœlum usque miris laudibus efferunt, at mentientes. Ad hæc, ut rem magis verisimilem reddant, puerum, vel è circumstantibus quempiam, ad pharmacopolium mittunt, qui venenum antea ab ipsis selectum deferat. Interea ingentem capsulam in suggesto stantes aperiunt quam habent vasculis pravæ illius theriacæ plenis refertam, cujus operculo intus adhærent, cera subposita, varia cujusdam miscellæ frusta, ex sacharo, quod candidum vocant, amylo, aliisque innoxiis medicamentis, miro quodam artificio confecta; quæ prorsus & facie & magnitudine referunt illa veri arsenici frustra, quæ prius iis in pharmacopolio selegerant. Levant autem isti hominum proditores operculum à capsula, quo fraudem melius occultent, in sugge-

sto

ſto ſtantes, ſiquidem ſummo cum artificio, internam operculi partem, cui adhærent illius miſcellæ fruſta arſenicum mentientia, verſus ſe trahunt, ne quis eorum fraudem deprehendere poſſit. Deinde ſtatim in manu ſocii, aut pueri, quos doli miniſtros habent capſulæ operculum collocant: quod eorum alter, aperta manu perquam eleganter ſuſtinet, parte pſeudo-arſenicum continente, cælum verſus reſpiciente, idque ne quis dolum intueri poſſit. Interea redit nuncius, Arſenicum legitimum à pharmacopolio deferens. At, qui iſtud accipiens, artis captioſæ magiſter, ſtatim illud populo oſtentat, longa atque mendaci oratione. Qua perfecta ad experimentum tranſit, perpetuò doloſè procedens: quandoquidem ſimulans, ſibi opus eſſe expeditis manibus, manicas ex murice, vel ſerico proditore, quo plerumque veſtiuntur, ad cubitum uſque convolvit, ea tantum ratione, ut arſenicum verum, dum hæc agit, ſuper operculo prædicto, pſeudo-arſenicum continente repo-nat, abdatque: quod ob operculi circuli altitudinem nullo pacto infernè à circumſtantibus videri poteſt. Obvolutis itaque manicis, brachiiſque denudatis, ac tenui linteolo humeris impoſito, jubet aquæ vel vini poculum adferri, & relicto in operculo arſenico vero, factitium innoxium, fraudulenta manu capit, quod gladio minutim incidit, & vino vel aquæ parati cyathi commiſcet, & denique tutiſſimè bibit. Atque ita fraudem hiſce coloribus exornatam ſpectantibus perſuadet, ut nullus dubitet, quin ille mortiferum arſenicum hauſerit, quod ex Medica officina delatum fuerat.

LXIV.

LXIV.

Historia fraudis.

Memini me olim unum ex his vidisse, qui venenum simili modo adulterarum puero exhibuerat suo, & cum simularet, se ei opem ferrè nolle, donec pulsum amisisset, & in mortis discrimine versaretur, ut suæ falsæ atque adulteratæ theriacæ majorem compararet existimationem: cum præterea versutum puerum admonuisset, ut anhelitum compesceret, idque ut facies ejus colore mutaretur, quin & interim oculos obverteret, & os, ac cervicem contorqueret, ad se vocavit astantem Medicum, haud acris callidique ingenii, in ea civitate, ubi id mihi contigit vidisse, receptum habentem, qui pueri pulsum tangeret, ut omnibus testaretur, quòd pulsum amisisset. Quod cum fecisset bonus ille Medicus, jam imprudenter factus circulatoris leno, omnibus testimonium perhibebat, se nullum pulsum in eo invenisse: quippe qui nusquam fortè legerat, quod arte etiam possit intercipi pulsus, cum tamen id scriptum reliquerit Galen. l. 6. de plac. Hipp. & Plat. ubi sic inquit: Eadem natura in Arteriis cernitur: nam etiam ipsæ, perinde ac nervi, aut incisæ, aut laqueo interclusæ, pulsu omni, micationeque orbantur. Ex quibus sanè verbis tùm comminisci potuisset, quod facilè laqueata essent brachia, & proinde interceptus arteriarum pulsus, quæ per brachium ad manum excurrunt. Siquidem astringentes laquei ab iis nebulonibus adeò callidè, subdoléque aptantur, ut versato quodam ferreo globulo supra cubitum, extra manicas latente, stringantur admodum atque laxentur. Id quod facilè

cilè ab eo fieri poteſt, qui puerum ſemimortuum ſe ſimulantem, brachiis ad ſpectaculnm ſuſtinet. Tali igitur fraude aſtringebantur fibulæ, ubi pulſum intercipere animus eſſet: laxabantur autem lentè, cùm jam verſutiſſimus puer ex Theriaca aſſumta, in priſtinam ſuam conſtitutionem reſtitui ſimulaſſet. Unus etenim, isque inſignis ex his, qui venenum innoxiè devorare profitentur, cujus oſſa lues gallica non immerito depaſcebatur, cum à me in ſanitatem redigi exoptaret, inter curandum, mihi id ab eo expetenti, omnes has fraudes, quibus hoc flagitioſum hominum genus utitur, ut pecuniam extorqueat, libentiſſimè patefecit.

Mathiol. comment. in præf. l. 6. Dioſcor.

LXV.

Medicinæ & hujus Profeſſorum deſpectus unde?

Omnes igitur errones circumforaneos, atque impoſtores publicos exterminandos cenſeo, qui non verentur in hominum vitas, ac corpora graſſari, atque ut habet proverbium, in vaſis jactura artem figulinam experiri: hoc eſt, ut Plinii verbis utar, (a) hominum periculis diſcere, & per experimenta fallacia, ac conjecturas mortem hominibus inferre, quorum culpa ac temeritate efficitur, ut Medendi ars (quam inter dona Spiritus Sancti D. Paulus (b) refert, & qua poſt S. dogmata nihil mortalibus excogitatum eſt ſalubre magis ac neceſſarium) una cum Profeſſoribus deſpecta ſit, & negligatur.

a) *l. 29. c. 1.* b) *1. ad Cor. 12. v. 28.*

LXVI.

LXVI.

Lex & natura impostoribus adversa.

Quare appositè Persius; (*a*)

Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
stat contra ratio, ac secretam gannit in aurem,
ne liceat facere id, quod quis vitiaret agendo,
diluit helleborum, certo compescere puncto
nescius examen, vetat hoc natura medendi.

a) *Sat. 5.*

LXVII.

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

Quocirca felices fore artes Plinius pronunciavit, si de iis solùm judicent, easque tractent artifices, atq; harum periti. Cum autem in extruendis ædibus architectum deligamus solertem, atque industrium: in dirigenda nave nauclerum expertissimum: in bello gerendo Duces exercitatos, ac strenuos: in expolienda lingua præceptorem eloquentem: in mente instituenda, formandisque moribus moderatorem optimum: cur in morbis expugnandis, in sarcienda tuendaque sanitate, triobolares circumforaneos, ac deliras anus admittimus, quibus corpus nostrum trucidandum exponimus, animique domicilium diruendum efferimus: adeo nemo non artis Medicæ peritiam sibi arrogat, ejusque possessionem exequitur.

Lemn. l. 1. de occ. nat. mir. c. 17.

LXVIII.

Agyrtæ Monetarii sunt, Dei imaginem corrumpentes, ob id preciosi.

Quid? qui turpis lucri gratia, auream vel argenteam monetam alicujus Principis corrumpunt, vel diminuunt, comburuntur publicè, aut in fervidam aquam vel oleum conjiciuntur. Scelestissimi vero nebulones, qui non pecuniam tantùm, sed imaginem summi Principis, id est, Dei ipsius sæpè adeò dilacerant, dilaniant ac corrumpunt, ut tandem commoriantur ægri, in precio habentur, etiam à Nobilibus, qui eorum fraudes non animadvertunt: hi enim apud plurimos in honore sunt, atque dolo & fraude ditantur, ad hos concurrit undique turba multorum.

Forest. l. 2. de incert. urin. jud. c. 3.

LXIX.

Excursus vel digressus ad οὐροσκόπους.

Sed, quousque tandem Uropotæ, qui ex urinis omnium morborum cognitionem petitis, abutemini silentio nostro? quam diu omnem populum ignorantia illa vestra eludet? quem ad finem se jactabit, & quid quæret animus vester audacissimus? nihilne vos commune periculum Imperii? nihilne Rerumpublicarum ordinationes, quæ omnem fallaciam prohibent? nihilnè calamitates? nihil damnum populi? nihil peritiorum, qui fucum vestrum vident, authoritas? nihil eorum, quos decepistis, gravioribusque morbis afflixistis, ora vultusque movebunt? patere vestram inertiam non putatis? manifestam jam, omnium bonorum animis vestram temeritatem

tatem non videtis? quo fructu huc usque urinas inspexeritis, quem ignorare arbitramini? ô tempora! ô mores! Magistratus intelligit: Principes vident: hi tamen in sua malignitate pergunt; pergunt: imò verò etiam suam inscitiam defendunt, ab aliis nihilominus vocantur & consuluntur, & interim tamen fallunt unumquemque ægrotum. An verò, qui unum aliquem hominem mediocriter labefactavit, puniendus? Uropotæ vero tales, qui innumeros decipere consueverunt, in Republica inter bonos ferendi? an ii cives Reipublicæ habendi, qui pecuniam aliorum exugunt, & facultates eorum abliguriunt, quorum causâ plurimi alii cives mori coguntur?

G. Adolph. Scribon. de Urin. inspect.

LXX.

Spartam, quam quisque nactus, hanc ornet.
Non enim sutor ultra crepidam.

Beata ergò æstimanda est ea Respublica, in quâ
Navim agere ignarus navis timet, abrotanum ægro, non audet, nisi qui didicit, dare, quod Medicorum est promittunt Medici. ——— (a)

Nam præterquam, quod suâ quisque contentus sparta, eam, quo potest studio & diligentiâ ornat, nec in alienos fines insiliens, cujusquam odium contrahit, aut jurgia turbasque concitat: id etiam utilitatis inde accidit, quod omnia judicio rationeque præeunte, cum artium legibus & cujusvis applausu perficiuntur, nullusque periculosæ fortunæ casibus, ac damnosæ temeritati locus relinquitur. *(b)* Quo uno bono, quid Reipublicæ magis exoptandam putamus? contra verò quæ gravior mali labes, quæ funestior pestis

in Republicâ graſſari poteſt: quàm ſi ſutor cum Apelle, de pictura, (*c*) aut faber cum Stratonico citharædo de Muſica, contendat? quàm ſi, ut Galenus (*d*) conqueritur, tinctores proprio magiſterio relicto, in Medicinæ opera temerè involent? non dubium eſt, quin illicitam ejusmodi artium uſurpationem, tandem conſecutura ſit, omnium rerum non mediocris confuſio: hac ſiquidem libertate cuivis conceſſâ, propoſitam quoque graviſſimorum in qualibet arte errorum anſam, quis non videt?

a) *Horat. l. 2. ep. 1.* b) *Fevin. de abuſ. med. p. 1.* c) *Plin. l. 35. c. 10.* d) *l. 1. meth.*

LXXI.

Sit quævis profeſſio conſtans.

Quare animadvertentes hoc, in benè conſtituta, nec ægrotante Republicâ Procerum prudentiores, & πολιτικώτεροι, viam ejusmodi artium uſurpationi, propoſito in multis magiſterio, intercluſerunt, cautéque caverunt, ne quis calceum conſuat, ne quis ſcrinium, ne quis veſtem, ne quis lanificium, ne quis panem conficiat, breviter, ne quis à profeſſione ſua alienum quid moliatur, cujus diſpendium cives fraude afficiat, ac ſuæ peritiæ facto ſpecimine, magiſterii gradum conſequeretur, artemque publicè profiteri auderet. Ex legum authoritate, datur redhibitio, ſi quis fucum in panni tinctura, aut ejusmodi mercibus fecerit, & qui quotidiè in humana corpora perniciosas artes exercent, impunè fovemus. Olim nemini vulnus retegere licebat, niſi experto, & qui artis ſuæ teſtimonia publica edidiſſet: nunc totum corpus explorandum, tractandum, torquendum cuilibet, levi ali-

aliqua ſuſpicione, Medico, veterinariis & vetulis tradimus. Imaginem noſtri pingendam, non facilè alicui committimus, ni probato prius artifice, & viſcera noſtra, imperitis lanionibus ſubjicimus, tam iniqua fata, artem Medicam, omnium præſtantiſſimam, hodiè premunt.

Lub. Eſth. in praf. de comp. med. phil Schopf. in praf. l. de lepra. Fevin. l. c.

LXXII.

Tractent fabrilia fabri.

Si enim calcei tibi diſrupti ſint, dic mihi, numquid fabro lignario conſuendos eos trades? ſi domus tua minetur ruinam, ac eandem velis trabibus ſuſtentari, numquid hanc rem committes calceario? hæc tamen cum vitâ comparanda non ſunt. Si domus malè ſuſtentetur, ac deinde rurſum cadat, nova conſtrui poteſt; ſi calcei malè conſuantur, nihil niſi corium deſtruitur.

Foreſt. de incert. urin. jud. l. 2. c. 5.

LXXIII.

Homicidium irrevocabile.

Si autem Medicus aliquem per ignorantiam, vel pervicaciam inflexibilem occiderit, quomodo deinceps id damni reſarciet? quantam & quam exactam Deo eſt redditurus rationem? ſi quid ab uno Theologo erratum ſit, ab altero corrigitur: Si à Juriſperito, ſuccurritur æquitate judicis, reſtitutione in integrum: quod verò à Medico, quis corriget? homini extincto quis adferet remedium?

LXXIV.

Medicinæ subjectum nobilissimum HOMO.

Quisquis igitur Medicum se vocari cupit, cogitet magnum esse, & plus Dei, quam hominis: nam arti Medicæ, in hominum corpora, vitæ ac necis quasi potestas, jus summum permissum est, nec ulli unquam, vel Regi vel Imperatori in homines tantum licuit. Ideò omnes ægri, Medicum talem postulant, clamant & requirunt, qui prudentissimè atque amantissimè, quæ suæ sunt fidei & potestati commissa tractat. Quanta enim & quàm præsentanea pestis est, si divinæ huic arti adjungatur inscitia?

I. Lud. vives l. 4. de trad. discipl.

LXXV.

Homo, naturæ miraculum.

Barbarus ille Abdalas, interrogatus, quid in hac mundanâ scenâ maximè putaret admirabile, non barbarè, sed sapienter respondisse fertur: Humanum corpus, ob majestatem, omnem admirationis captum excedere, quippe cum magni istius Mundi simulachrũ sit, possit Prothei cujusdam aut Chamelæontis more, sese, in quodvis subitò transformare; unde Philosophus hominem, potestate omnia esse dixit. Favorinus nihil in terris magnum, præter HOMINEM, affirmavit; *(a)* Imò Ægyptius ille Philosophus, Hermes (quem Latini Mercurium vocant) appellatus, (qui ea profiteri creditus est, quorum scientia & possessione homines fierent ter maximi: fiduciâ enim hujus prærogativæ τρισμέγιστος *(b)* est nuncupatus) Hominem etiam secundum Deum est vaticinatus. Ut enim in nu-

numiſmatè charagma Cæſaris: ſic in homine Dei conſpicitur ſculptura. *(c)*

a) *Laurent. præf. op. Anatom.* b) *Libav. præf. l. 2. ep.* c) *Paræus de præſt. homin. p. 57.*

LXXVI.

Hominis epitheta & finis.

Imò Protagoras, πάντων χρημάτων μέτρον, & Theophraſtus Univerſi exemplar & Mundi epitomen: Syneſius horizontem corporeorum Hominem nominavit. Rectè ergò Sapientum ſententiâ, communique conſenſu jam dudum approbatum fuit, Deum per ſe eſſe, at hominem propter gloriam Dei creatum.

C. Bauhin. orat. de homin. & anat. corp. vir.

LXXVII.

Hominis gratiâ omnia.

Quemadmodum enim quæ in terra ſunt & generantur, ſingula hominis, non aliter, ac vagina, gladii gratiâ facta, nempe fruges, ut vitæ inſerviant, equi vehant, arent boves, cuſtodiant canes, Aves & Piſces eſcam porrigant, ovium pelles, earumque villi textis indumenta præbeant: ita Homo, ad Deum contemplandum, & imitandum, à quo, ad hoc potiſſimum, rectam conſtantemque rationem nactus, eſt conditus.

Jeſſen. in dedicat. anatom. A. 2. b.

LXXVIII.

Homo adſpectabilium omnium eſt præpoſitus.

Eſt ſanè, ſi quod res eſt, fateri volumus, ἄνθρωπος, non ſolùm θαυμαστὸς, ſed θαυμαστωθεὶς, ſummâque admiratione à ſummis & maximis cujusvis ætatis habitus. Nec immeritò. *(a)* Homo enim omnibus adſpe-

ſpectabilibus præpoſitus auctoritate divinâ eſt; excellit quidem ille, tùm rationis, orationisque facultate, tum ſpecie corporis eximiâ; ſed creatoris voluntate judicioque magis; hujus enim imago eſt, in hoc elucere divinitas voluit: *(b)* quamvis hæc divinitas affectuum impotentiâ lateat, & nimio corporis commercio ſtupeat & titubet. Pythagoras dicebat, nos è divinâ mente decerptos & delibutos animos habere: & Aratus, *αὐτοῦ γάρ γένος ἐσμεν.* *(c)* Eſt enim in animis humanis rationis apex, quem mentis florem vocârunt Antiqui: *(d)* Ergò qui hominem admiratur, Deum admiratur, qui totius Magni Mundi epitomen propoſiturus, hominem veluti parvum Mundum creavit: qui illum noverit, hunc noverit, cum ad ejus imaginem efformatus ſit. *(e)*

a. e) *C. Bauhin. ded. Theat. anat.* b) *Libav. præf. l. 2. epiſt. chym.* c) *Apoſt. Act. c. 17. v. 28.* d) *Heürn. de aff. cap. p. 350.*

LXXIX.

Homo opificis ſui imago, & velut alter Deus eſt.

Quemadmodum enim Apelles, celeberrimus olim pictor, cum pulcherrimam illam ac admirandam Veneris imaginem deſcriberet, clavum fixit, quem qui auferret, totam ipſam diſſolveret: in ejus verò clavi ſummâ parte imaginem ſuam pinxit: ita Deus ille Opt. Max. cum venuſtiſſimam hanc Mundi Oeconomiam fabricaſſet, tanquam coronidem aut colophonem adjecit Hominem, in quo ſuam imaginem poſuit, ex cujus inſpectione artifex cognoſceretur: ut ſi verum dicere fas eſt, humanus animus, Deus quidam, parvo corpuſculo concluſus videatur.

Donzell. in præfat. comm. Jacob. in l. 9. Rhaſ. Heürn. l. c.

LXXX.

LXXX.

Ex homine Dei & Naturæ notitia.

Hinc Zoroaster, antiquissimus ille Philosophus & Rex (qui Nini temporibus emicuit) veteris Theologiæ scientissimus inventor, Magicarumque artium, si Plinio credimus, in Perside primus, in Magiâ suâ, hominis admirandam fabricam & immensam illam perfectionem contemplatus, in hanc exclamationem prorupisse creditur:

ὦ τολμηροτάτης τῆς φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα!

nimirum ipsam adeò naturam, per quam nos veriùs, Deum Opt. Max. primum illum omnis naturæ τεχνίτην, hominisque protoplasten intelliglmus, audaciæ accusare ausus, quòd tàm admirandum opificium moliri sit ausa.

C. Bauhin. l. c.

LXXXI.

Homo præcipuum Dei opificium.

Quicquid enim in Mundo se profert, quamlibet concinnè atque affabrè factum, nulla ratione comparari, componique hominis præstantiæ potest, adeò ut hinc præcipuè sumi voluerit sui æstimationem Deus, suæque divinitatis specimen exhibere mortalibus, hoc est, ex sua cujusque mente, suique notitia perduci nos voluit, in cognitionem, tantique operis reverentiam. Nihil enim expressiùs repræsentat Deum, quam mens hominis, quâ ad imaginem ac similitudinem ejus est conditus. Est siquidem homo, expressissimum Dei simulachrum. Quamobrem, ob externum, internumque ornatum, atque amplissimas dotes μι-

χρόκοσμ⊕ dici meruit, quod in hunc cumulatissimè omnia profuderit, munificus ille rerum parens, atque opifex Deus. Hujus enim causâ, omnia producta in lucem, illiusque usui cuncta patent & sunt exposita.
Lemn, l. 1. de occ. nat. mir. c. 2.

LXXXII.

Artificum elegantia opera, sed ficta.

Laudari solet superba regii alicujus palatii structura, si materia ex variegato marmore, preciosissimo auro coruscante & gemmis radiantibus desumta, concinnâ formâ sit disposita. Attonitos reddit idiotas, Jovis olympici splendor, auro & ebore lucidissimo undique ádmirabilis, & statuæ insolita magnitudo, quæ si ex luto conglutinata esset, insalutatam præterirent. Artifices autem Debutadis Sicyonii, vel Phidiæ alicujus argillam, lignum vel lapidem, artificii pulchritudinem æstimantes, facilè præferunt.

LXXXIII.

Hominis verò admiranda, nec ficta, nec picta structura.

Deus cunctipotens, ut suæ nos admoneret potentiæ, nostræque originis & imbecillitatis, ex rudi limo terræ, corpus Adami effinxit, obrizo auro, scythicis & indicis gemmis, & rubentis maris granis cadentibus præcellentius: nostra verò corpora, ex tribus seminis guttulis, & tantilli sanguinis, lactis in morem fusis, & casei ritu *(a)* coagulatis efformat, & ex eâdem materiâ ad sensum similari, tot tamque diversas partes producit.

a) *Sapient. c. 7. v. 2. Job. c. 10. v. 10.*

LXXXIV.

LXXXIV.

Humani ædificii basis & columnæ.

Ossibus præterea plusquam ducentis, ceu palis & columnis, totius corporis ædificium suffulcit, cartilaginibus totidem articulos ferè omnes incrustat: ligamentis quam plurimis omnia vincit & connectit: membris innumerabilibus, tanquam corticibus singula vestit: nervorum plusquam triginta paribus, ceu funiculis quibusdam membrorum vastissimas moles non sine admiratione irrigat: arteriis ferè totidem, veluti tubis & aquæ ductibus, spumante sanguine & vitali spiritu partes omnes perfundit: musculis ferè quadringentis & diversi generis carnibus ceu tomentis vacua spacia explet, & viscera omnia obtegit, & recondit: cute denique omnia circumdat & colligat.

H. Petraus in orat. de anatom.

LXXXV.

Magnitudo potentiæ & sapientiæ Dei, in hominis fabricâ.

Quis hinc non admirandam Dei potentiam & inimitabilem sapientiam evidenter agnoscat? quis non cum Regio Prophetâ, velut œstro percitus exclamet? *(a)* ô Domine, quàm admirabilis est facta scientia tua ex me? quin non, cum eodem hymnum opificicanat? Confitebor tibi Domine, quia sapientiæ tuæ magnitudinem declarasti in corporis mei fabricâ? *(b)*

a) *Psalm. 139. v. 6* b) *v. 14.*

LXXXVI.

Homo μικρόκοσμος.

Sapienter ergò hominem μικρόκοσμον appellârunt

Veteres, *(a)* cum in se ea omnia contineat, quæ universus hic mundus amplissimo suo sinu coërcet ac cohibet: *(b)* (quia tanta ars in compositione hominis, quanta in mundo: unde etiam in homine oculus, qui maximè Solem *(c)* refert.) Ejus enim forma cæterarum omnium perfectionem complectitur, siquidem essentiam cum elementis: vitam cum plantis: sensum cum animalibus: intelligentiam cum formis divinis communem habet *(d)* ut rectè dixisse Sophocles videatur: *(e)*

nihilaquè stupendum ac hominem,
natura parens produxit unquam!

a) *Arist. l. 8. Phys. c. 17.* b. d) *Laurent. & Bauhin. in præf. op. Anat.* c) *Gal. l. 3. de us. part. c. 3.* e) *in Antig.*

LXXXVII.

Homo participium omnis generis.

Homo namque animalium omnium vires, perfectiones & temperamenta in se continet, estque medium generis, à quo omnia dependent, ad quod omnia referuntur & expenduntur. Sic multos in humano genere reperias, qui Struthiocameli ventriculo, alios qui corde Leonis, plures qui Canis, quam plurimos qui Suis, infinitos qui Asini naturâ gaudent. Alexander Macedo, tantâ erat præditus humorum symmetriâ, ut ipsius spiritus & humores, imò exanimum cadaver, naturale balsamum odoris fragrantiâ referret.

LXXXVIII.

In homine, ut puncto centrali, omnium inferiorum radices, & superiorum Ideæ nascuntur.

Sed

Sed audite majora. In homine, tanquam puncto centrali, nodo & fasciculo creaturarum omnium, non animalium solùm, haud parùm sæpè ex ipso nascentium, sed & vegetabilium & mineralium & metallorum species, radices & seminariæ rationes delitescunt, ut ex generationibus, transplantationibus, & nutricationibus plus satis elucescit.

LXXXIX.

Vegetabilia, Mineralia & Metallica in Homine.

Vegetabilia enim spiritibus balsamicis mineralium, animalia vegetabilium, & per has mineralium, homo verò propter quem omnia condita sunt, animalium, vegetabilium & mineralium, nutritur & augetur, quare ex iisdem etiam ut constet, ratio postulat. Florent itaque in homine & fructus sanitatis, vel morborum nuncios proferunt, melissa, violæ, chamædrys: puta spiritus cerebri, cordis & epatis: Urtica, Aron, Flammula: pustulæ, pruritus, herpetes. Fiunt in eodem quoque mineralium separationes, paroxysmis conspicuæ, vitrioli, aluminis, Salis gemmæ, Colcotaris, Tartari: nempe Lepra, Elephantiasis, Morphæa, Cancer, Esthiomenos, variis tincturis & signaturis sese prodentes. Nec desunt Aquæ generationes, Aurum, Argentum, Stannum, Cuprum, Ferrum, Plumbum: Cor, Cerebrum, Hepar, Renes, Ventriculus. Quin reperiuntur in corporibus nostris fodinæ, è quibus lapides eruuntur, Renum & Vesicæ calculi, non ad ædificandam, sed destruendam domum.

XC.

XC.

Angelicæ, cœlestis & sublunaris Mundi partium, cum homine harmonia.

Caput humanæ mentis Arx, Rationis sedes, sapientiæ domicilium, memoriæ, judicii, cogitationum (quibus humanũ genus intelligentiis est simillimum) officina, editissimum locum obtinens, an non supremam & angelicam mundi partem refert? Mediam & cælestem habes in thorace & medio ventre ad unguem expressam. Ut enim ad Solis accessum superiora collustrantur & inferiora vivificantur omnia: contra verò Sole de sede suâ digresso, horrescunt & ad interitum vergunt: ita & cordis perpetua motione, ejusdem vitali calore omnia vigent, lætitiarumque seges sese ostendit uberrima: eo verò curis, tristitia, metu, aliisque nebulis obfuscato & debilitato, omnia debilitantur & tandem pereunt. Sublunarem Mundi partem, in ventre inferiore expressam quis non non videt? in eo partes nutritioni, coctioni & procreationi, dicatæ continentur.

XCI.

Microcosmi Meteorologia.

Meteora in humano corpore haud haberi dices? mirabilis en cernitur analogia. Fulgores terrificos & coruscationes ignitas, excandescentium oculorum rubræ indicant suffusiones, & quæ inde emicant ἐκλάμψεις & effulgescentiæ? intestinorum rugitus, borborygmi, obmurmuratus, strepentes crepitus & ructus mille tonitruum species exhibent: ingruentem flatuum vim, ventorumque tempestates turbidas, cruditatum exhalationes, aurium sibili & tinnitus

præ-

prænunciant: in faucium ſpatia, laryngem, thoracem decumbens fluentis inſtar deſtillatio pluvias atque imbres denunciat? coacta rotundaque ſputa gradinis gerunt ſimilitudinem; lachrymæ rori aſſimilantur.

XCII.

Quatuor Elementa.

Quatuor elementa in corpore humano intueri cupis? Ignis elementum an non ex oculis emicat? an non in Spiritu vitali, in Animâ ipſâ exſplendeſcit? Aër in arteriarum Spiritu & partibus vacuis & carnoſis concluſus? Aqua in humoribus fluidis? Terra in oſſibus, ſolidisque partibus, quem latére aut ſubterfugere poſſit?

XCIII.

Stellæ errantes.

Stellarum errantium forſan ducatum in Microcoſmo deſideras? En! humectam Lunæ vim profluens cerebri refert medulla: Venereæ poteſtati genitales humani corporis partes inſerviunt. Mercurio vario, pariterque ingenioſo facundiæ & venuſtatis inſtrumenta deſerviunt: Solis & cordis maxima eſt analogia: benefico ac benevolo Jovi, humanum Epar, fons gratioſi vaporis, ritè confertur: Martis incendium & furorem fellis in ſe concipit veſicula: Saturni ſidus frigidum flaccida lienis caro, humoris melancholici receptaculum perpulchrè refert.

XCIV.

Quatuor humores & Maria.

Quinimò ſi modo fas, vela pandere, navimque altius in ſimplicia & mixta corpora, in quæ mundum

Peri-

Peripatetici partiuntur immittere, & ea quoque in Microcoſmo adumbrata quadantenus eſſe, haud facilè quis negatum iverit, cum ſpiritus humani corporis, cœlum quintam illam eſſentiam, quatuor verò humores, Bilis calida & ſicca Ignem: Sanguis calidus humidus Aërem: Pituita frigida humida Aquam: & Terram melancholicus ſuccus, frigidus ſiccus, exprimant. Sic Venter Hominis, Terra eſt, omniformium frugum ferax. Vena autem cava mare mediterraneum ſitu refert. Veſica verò eſt mare occidentale, in quod omnia flumina exonerantur, & ſal ſuperfluum reſolutum colligitur.

XCV.

Plagæ cæli, venti & quatuor orbis partes.

Sic homo Orientem habet in ore: Occidentem in ano: meridiem in umbilico: Septentrionem in dorſo: habet etiam ventos cardinales & collaterales, ex iſtis regionibus ſpirantes. Sic Europa, Africa, Aſia, & nobis nova America, in homine geographicè deſcribi poteſt.

XCVI.

Tria principia phyſica in homine.

Tria quoque rerum mixtarum hypoſtatica & activa principia, ſal fixum & coagulatum in hepate: ſulphur oleaginoſum & glutinoſum in corde: Mercurius volatilis & permeabilis in cerebro concentrantur, & mediantibus vaſorum vehiculis per totum corpus diſtribuuntur, imò arte etiam ſepararari, & ad oculum demonſtrari poſſunt.

H. Petræus in orat. de anat. Ch. Preibis. in præf. diſp. Somatol. Heürn. de aff. cap. c. ult. Donzell. in præf. comm.

Jacch.

Jacch. in l. 9. Rhaſ. Laurent. præf. op. anatom. Fr. Tidicæ. libr. ſing. de deſcr. hom. & mund. Tob. Knobl. diſp. 1. anat. c. 1.

XCVII.

Dei omnia plena.

Mirificam Dei ſapientiam & bonitatem quæ teſtentur, innumera ſunt, tùm in cœlo, tùm in terris documenta: adeo, ut quaqua verſum oculos conjicias, nulla mundi ſit particula, nihil tàm vile ſit & abjectum, in quo non, velimus nolimus fateri, expreſſiſſima ſapientiæ ac divinæ gloriæ veſtigia eluceant. Nam ſive animæ eſſentiam, tot præclaris dotibus inſignitam contempleris; ſive ad humani corporis ſtructuram, connexionem, ſymmetriam, pulchritudinem, ac denique uſum animum intendas; ſive ad perſcrutandos Aſtrorum motus, Siderum conſtantiſſimos ortus, temporum viciſſitudines oculos convertas, non in his omnibus maximè ſpectabile bonitatis & ſapientiæ Dei ſpecimen apparet? Quorſum tot diverſæ herbarum effigies, tam diverſi earundem colores, ſapores & odores varii, ac denique tàm varia & diſcreta in illis recondita virtus & efficacia, niſi ut hinc infinitam ejus Sapientiam & bonitatem colligamus & admiremur? Sapientiam quidem, quod omnia à ſe condita, tàm appoſitè, tàmque bono ordine fabricata, æternâ ſuâ, & inimitabili virtute fovet ac tuetur, atque ita, ut etiam minimas quasque res ſuâ providentiâ regat atque gubernet. Bonitatem vero, quod hæc omnia propter nos homines condidit, quos tàm indefeſſâ benignitate proſequitur, ut juxta paternam ſollicitudinem providentiamque, quic-

quid utile ac salutare illi prævidit fore, id totum præparârit. Circumsilit nos, ut inquit ille, morborum omne genus, circumferimus corpus omnibus morborum telis expositum. Ille juxta divitias misericordiæ suæ remedia monstravit, quibus subveniri possit infirmitatibus. Vix ullus morbus est, qui non habet sibi proprium aliquod ac peculiare remedium, quo aut imminens averti, aut jam præsens possit depelli, modo suo loco, tempore ac debito modo administretur. Cui hoc nisi divinæ bonitati acceptum ferre debemus.

Henr. à Bra, in præf. med. simpl. ad calc.

XCVIII.

Morosophistarum in Deum injuria.

1. *De fenestrato corde neglecto.*

Abeant proinde, valeant μωρόσοφοι, cum suo Deastro Momo, qui, sicut in domûs Minervæ extructione (*a*) id præcipuè culpandum arbitrabatur, quod non erat facta trusatilis, quæque facilè possit circumagi, si fortè malum haberet vicinum: ita in hominis structura, nescio quæ fenestrata expetiit pectora, ut omnes animi affectus (quorum alioqui tamen facies, vultus & oculi indicia) paterent. (*b*)

a) *Epicharm. l. 2. rer. Lyc.* b) *Knobloch. disp. 2. Anat. cap. 1. part. 10.*

XCIX.

2. *De homine nudo & inermi.*

Desinat in posterum iniquus operum Dei æstimator Plinius, beneficentissimam Matrem Naturam incusare, & duram Novercam appellare: quòd solum hominem in natali die nudum & inermem in nuda

da humo ad vagitus confeſtim & ploratum abjecerit: deſinat animalium dotes, cornua, ſquamas, ungues, ungulas, pennas tantoperè jactare. Plus enim homini confert manuum induſtria, quàm beſtiis impetus, mole ſuâ ruens, & tegumenta; plus ſermonis velocitas, quàm pennarum levitas, plus ratio, quàm Natura. Et profectò ſi Animalium virtutes cum homine conferantur, vix umbræ ſunt evanidæ.


Gal. l. 1. de uſ. part. c. 3.

C.

3. *De fortuito ex Atomis mundi & hominis ortu.*

Abeant blaſphema Epicuri volubilium atomorum adſertoris, ac veluti Mundum, nec ullâ ratione, nec Arte, nec fabricâ inſtructum, ſed Naturam rerum quibusdam minutis ſeminibus & inſecabilibus conglobatam clamantis: ita & hominem θείων χειρῶν πλάσμα δαιδαλιώτατον (quod tamen tàm neſcit, quàm humati ſui Dei γνῶσιν) caſu, & ex turbulento, fortuito atomorum concurſu factum eſſe, ſomniantis deliria.

T. Knobloch. l. c. part. 12.



CENTVRIÆ II.

Particula I.

Vita Etymon.

Vita dicitur ab officio vegetandi, Græcè ζωὴ παρὰ τὸ ζέειν, à fervore, quod vita in calore nativo, & humido fundata ſit.

Fr. Tidicæus tract. 2. de microc. p. 120.

II.

Mentis Etymon.

Mens dicitur παρὰ τὸ μηνύω id eſt, indico, ſignifico, patefacio, eò quod Mens pro ſuâ acrimoniâ, ac vi inſitâ ſuggerat nobis, ac dictet rationes, ac media, ad id quod inſtituimus facientia, ut Mens quaſi indicatrix rationum tali nomine appellata ſit. Intelligitur autẽ per Mentem, ipſa Anima intelligens in ſe ſpectata, extra relationem ejus ad corpus: ſed quatenus conſideratur, ut à corporis ſocietate libera, ſibi ſua eſt, & in cognoſcendo verſatur. *(a)* Germani hominem à potiore ſui parte, Mente, Menſch/ vocant. *(b)* Nemo enim, ut rectè ſcriptum eſt, homo is eſt, quem forma iſta declarat, ſed mens cujusque, is eſt quisque, non ea figura, quæ digito monſtrari poteſt. *(c)* Et, corpori tantùm præſtat mentis excellens perfectio, ut vix poſſit cogitari, quid interſit. *(d)* Celebre etiam eſt axioma: Mens *(e)* cujusque is eſt quisque. Unde & quæ planè ſine corpore ſunt Mentes, dicimus beatas, ipſum etiam Deum, Mentem æternam. *(f)*

a.f) *Tidic. l. c. p. 121.* b.e) *Haidfeld. Sph. Philoſ. c. 11.* c) *Cic. in ſomn. Scipion.* d) *l. 5. de finib.*

III.

Corporis humani & σῶματ☉ Etymon.

Corpus humanum Perſius *(a)* Metaphoricè Fagum appellat, ἀπὸ τοῦ φάγειν: quod perpetuo in paſtu eſſe cogatur, dum ait:

—— cum lapidoſa chiragra
fregerit articulos, veteris ramalia fagi. *(b)*

Σῶμα dictum quaſi σῆμα τῆς ψυχῆς ſepulchrum Animæ *(c)* quod in id conjectus Animus, velut ſepeliatur,

tur, & à mole ejus terrena obumbretur, atque aggravetur. Et Philo, ſeu quisquis Author eſt ejus libri, qui σοφία Salomonis inſcribitur, rectè pronunciat *τὸ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ τὸ γεῶδες σκῆνος βρίθειν νοῦν πολυφρόντιδα.* *(d)* At enim licet corpori annexus ſit animus & in hoc ſuo tabernaculo oſtrei more circumferatur: nihilo tamen ſecius divinitatis ſuæ, rerumque maximarum ſemina quædam etiamnum ipſe retinet, quarum dulci recordatione, quaſi igniculis accenſus, inſatiabili ſciendi & naſcendi cupiditate flagrat, annorumque progreſſu totum ſeſe in contemplandis rebus perſpiciendisque ponit. *(e)* Homerus vocat *σῶμα τὸ ἄψυχον, ἐπεὶ σῆμα τι ἐςὶ τοῦ ποτὲ ζῶντος* &c. *(f)*

a) *Satyr. 5.* b) *Zuving. Phyſiol. l. 2 c. 5.* c) *Riolan. in Battol. Quercet. c. 13.* d) *c. 1. v. 4.* e) *Sal. Albert. in Orat. de diſcipl. Anat.* f) *Hadrian. Jun. in Lexic.*

IV.

In homine unio Corporis & Animæ ſtupenda.

Hoc ſanè, cùm Animi, atque adeò Dei ipſius ſedes ac veluti Templum futurum eſſet, ita eſt conformatum, ut Cœlum, atque in Cœlo Solem, in Sole verò & Aſtris Authorem ſuum facilè aſpiceret, atq; agnoſceret: & lumine, ceu re cognata, ac familiari ſummoperè delectaretur. Quàm operoſa verò ſit hæc corporis compages, quàm apta, cùm ad uſum, tùm ad venuſtatem hæc lineamentorum conformatio; quàm admirabilis hæc coagmentatio, & ſtructura, quæ divinam mentis Naturam cum corpore ſic commiſit: ut inde abſoluta quædam totius Orbis imago conſurgat: ſatis nemo unquam intelligit.

Donzellin. in praf. comm. Jacch. in l. 9. Rhaſ.

V.

Animæ & Animi Etymon.

Anima & Animus dicitur ab ἄνεμῳ, quod ventum ſeu ſpiritum ſignificat, reſpectu ſpiritualis ejus eſſentiæ, vel ad eorum opinionem, qui animam ex aëre factam arbitrati ſunt: ideo Hippocrates *(a)* conjungit aërem cum Anima, hanc per illam ſignificari docens: unde & vitales auras nominarunt Veteres, vel, quia ut ſpiritus, ſeu ventus etſi præpotens ſit, mirabiliaque efficiat, oculorum tamen obtutum effugiat: ſic Anima quoq;, utut ſenſus noſtros fugiat, opera tamen edat talia, quorum admiratione nunquam exſatiari explerique poſſimus.

a) *lib. de Inſomn.*

VI.

Ψυχὴ *unde dicta.*

Ψυχὴ dicitur Græcis à frigoris ſignificatione, quod ψῦχῳ iis eſt: vel ad Thaletis Mileſii & Hipponis ſententiam, qui ex Aqua Animam eſſe opinati ſunt, vel quia ventus omnis, ſive ſpiritus vi ſuâ refrigeratoriâ, primo occurſu animal feſſum refocillet ac recreet: id quod & anima facit vel maximè, ut quæ animali vigorem ac vires addat, ac tueatur univerſas: inter animam autem & animum, etſi eandem rem notent, diſcrimen ponunt alii; ut anima ſit, quâ vivimus: animus verò, quo ſapimus: alii, inter quos Cicero eſt, ut animus animâ contineatur: ſitque animus ceu animæ facultas & vis: hinc in Phraſi eſt, animum addere, non animam: illud ratum eſt apud omnes ſapien-

pientes, animum solius esse hominis, animam cunctorum viventium.

Fr. Tidicaus in microcosm. tr. 2. fol. 120.

VII.

Animæ humanæ præstantia.

Anima humana immortalis est, propter excellentissimum suum gradum, uti aurum ignibus invictum, (cum reliqua metalla vincantur) in se potestate continet, reliquorum omnium vires, tincturâ perfectissimâ nobilitatas. Tota est, in toto, actu, & in qualibet ejus parte tota: sed potestate: ita tamen ut in aliis partibus una, in aliis alia facultas magis elucescat.

Zvving. Physiol. l. 2. c. 33.

VIII.

Anima unica, operibus in corpore varia.

Quamvis Animæ Substantia simplex sit, unica, incorporea & indivisibilis, nihilominus juncta corpori, plures & innumeras obire potest functiones. Neque tamen per hanc conjunctionem confusa permiscetur corpori, sed perpetuò illam suam tuetur unitatem, & in quibuscunque fuerit, ea ad suam vitam vertit, non ab iis vertitur, non continetur à corpore, sed illud potiùs continet, & qualiter lumen totum illustrat aërem, sic per universum corpus diffunditur Anima, operationum partium singularum causa.

IX.

Illustratio à luce & lumine.

Sicuti enim lux, in qualibet aëris parte, eadem, nullam admittit divisionem, pariter eadem & tota, virtute nempe, in qualibet corporis parte existit Ani-

ma. Demum, uti lumen, per varia delatum diaphana, diversimodè illa afficit & illuminat: eodem omninò pacto Anima ex diversis partibus compositum corpus permeans, pro aliâ atque aliâ illarum constitutione, diversissimè operatur, naturalis, vitalis & animalis evadens.

Jessen. Administr. Anatom. 1. p. 5. b.

X.

Animæ facultatum ex luce & calore pictura.

Lumen una numero res est, facultates cum ipso natæ Lux & Calor sunt: totum lumen lucet, totum lumen calet; reipsâ tamen in eodem lumine, lux à calore est distincta, nec calor in lucis naturam permixtus. Nam lucem oculorum sensu percipio, non calorem: tactu calorem sentio, non lucem. Nihil autem vetat dicere, lumen calidum est lucidum, & lumen lucidum est calidum: Ita & de Anima in concreto possumus dicere: Socratis Anima sentiens est intelligens, vegetans est in loco movens: cum tamen facultates de seipsis in abstracto prædicari non possint: causa ea est, quia δυνάμεις istæ singulæ toti Animæ quidem insunt, sed non omni, &c.

Knobloch disput. anatom. 22. cap. 1. th. 5.

XI.

Lux diurna, omnibus amica.

Luce vigent operosa artes, it miles in arma
luce, gemunt fessi sub jugo luce boves;
Delia non noctu venatur: nocte quiescunt
pulpita: sed luce est docta Minerva vigil,

Luce

Luce minax Pallas: vigilatæ quot bona lucis
corpora; Di, Sensus, Ingenium, Arsq; viget.
Quercet. diat. polih. sect. 2. 3.

XII.

Confidentia & Metus mira vis.

Confidentia & Metus aperiunt clauduntq; vias, ad interiora animi, faciuntq; ut vel promtius sese exerat vis medicamenti, & in arcem vitæ invadat, in timiditate & solicitudine de re eâdem: vel inhibent impetum: firmantque Naturam ad alacriter obsistendum. (*a*) Sed, an Confidentia ægri de Medico, conferat in ipsius salutem quæritur? Contrarium licet videatur verum, propter actionem & ejus subjectum: attamen cùm Confidentia tanquam agens, cum salute perducendâ, in subjecto licet partiali, conveniat, ad tria quoque instrumenta Medica, per Regimen & Animæ accidentia referri possit, jure optimo Confidentiam, producere posse ægri salutem, affirmatur. (*b*)

a) *Libav l. 1 sing. de venen. c. 8.* b) *Barthol. Fritschius decad. 3. disp. Basilens. disp. 10. de morb. venenos. coroll. 1.*

XIII.

Metus, mentis & omnium sensuum Tyrannus.

Metus animo conceptus cor confestim exagitat, mentem obnubilat, omnes animales facultates perturbat, omnibus sensibus, tàm externis, quàm internis ruinam minatur præsentissimam: ac demum adeò omnes nostras vitiat & inficit actiones, ut illius malignitate vis imaginaria, de suo statu deturbetur: cerebrũ debilitetur, & æger mirum in modum discrutietur.
Quercet. diat. polih. sect. 1. cap. 9.

XIV.

Canities ex metu, historia I.

Metus, Consternatio, terror repentinus, subitaque mortis intentata formido, ita honorem faciei depopulantur, ut juvenes, ilicò natos ostendant senes. Cujus rei memorabile Exemplum, nostra memoria edidit, juvenis quidam Generosus ac Nobilis, qui apud Carolum Cæsarem, dum versaretur, in ejus Aula virginis, quam deperibat, pudicitiam expugnarat, quod capitale in eo cœtu, etiam non reluctante puella, ob decus aulicum, fœda libidine contaminatum, in carcerem conjectus, atque postridie ad supplicium tractus, præcedente nocte incanuit, adeò, ut amisso florido & spectabili colore, nec Cæsari, nec familiaribus nota facie prodiret. Cæsar supposititium suspicatus, aut dolum, explorari jussit, an ipsus is esset, & num ementita canities, & num indecora canitie barba delibata pharmaco foret: re deprehensa, Cæsar miseratione flexus, crimen ei condonavit, satis pœnarum arbitratus fuisse in mœrore ac concepta animi formidine.

Heurn. c. 5. de aff. cap. Hadr. Jun. l. de Coma c. 10.

XV.

Ejus Causa.

Causam autem prodigiosæ subitæque mutationis, quum nuper à me sciscitaretur Ill. quidam vir, illam in supplicii imminentis intensissimam cogitationem, quæ intimis sensibus penitus inhæreret, referendam pronunciavi: ea siquidem animi affectio, tàm fuit illi gravis, & acerba, ut propemodum extincto sopitoq; vitali calore & spiritu, singulæ corporis partes,

tes, amisso florido, & spectabili colore, in despicatum habitum devenirent, adeò ut capillorum radices, quæ fumido vapore, qui cuti subest, aluntur ac frondescunt, ut gramina terræ succo, concepta frigida siccaque qualitate, arescerent, ac nativum colorem exuerent. Ut enim arborum folia, ac vitis pampini, qui uvam à cœli injuria defendunt, æstu, pluvia, grandine, aquilonio ac boreali flatu, qui æstivis aliquando mensibus ingruit, ex viridanti in luteum flavumque colorem elanguescunt, ac demutantur: sic genuinus corporis vigor, sic color, sic externa species deflorescit, ac crines, qui non existunt corporis partes, sed appendices, sublata oppressaque vi, qua aluntur, intempestivam canitiem contrahunt.

XVI.

Causa hujus Exempla alia, in militibus & Nautis.

Quòd ferè omnibus usu venire videmus, qui in labore militari, in periculis maritimis versantur, aut cum morbis conflictari solent, in quibus est mortis quoddam instar: nihil enim aliud meditantur, nihil animo magis concipiunt, ubi stat in procinctu acies, ac res agenda cominus, quàm extinctum iri se, nec facilè posse eluctari: nisi fortè animus longa assuetudine ad pericula occalluit, ac sit obfirmatus, quod ferè perspicimus in veteranis militibus, atque iis qui tempestatibus, ac maris sævitiæ sunt assueti.

Lemn. l. 2. de complex. c. 2.

XVII.

Canitiei ex metu, Historia II.

Franciscus Gonzaga, Affinem suum suspectum con-

 jura-

jurationis, cum in turri portæ Cæsareæ, ad quæstionem aut supplicium servari jussisset, nunciatum est, manè totum repente canum factum. Quod quasi prodigium, flexit Principis animum, qui ei propterea, & vitæ, & veniæ dedit gratiam.

Scalig. exerc. 312.

XVIII.

Historia III. & IV.

Mulier quædam incidit in foveam, in qua erat lupus & vulpes, ea una nocte incanuit, & post tota vita mansit tristis. *(a)* Quidam è rupe pendens, dum accipitrum pullos scrutaretur, interimque funes, quibus sustinebatur, dissiluissent, subitâ formidine, subitò incanuit. *(b)*

a) *Libav. l. 2. sing. p. 142.* b) *Cœl. Rhodigin. antiq. lect. l. 13. c. 27.*

XIX.

Historia V.

Cum Ludovicus Bavarus Imperator ad Rhenum in armis esset, Maria Brabantina ejus Conjux Werdæ habitans, binas literas, uno quidem annulo, diversa tamen cera, atra, rubra obsignatas, illas Marito, alteras Henrico Ruchoni Decurioni Equestri mittit. Atq; is, qui Epistolas detulit, errore seductus, rubra cera cõplicatas tendit Ludovico. Qui lectis literis, amatoria agi suspicatus, dissimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximè potest itineribus ad uxorem diu noctuque contendit, & indicta causa adulterii condemnatam securi percuti jubet, postea veluti consciās Helicam virginem Prennebergensem cultello confodit: in aliam Fœminam nobilem, quam

gynecæo præfecerat, de turri præcipitavit. Ob id horrenda illi occurrit nocturna visio, quâ unâ nocte totus est factus canus. A. 1256. *(a)* Argumento, nullâ re maturiùs promoveri canitiem, quam Metu, huic addo mœrorem & curas *(b)* unde ait Pindarus: *(c)*

φύονδὲ καὶ νέοις
ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
ἐοικότα χρόνον.

id est, nascuntur autem & juvenibus, in viris, cani crebrò, etiam præter ætatis congruum tempus.

a) *Aventin. l 7. Cuspinian. in Cæsar. l. Schenck. obs. l. 1. obs. 1.* b) *Heurn. c. 5. de aff. cap.* c) *Olymp. 4.*

XX.

Metus mortis ipsâ morte acerbior.

Horror Mortis, si quando hominem corripit, aut ejus imaginatio mente concipitur, ipsâ morte atrocior est, multis enim cum illa vitæ finem imponit, sensus obstupescunt, nec ullum dolorem percipiunt, quod iis accidit, qui Apoplexiâ vel Lethargo opprimuntur, vel deliquio, animi defectu, velut conniventes somno consopiuntur, atque placide obdormiscunt, nullo spectantium oculis exhibito doloris sensu.

Lemn. l. 2. de compl. c. 2.

XXI.

Mors terribilis.

Mors graditur vasto pandens cava guttura rictu,
hanc modò falcatam fingunt, modò arundine & arcu
terribilem ---- ---- ----

Sic

Sic pictores vim mortis ſolent adumbrare. Hoſtis noſter infeſtus eſt, in ſingulas horas & minuta nos minuit, carpit, radit; cum equitantibus equitat, cum peditantibus peditat, natantibus connatat, fugientes ſequitur, cum militantibus militat, commeſſantes vorat, bibones exhaurit, ludentes ludit. Et quis demum tutus à mortis injuria? Ad mortem enim maturi omnes ſumus, ex quo nati, imò etiam antè quàm nati.

Nemo obitus novit tempúsve, locúmve, modúmve (a) vix uno paſſu *(b)* à morte abſumus: uno gradu nos & mors dividimur: quotidiè per feneſtras penetrat in ædes noſtras. *(b)* Quo vita longior, eo culpa numeroſior: myrias peccatorum, chylias miſeriarum & tandem mors. *(d)*

a. d.) *Heidfeld. in ſphing. phil. c. 38. p. 1161. & 1172.* b) *1. Samuel. 20. v. 3.* c) *Ierem. c. 9. v. 21.*

XXII.

Vt mors non ſit formidabilis.

Nulli Naturæ ſpirabili Mors non horribilis, ac formidoloſa, quòd interitum adferat: ſed, quæ ut non exoptanda temerè; ita non pertimeſcenda viris chriſtianis (hanc enim ipſa neceſſitas, & cum univerſo genere humano communicata æqualitas tolerabilem facere debet) *(a)* quum mens concepta fiducia ſuavioris vitæ, ac Reſurrectionis ſpe fulta, alacriter hinc emigrandum ſibi perſuadeat. *(b)*

a.) *I. Laurent. in comment.* b) *Lemn. l. 1. de compl. c. 4.*

XXIII.

XXIII.

Tremor in periculis unde.

Sic in adeundis terra marique periculis, quæ mortis imaginem oculis ac menti objiciunt, nemo non contremiſcit ac trepidat, metuque exalbeſcit, refugiente ad intimas partes ſanguine: quum enim omnes corporis partes vitali ſucco deſtitutæ ſint, nulla ſatis probè ſuo officio fungitur, ſed titubant vacillantque pedes, caligant oculi, labaſcit vigor, mens hebeſcit, animus dejectus eſt, genæ pendulæ ſunt, ac flacceſcunt, lingua hæſitat, dentes crepitant:(a) *arrectæq; horrore comæ, vox faucibus hæſit.* (b)

a) *Lemn. l. 2. de compl. c. 2.* b) *Virgil. l. 3. Æn.*

XXIV.

Conſternatio quæ citò fit, citò perit.

Adeò nullus eſt, quamlibet conſtantis robuſtique animi, cui non repentinus aliquis caſus ſit formidabilis, ac mentem concutiat; ſic tamen, ut confeſtim diſcuſſo metu, ac conceptâ divinitus fiducia intrepidus interritusq; ſubſiſtat, ac, ſi res poſcet, quæque ingruunt adverſa, declinari nequeant, alacri atque infracto animo ſeſe illis opponat.

Lemn. l. c.

XXV.

Timoris quædam occulta cauſa.

1. *In animalibus.* 2. *In hoſtium nomine.*

Leones, Tigrides, aliaque id genus ferocia animalia, ob ſolum metum mortis non reformidantur, etſi juſtum ſuppeditent terroris metum. Nec ſerpentes etiam, bufones, araneæ idcircò timentur, quod venenis ſuis nos poſſint perimere. An naturæ ſint quædam,

dam, & peculiares hominum proprietates, quæ ἀντιπάθειαι dicuntur (ut quando mures natura feles reformidant, & oves lupos) quibus hoc vel illud citra apertam causam odimus & metuimus, etsi ab eo nihil incommodi pati possimus? 2. Sunt etiam quidam, qui vel solo audito hostis strenuissimi nomine repentè expavescunt: quemadmodum Johannis Hunniadis Ducis apud Turcas fortissimi, nomen formidabile omnibus usque adeò fuit & terrificum, ut Nutrices ad comprimendos infantulorum vagitus Hunniadem adesse confingerent.

XXVI.

3. *In murium adspectu, vel sensu.* 4. *In felibus occultatis.*

At non solis infantibus hoc terroris genus accidit & pueris: verùm etiam magnis & præstantibus viris. Omnibus enim cujuscunque ordinis, sexus, & ætatis hominibus est adeò communis hæc perturbatio, ut nemo se ab ea liberare queat, ne quidem constantissimi, fortissimi, ac sapientissimi quique. Memini enim Magni cujusdam Principis, qui me inter domesticos usus est Medico adhuc juvene: cujus summa erat animi fortitudo, & adversus hostes in procinctu invicta ferocia: qui tā facilè adspectu aut sensu alicujus muris in cubiculo degentis perterrebatur, ut seipsum vix continere posset. 4. Memini & Anglum quendā Nobilem, à me convivio aliquando exceptum cum multis aliis Nobilibus viris, quem videre licuit in medio prandio, corpus modò huc, modò illuc agitare, aut torquere, modo pallescere, modò sudores emittere, ita, ut ab omnibus crederetur accumbentibus, gravi

ali-

aliquo malo conflictari: nisi ab aliquo ex convivis Nobilissimo viro, apud quē ille Anglus agebat, nobis narratum fuisset, necessariò in cubiculo felem adesse, cujus præsentiam simul atque Nobilis ille Anglus, vel oculis, vel sensu tantùm perciperet, his animi motibus, & perturbationibus angeretur.

Quercet. diat. polih. sect. 1. c. 8. Libav. l. 2. ling. p. 122. & 152.

XXVII.

5. *In vena sectionibus.*

Quidam venâ sectâ leipothymiam patiuntur, & invenias nonnullos strenuos & bellicosos milites, qui libentiùs cum hoste confligant, quam ut sibi scalpellum in venam adigi permittant.

XXVIII.

Metûs præsidium.

1. *Per autopsiam* 2. *per adhortationem.*

Sed præsentiâ alicujus animosi persuasi, & firmati mente, non amplius ita afficiuntur. Constantia enim mentis & firma in oppositûm persuasione Naturæ mollicies impotentiaque coercetur; veluti in his, qui dum astant herniarum, strumarum, crurisve sectioni, animo deficiunt, aut saltem valdè nauseant, si firment animum, seq; recolligant, affectio impeditur. 2. Quidam Italiam petens, illatum mensæ cum voluptate, leporem assum credens, absumserat, sed cum postea edulii oblectamentum sociis deprædicaret, cognito, felem fuisse, penè viscera evomuit, & periculosè habuit, donec confirmatis cogitationibus paulatim compescuit motum.

XXIX.

XXIX.

Perſuaſio recens facilè, inveterata difficillimè eradicatur.

Quibus enim ſympathia & antipathia, potiſſimùm à perſuaſione firmâ dependet, ii mutantur facilè, aliter perſuaſi. Spirituum enim & cogitationum volubilis eſt motus & natura εὐμετάβλητος. Veruntamen difficilior res erit, cum in habitum tranſiit fiducia, adeò ut per ſpiritus paulatim etiam ſolidæ partes ſint mutatæ: ſicuti videmus facilè reconciliari breves recentesque inimicitias, duntaxat paroxiſmo remiſſo: ſimultates verò & odia inveterata difficillimè eradicari.

Libav. l. 2. ſing. p. 140. 141.

XXX.

Oſcitatio ex Imaginatione.

Oſcitantes cum videmus, etiam nihil tale cogitantes, ad oſcitandum quoque impellimur: imaginatione ſolâ facultatem corporis noſtri expultricem movente. Quantumque ea poſſit, vel ex eo patet, quod ſi quis abſurda audit, vel ſibi imaginatur, nauſeam aliquam ſentit, ad vomitum uſque, etiamſi ſciat, nihil ejusmodi revera adeſſe. Libididinem quoque concitat potentiſſimè Imaginatio; reliqua taceo. *(a)* Experientiam autem neſcit omnem, Imaginationis vim ſtupendam qui neſcit. *(b)* Neſcientem verò erudiet Laurentius: *(c)* irridentem vel ſcuticâ etiam excipiet Lemnius. *(d)*

a) *Plater. l. 1. obſ. p. 202.* b) *Th. Sagittar. de eſu caſ. th. 260.* c) *l. 2. Anat. c. 12. q. 30.* d) *l. 1. de occ. nat. mir. l. 1. c. 4.*

XXXI.

XXXI.

Imaginationis vis accidentalis.

Etsi Imaginationi multi & admirandi effectus adscribantur, tamen imaginatio eorum omnium, non per se, sed per accidens causa est, movendo scilicet solùm & excitando potentias Animæ naturales motrices, corpus movendi & alterandi vim habentes. Ita ex perceptione, & sensu, aut imaginatione rei fœtidæ, aut abominandæ nausea vel vomitus excitatur, totum corpus horrore concutitur: & ex medicamenti purgantis imaginatione quibusdam alvum laxatam esse observatum est, non quod species medicamenti purgantis, vim purgandi habeat, sed quod ab imaginatione facultas motrix naturalis in consensum tracta humores agitet, qui agitati facultatem expultricem ad excretionem stimulant: præcipuè si tales humores in corpore redundent.

Sennertus de cons. & diss. chym. cum Arist. c. 14. p. 396. 397. Nicol. Flor. sen. 3. t. 1. sum. 1. c. 15.

XXXII.

Imaginationis gravidarum Exempla.

1. *De ovo.* 2. *de alapâ.*

D. Georgii Hambergeri, Medicinæ apud Tubingenses Doctoris, & Professoris, uxor gravida cum esset, ex foro rediens, ova ferens, Domini musæum ingressa, suspirans, causa suspiriorum à marito quæsita, respondit, se desiderio teneri, omnia illa ova, sed ordine, in ipsius faciem projiciendi, quare Maritus amore victus, linteo prætenso admisit, sed ne amplius tali desiderio teneretur, monuit, ut ipse mihi retulit.

2. Alterius Doctoris (medici) uxor gravida, musæum ingressa, omnem occasionem quæsivit, ut alapam acciperet; at maritus propterea quòd & eam cordicitus amaret, & gravidæ parcendum sciret, conclavi egressus est: ubi verò esset enixa propalàm narravit, hoc se quæsivisse eum in finem, ut ipsi irasci posset: verissimum tanquam auricularis testis assero.

C. Bauhin. l. 1. de hermaph. cap. 12.

XXXVIII.

3. *De Moro.* 4. *de palati discissione.*

Memini mulierem quandam, cùm sub moro versaretur, & Mora plura in ipsam deciderent, filiam genuisse, quæ in iis corporis partibus, in quas in Matre mora deciderant, verrucas instar mororum habuit. 4. Novi & aliam Fœminam, quæ adhuc in vivis est, quæ cùm vidisset à lanio caput suillum securi dividi, filium genuit, cui tota superior palati pars, cum maxilla & labio superiore ad nares usque divisa erat.

Sennert. c. 14. de consf. chym. cum Aristot.

XXXIV.

Ejusmodi ab Imaginatione effectuum causæ Naturales, & declarationes.

Sed quomodo ad fœtus immutationem faciat Imaginatio, ita obscurum est, ut omnes Doctissimi viri, in causa reddenda hìc hæreant: hoc certum est, fœtum ab Imaginatione simplici, cum sit potentia cognoscens atque immanens, non immutari, sed vel mediantibus animi affectibus, per humorum & spirituum motum, vel dirigendo facultatem conformatricem. Conformatrix enim sola proximè totum corpus fœtûs conformat, sive benè, sive male, id fiat.

Phan-

Phantasia verò seducit aliquando Conformatricem, & dirigit ad quid, quod non est materiæ seminis conforme, sed simile ei, quod est imaginatum, conformandum: per species, exemplariter seu objectivè, ut loquuntur, objiciendo scilicet speciem conceptam, ad quam, tanquam exemplar seu regulam opus conformationis exequatur conformatrix facultas. Mediantibus autem spiritubus & humoribus à cerebro, conformatrici ad uterum species in Phantasiâ receptas deferri, non semper requiritur, neque simpliciter necessarium est. Nam cum sit anima una, in toto corpore, ubique omnibus suis instructa facultatibus, etsi omnes in omnibus non exserat, sed singulas per propria organa perficiat, fieri potest, ut in unâ parte excitata aliqua, & in actum deducta potentia, eadem, etiam aliam in alia parte expectet, in actum deducat, imò in agendo dirigat & determinet: cum eadem utrobique sit Anima. Ideoque licet in semine, ad animalis novi constitutionem, suo modo segregata sit Anima, suo tempore novum individuum constitutura: tamen cum adhuc fœtus matri cohæreat, ejusque vitam participet, ea, quæ potentias Animæ in Matre movent, eadem quoque in semine facultates excitare, & plus afficere fœtum, quam ipsam matrem, mirum non est. Matris enim corpus jam absolutum est & non, nisi nutritione indiget: quia verò in fœtus corpore formando adhuc occupata est anima, facilè fieri potest, ut aliquid externi se admisceat, & ad hoc, vel illud agendum dirigat aut seducat.

Sennert. de conf. & diff. P. 410. 412. Erast. c. 34. de occult. med. propr. Laurent. l. 2. Anat. c. 12. q. 30. Hier. Nyman.

man.p.218. Orat. de Imagin. Fernel. l.6. c.3. Pathol. D. Herlic. c. 16. de puerp. & gravid. Lang. l. 2. Epist. 12. Plat. l.2. de l.funct c.13. Trincav. l.6.c.5. de cur. morb. Forest. l.18. obs.7. Heurn. c.10. de aff. uter. Lib. nost. germ. de cur. grav. & puerp. B.4.b. & seq. Libav. l.2. sing. p.153. G.Fabric. cent. 3. obs. chir. p.485.

XXXV.

Mulieres Germaniæ laboriosiores Belgis, hæ ingeniosiores.

Caput humanum, forma sphæræ instar cœlestis rotundum, ad cujus imitationem ita fabrefactum, ex utroque tamen latere leviter depressum, sphæricam talem figuram adeptum, ut cum capacissima, majorem cerebri substantiam, quâ homo præ reliquis animalibus liberaliter donatus, in se reconderet, tum ut irruentibus externis injuriis quibus indesinenter expositum, tutius evadat: nec non ad onera ferenda commodius reperiatur; quemadmodum in fœminino sexu in plerisq; scilicet Germaniæ locis hoc ipsum comperimur, quod maximi ponderis sarcinas capiti imponere consueverint: sequs quam Italorum&Belgarum mulierculæ, quæ ut ingenio salaciores, ita gravioribus negotiis se sublevantes, majora sua onera in canistris supra humeros æqualiter divisis suscipiunt & portant, nostratium in eo depravatam consuetudinem reprehendentes, dum ajunt, se non mirari quod obtusiore ingenio Germani præditi sint, cum caput rationis & intellectus omnis domicilium, immensâ generis mole sic aggravari haud vereantur.

G. Grasec. class. 2. Theat. microcosm. sect. 1.

XXXVI.

XXXVI.

Luna felix non omnibus fausta.

Luna non æquè omnibus felix, aut infelix, lucere potest: ut enim in genitura prima varios quis Anæretas, diversosque Aphetas sortitus fuit, ita Luna per horum loca ac radios felices aut infaustos circumacta, (læta vel infausta) cuique peculiariter sospitat, aut infelicitat venæ sectionem & pharmaciam. Quare Luna in Leone versante, æquè feliciter, ac Aquarium percurrente vena solvitur: modò ab Anæreta, (ei homini cui pertunditur vena) loci hi liberi fuerint. At insignes Ephemeridum Astrologicarum Autores, ex verâ Astrologiâ hæc observare non didicêre. Sed in vehementioribus morbis, qui breviter & cum summâ vi, suam absolvunt historiam, quales sunt Anginæ, Pleuritides, causi, suffocationes, plethora, omnesque inflammationes, in quibus symptomatum statim plena sunt omnia, Syderum influxus contemnendus est, ilicoque ad solvendum Venam pergendum; nam horum morborum hyparxis, inordinato potiùs, quam ordinatò consistit, hoc est, à materiæ vitio magis pendet, quàm à cœli injuriâ.

Heurn. l. 3. M. M. c. 9.

XXXVII.

Hydropicis plenilunium funestum cur.

Hydropici ex salium in corpore resolutione, quibus Luna non minus, quàm mari præest, gravissimè semper circa plenilunia torquentur, eò quod resolutio illa, cum Luna plena jam in plenum statum adve-

ćta sit; ideoque omnes ferè Hydropici circa plenilunia moriuntur.

T. Brahè in orat. de discipl. Mathem. p. 22.

XXXVIII.

Epilepsia cur novilunio magis exasperetur.

Epilepsiam vidimus Novilunio quoque exasperari, & ferè magis hoc, quam plenilunio, nec deest ratio, quod copia humoris impediat acredinem halituum & putredinem. Minor copia putrescit facilius & calor in eam agens acriores fortioresque halitus facit secundum proportionem. *(a)* Infantes Lunæ tantùm ostentati ac subjecti, quia humorum pleni, solent convelli, humoribus commotis, & qui in Lunâ decubuerunt, capite non probè tecto, quasi attoniti surgunt humoribus scilicet cerebri per Lunæ radios diffusis. *(b)*

a) *Libav. tom. 3. sing. l. 5. c. 18. in schol.* b) *Goclen. in symeth. magnet. p. 165.*

XXXIX.

An Sol festo Paschatos subsiliat.

Magnas in plebejorum animis radices egit fabulosa & anilis opinio, de Sole, die Paschatis in ortu exiliente. Ducta est erroris occasio ex antiquo quodam hymno, quo omnes res dicuntur ad Christi resurrectionem exultare, & Sol ipse exilire. Hoc si reverà ita esset, utique per integrum diem saltum illum Sol continuaret, cum per integrum diem oriatur atque occidat, aliis terræ inhabitatoribus, citiùs orientalibus, tardiùs occidentalibus. Quod si autem tale aliquid eo die nonunquam circa Solem orientem appareret, ut diebus vernalibus fieri haut insolens; in ipso Sole

Sole apparentiæ causam fuge quærere, ad interpositum aërem te converte, per quem Solem tueris, hic circa ortum & occasum vaporibus scatet. Et quidem in vere propter terræ poros apertos plus vaporum exhalat, quàm reliquis anni temporibus. Ideò propter vapores istos in aëre hinc inde agitatos, tùm reliqui Planetæ, tùm Sol ipse moveri & quasi subsultare videatur.

Bartol. de stell. nat. §. 377. Aldsted. in elem. Mathem. p. 144.

XL.

Vox Creaturarum, ô homo, accipe, redde, fuge.

Quælibet Creatura eructat, & ebuccinat hæc tria Dei attributa, & ex consequenti tribus vocibus nos alloquitur, videlicet, ô homo, accipe, redde, fuge: Accipe beneficium; redde officium; fuge supplicium; nisi agnoveris beneficium & reddideris officium. Ita verbi gratia, Aqua hominem alloquitur: Ecce, ô homo, ut dilexit te, qui fecit me & te, & me, propter te. Tibi enim servio. Servio autem tibi, ut tu servias illi, qui fecit me, & te. Nisi autem feceris officium, en submergeris à me?

I. Henr. Alsted. Phys. Mos. c. 1.

XLI.

Cur splen rideat.

Lien non per se, sed per accidens risus causa est, quatenus scilicet sanguis hujus beneficio clarior, lucidior & calidior fit, & hominem in negotiis peragendis, strenuum, audentem, magnanimum & gaudentem reddit, in partibus titillationem movet spiritalibus, per quam ridendi motus insurgit, arguens animi affectus, unde dicitur;

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commovet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Tob. Knobloch disp. anat. 6. quæst. 1. Grasecc. in exam. microcos. lib. cl. 4. s. 12.

XLII.

Cranium Infantile cur molliusculum.

Infantibus humani cranii constructio secus se habet, quam in adultis, his enim nascentibus molle admodum contributum, non quidem ob formatricis facultatis impotentiam, aut negligentiam; sed providò potiùs consilio, quandoquidem homini, animalium reliquorum comparatione, cerebrum ac propterea etiam caput totum obtigerit maximum: quare inter uteri orificii angustias, cum vitæ discrimine eum hærere oportuisset, nisi tale fuisset, ut in seipsum cedere potuisset. Molle igitur ob id progenitum, ut, quâ parte majus esset (est verò illâ, quæ ab occipitio ad frontem) eâ maximè in seipsum cederet, eo loco, qui Bregma appellatur, nempe ubi coronalis posita futura est, quod deinceps edito in lucem fœtu, sensim duritiem ac soliditatem acquirit.

Jessen. tract. de ossibus fol. 11. a.

XLIII.

Compages artuum indissolubilis.

Quanto nexus robore ligamenta vincient & illigent, tùm artus, tum ossa quæque corporis, patefecit Comes ille Sebastianus, Francisci Galliarum Delphini instructum exercitum in Carolum Imperatorem ducentis veneficus: quem Lugduni præpotentium quatuor Equorum, in contrarias partes, horam penè distrahentium nisus discerpere, dilacerare-

rareque non potuit, nedum suâ compage dissolvere, nisi cum districti gladii in articulorum nodos infixi adactique sunt.

Fernel. l. 1. de part. corp. descr. c. 4.

XLIV.

Cur decollati homines immobiles, pulli mobiles.

Cur pullus decollatus diu movetur, homo verò statim post decollationem fit immobilis? R. quia pulli habent nervos strictos, unde spiritus post decollationem diutius in corpore moratur. Homo vero amplos, hinc spiritus citò exhalant, motûsque cessat.

Knobloch. disp. 12. Anat. quæst. 4.

XLV.

Crux in dorso aurea Fati præludium.

Joan Fridericus Elector Saxoniæ, in lucem editus, A. 1503. d. 30. Jun. futuri sui fati omen ex alvo maternâ secum tulit: nam, ut ex hominum fide dignorum sermonibus accepi, nascenti visa est, in dorso crux aureo colore fulgens, quam ubi conspexit, à matronis Aulicis accersitus Sacerdos, vir pius & admodum senex, pro omine hoc arripiens: hic puer, inquit, crucem gestabit toti orbi conspicuam, cujus indicium tàm manifestum in ipsius ortu sese exerit. Ejus rei initium quoddam hoc fuit, quod mater Sophia 12. die, post partum, extincta est.

Bucholz. in Indic. chron. D. Origan. part. 3. Ephem. c. 9. f. 608. Edit. N.

XLVI.

Vltimum moriens, cordis auricula.

Observatum est, inter omnes cordis partes, ul-

timò moveri in morientibus auriculas, nam immi-nente morte, primùm moveri desinit cordis mucro, deinde ventriculi conquiescunt, postea basis, solis adhuc auriculis se distendentibus & contrahentibus, quarum ultima dissolutio est Naturæ & vitæ extinctio.

Knobloch. disp. Anat. 9. cap. 3.

XLVII.

Spirituum in homine sympathia.

Cum μία sit ξυμπάθεια totius corporis, unâ parte dolente, spiritus primùm ejusdem generis tactiles nimirum affecti, in consensum rapiunt animales reliquos, hi & vitales & naturales: & vitales quidem secum rapiunt sanguinis arteriosi partem tenuissimam, naturales verò sanguinis venosi: unde membrum inflammatur, intumescit, pulsationem percipit. Sic quoque affectâ vesicâ à calculo, insignis pruritus in glande percipitur, propter spirituum, eò consilii causâ accurentium copiam. Abscissô itidem membrô, doloris imago per aliquot menses superest, ita ut putent, se extremis digitis dolere, quibus tamen carent: quoniam spiritus sensitivi eò ablegantur, tanquam in supplementum: & licet palæstra illis sua sit subtracta, intentio tamen sensus (ut ita loquar) adhuc manet, donec sensim desuescat.

Zvving. l. 2. Physiol. c. 23. Guil. Fabric. observ. cent. 3. obs. 14. & 15.

XLVIII.

Irides Lypothymicorum ex quo.

In Lypothymiis & resolutione spirituum, insignis

varie-

varietas coloris respectu apparet, ut tanquam in Iride, vel trigono cristallino, vel ampullâ plenâ liquore subtilissimo, & purissimo (quale est oleum album therebinthinum) colores videantur omnigeni, (wann einem geel und grün vor den Augen wird) spiritibus ipsis violenter ad sua raptis principia, & reliquiis eorundem vi membrorum pertinaciter illos retinere laborantium dissipatis. An ut Mercurius sublimatus in omnigenas colorum facies vertitur, ita quoque spiritus in corpore? an verò, ut in candelâ ardente, pro pabuli diversitate, rubrum, cæruleum, flavum & album colorem conspicimus? ita quoque in spiritubus, tenuissimo convenit albedo, crassissimo viriditas & cæruleitas, medio rubedo & flavities?

XLIX.

Colorum Ophtalmicorum causa.

Bis mihi contigit, ut vehementi corporis motu, & diuturniore inediâ, simul atque in hospitium venissem, omnia rubra apparerent. An quod in magnâ resolutione spirituum, ex sanguinis flore, confertim refecti spiritus naturales, nec dum perfectè alterati, spiritibus animalibus simile pabulum exhibuêre, rubrum scilicet, nec dum depuratum? ipsos alioquin spiritus lucidos esse, vel ipsæ fuligines, è corpore nostro exhalantes, spiribus naturalibus etiamnum prægnantes, satis indicant, cum in magno frigore indusium exuentibus dioscuri scintillantes apparent, inprimis verò splendores, qui ex oculo validè compresso, aut violenter icto emicare solent.

L. *Sein-*

L.

Scintillæ Leonum, Leopardorum & Felium.

Itidem in animalibus iis, quæ noctu vident, ut sunt Leones, Pardi, feles, copiâ spirituum internorum tanta est, ut externum quoque medium illustrare possint. Equi item & feles, adverso confricata dorso in tenebris scintillas emittunt. Alexander Magnus in summo prælii ardore, capite scintillare videbatur, propter vehementem motum, & veluti incendium Spirituum.

Zvving. l. c.

LI.

Sternutationis accidens in catarrho, aëris videlicet per aures quædam ejaculatio.

Qui laborant catarrho, sternutando ad aurem utramque sentiunt instar jaculi emitti spiritum, nempe quoniam eâ viâ, in sano homine aër ferri consuevit, idcirco in ægro viam eandem vapores quoque observant.

LII.

Sternutationis ex sublimi aspectu causa; cessat perfricato oculo.

Suspicere in altum sternutationem ciet, quoniam vapor in anterioribus cerebri ventriculis contentus, per hanc sincipitis elevationem ascendere, & ipsum olfactus organum ferire & mordicare potest. Non secus, atque decumbentes minus sentiunt ructus, quam erecti, ipsis flatibus naturali impetu regionem superiorem petentibus. *(a)* Sed Cur oculo perfricato Sternutamenta cessant? an quia humor sic respirat?

ſpirat? lachrymam quippe oculus poſt frictionem emittit, ſternutamentum autem humoris copiâ excitatur? an quia minor calor corripi ab ampliori, conſumique poteſt? quemadmodum minor ignis ab ampliori emarceſcit, atque abſumitur? Oculus autem perfricatus plus caloris ſibi acquirit, quam ſit, quem naſus complectitur: hinc etiam fit, ut ſi naſum quis confricet, ipſum ſternutamentum deſiſtat. *(b)*

a) *Zvving. Phyſ. l. 2. c. 50.* b) *Ariſtot. ſect. 33. probl. 2. 8.*

LIII.

Sternutationis, Singultus & Tuſſis remedium.

Spiritus retentio, Singultum, Sternutationem & Tuſſim, mitigat & compeſcit, non quod ſic calor in pectore major excitetur, ſed quia tunc ſepti motus ſiſtitur.

Plater. de laſ. funct. l. 2. p. 476. 478. 491.

LIV.

Ἀσφυξίας apparentis in brachio utroque dignotio.

Ægri pulſu carere videntur imperitis, cum tamen in iis Medici μυρμηκίζοντα, id eſt, formicantem percipiant, à formicæ tardo & minuto motu dictum, cum omnium minimus, tardiſſimus & longiſſimus ſit, quod ſi formicans increſcat, vermiculantem producit.

Zvving. Phyſ. l. 2. c. 53.

LV.

Ἀσφυξίας in alterutro brachio cauſa.

Quî fit, ut ſæpè in uno brachio pulſus videatur interce-

terceptus, cum in altero optimè, & integerrimè percipiatur? Respondeo, non ab unâ causâ pulsus interceptionem fieri, sed 1. vel propter debilitatem virtutis ipsius, atque sic dubium non est, in utroque brachio æquè appariturum: vel 2. propter malam instrumentorum conformationem, vel 3. propter angustiam, verbi gratiâ, ob tumorem aliquem in vicinis partibus, à quo arteria veluti comprimatur & pulsum infirmiorem reddat: vel denique 4. propter obstructionem, id est, materiam aliquam viscidam, aut crassam tunicis arteriæ impactam, non quidem, ut ex toto eam obstruat, alioquin enim planè pulsus omnis aboleretur, sed ex parte tantùm, ut minus evidens, atque ceu interpolatus percipiatur.

P. Monav. in Epist. Scholz. 104. 105.

LVI.

Exolutionis venereæ causa.

Aristoteles quærit; διὰ τί οἱ ἀφροδισιάζοντες ἐκλύονται, καὶ ἀσθενέστεροι γίνονται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; πότερον διὰ τὸ ἀπὸ πάντων ἔκκρισιν εἶναι τὸ σπέρμα. ὥστε οἵ τ' οἰκοδομήματος αἱ ἁρμονίαι, καὶ τοῦ σώματος οὕτω σειομένη σύνθεσίς ἐστι τῷ ἀπεληλυθέναι. *(a)* Etenim secundum gluten imbecilles evadimus. Mage quippe debilitantur ea quovis errore, vel tantillo commisso, quæ magis à centro calidi nativi diffident. Imò calidum nativum evacuando. Universam corporis anatomiam labefactat, & cruditates infert, proin & articulorum mixam, crudos & indigestos mercuriales humores in illud invehendo infirmat. Deinde, quia hinc potest quis infici physicalibus & chirurgicalibus morbis, adeoque lue gallicâ podagrissante. *(b)*

a) *Sect.*

a) *Sect. 4. probl. 22.* b) *l. Raicus de podagrâ. p. 17. Plat. l. 1. de l. funct. c. 1. l. 2. c. 10. de dol. p. 485. de vit. l. 1. p. 91. Crato consil. 37. Dom. Leon pract. l. 6. s. 3. c. 2.*

LVII.

Malignarum februm προφύλαξις *ex alvo laxa.*

Non facilè malignis febribus tentabitur, qui facilem alvum habet. Ita enim superfluis ejectis corpus perspirabile redditur, neq; materia putredini superstes relinquetur, nec calor innatus obrutus aliunde adventanti contagio cedet, sed validius contrà ibit, longeque malignitatem propellet.

Ruland. de l. ungar. c. 5.

LVIII.

Specillorum usus & differentia.

1. *Ratione substantiæ.*

Specilla vitrea, similitudine quadam substantiæ Oculos reficiunt, & in statu suo conservant, & præterea, quia radios, quibus visio perficitur dispergi non ita subitò solent. Quædam habent vitrum crassius ac densius, quædam rarius & tenuius. Illa res minores quidem quam revera sunt, tamen intensiùs coloratas referunt, & ob id à longiori spacio aspiciendis rebus accommodata sunt: per hæc omnia majora, verùm quodammodo obscuriora apparent. Unde in propinqua tantum, distantia his uti consuevimus. Illa denique juvenibus, & vegetioribus: hæc senibus & provectioris ætatis fere competunt.

P. Monav. in Epist. Scholtz. p. 198.

LIX.

2. *Ratione ætatum.*

Cur Senes specillis meliùs vident, cum Juvenes illis

lis hebetentur. Resp. relarcitur externi cristalli fulgore, quod interno deest; at immodico splendore juniores offenduntur, cum internus satis illis sit.

Heurn. de aff. ocul. c. 1.

LX.

Vitia visus, ut ab Ocularibus corrigantur.

Ubi vitia videndi corriguntur, beneficio eorum instrumentorum, quæ ocularia vel perspicilla vocantur, fiunt necessario à Spiritibus. Vitia verò quæ fiunt, vel ob humorem cristallinum, vel albugineum, vel ob tunicam, nunquam corrigi possunt, beneficio horum instrumentorum. Ratio est, quia, qui utuntur Ocularibus, ut melius videant, id faciunt, vel ut magis propinqua inspiciant, vel ut magis remota vel ut propinqua simul & remota aliquo pacto: hæc verò ut plurimum consequuntur spiritus errores.

Mercur. l. 1. de aff. cap. c. 28.

LXI.

Modus videndi remota.

Illi, qui tantum remota vident (præsupponendo visionem fieri per spirituum seu radiorum emissionem) & non propinqua, opus habent (quoniam spiritus crassi longitudine spatii extenuantur) ut spiritus in principio exitus, etiam sint crassi: itaque perspicilla hoc præstabunt in istis, ut attenuent spiritus, dum exeunt; ita, ut & in propinquo, & in remoto tenues sint, quomodo verò spiritus extenuentur, facilè intelligere possumus, ex naturâ ipsius vitri, quod quidem poris scatet, & meatibus angustissimis: videmus enim aquam phialas vitreas penetrare: 2. si phia-

phialæ aquâ plenæ affricentur cortices citri, odor ita penetrat, ut inficiat aquam.

Alex. 1. probl. 137.

LXII.

Quomodo propinqua.

In illis verò, qui solùm propinqua intuentur, & non remota, opus est, ut Spiritus congregentur, ita, ut ob subtilitatem non evanescant, habent enim opus multa luce, quare perspicilla faciunt, ut congregentur illi spiritus, seu radii pauci & subtiles: ita ut congregati & uniti longiùs ferantur: augent etiam lucem, quâ auctâ, Spiritus illa utentes, facilius postmodum operantur, & hac ratione, qui perspicilla faciunt, pro istis, id student, ut faciant paulò concaviora & lucidiora.

LXIII.

Quomodo neque hac, neque illa rectè cernentes.

Qui verò neque propinqua, neque remota benè vident, juvantur à perspicillis, eo, quod ob crassitiem spiritus extenuantur, ob paucitatem congregantur, non ita tamen, ut possint remota multùm intueri; quoniam isti, qui neque propinqua benè vident, id tantùm beneficium videntur consequi, ut propinqua meliùs intueantur.

Mercur. l. c.

LXIV.

Visio absoluta ut fiat.

Ut visio absoluta fiat, in firmum & densum conum

Spiritus coire necesse est, quia pupillæ amplitudine diffunduntur fere in meatu. Quo fit, ut Myopibus nullum, (si ab ortu contractum sit malum) præstantius remedium afferri possit, Ocularibus, ad oculi formam cavis & circumferentia densioribus, quo Spiritus in centrum tanquam pupillam cogantur & confertim prodeant, quod in multis feliciter sumus experti. Convexa autem Ocularia minores: concava majores: plana æquales formas & litteras repræsentant. Ut enim oculares radii, majorem minoremve angulum describunt, ita formæ oculis proponuntur. (*a*) Qui ergo remota distinctè vident, (*b*) & propinqua confusè: iis perspicilla convexa prosunt, qui verò confusè vident remota, distinctè proxima, juvantur concavis perspicillis. Egregiè confirmat me Experientia. Duos novi non humilis sortis viros, quorum alter minutissimas legit literas, sed ita propè admovet oculis, ut non possit utroque simul oculo uti. Idem intra decem passus discreto visu non pertingit, sed meras nebulas aspicit. Eum tamen perspicilla profundæ cavitatis adjuvant, ad remotiora perspicienda. Alter jam pridem fato functus, ad propinqua penè cæcus, ad remota linceus erat; adeo ut in domo aliquot stadiis distante, recentes tegulas, veteribus immixtas, se numerare gloriaretur. Specillis convexis adhibitis, & chartâ, quantum brachio poterat, eminus explicatâ, legebat non malè. Audiat Aristotelem, (*c*) si quis meis experimentis minus adhibet fidei. Is planè hoc quærit, quî fiat, quod Μύωπες & πρεσβῦται, contraria patiantur, illi propè admoveant, hi removeant ea, quæ sunt lustraturi, & illi quidem visu hebeti, minusculas tamen scribunt litteras.

a) *l.*

a) *l. Holler. l. 1. de morb. intern. c. 20.* b) *Keppler. paralip. ad vitell. c. 5. prop. 28. in Diopte. prop. 78.* c) *sect. 31. probl. 8. 15. 16. 25.*

LXV.

Vno oculo tantùm nos semper videre.

Unica videndi vis est; etsi duo sunt oculi, quæ utrique in parvo temporis momento, ubi necesse est, præstò est, tàm facilè, ut nosmetipsi, quomodo id fiat, minimè sentiamus, & famulantia instrumenta, tàm citam ejusmodi virtuti obedientiam præstant, ut ferè prius exsequantur, quam imperatum sit: seu, (ut clariùs & commodiùs res hæc verbis exprimatur) virtus videndi utrique oculo insita est, sed tamen sine spiritibus visoriis officium suum exequi non potest. Hi igitur, prout eorum usus, in dextro, vel sinistro, si ea, quæ à sinistris, visurus est: atque ita unâ vice unico inprimis oculo videt, etsi utrumque apertum habeat.

LXVI.

Ejus assertionis demonstratio.

Hæc autem ita sese habere, hoc modo probatur: I. Inter utrumque oculum intercedat aliqua tabula vel paries: tùm animadvertetur, uno tantùm oculo res objectas videri. Objiciatur enim liber dextro oculo, qui eo rectè videbitur: sin autem & sinistro oculo quis librum objiciat, non solùm non legere illùm poterit, dum in dextro legit, sed neque paginas videre, nisi sinistro oculo videat solùm, & videndi virtutem, seu potius spiritum visorium, à dextro oculo subtrahat, mutueturque sinistro. II. Si quis baculum ante se ita collocaverit, ut rimæ alicujus parietis rectà objiciatur: si sinistrum oculum clauserit; baculus

non videbitur ab oppoſitâ rimâ dimotus; quia unusquisque dextro oculo cernit, ut dextrâ manu præcipuè utitur; at ſi dextrum oculum clauſerit, illico baculus ad dextram partem accedere videtur. III. Natura duos oculos fecit, ut altero à dextrâ, altero à ſiniſtrâ parte occurrentibus injuriis caveremus: quod præcipuè in avibus apparet, quarum oculi à lateribus ſunt poſiti, & alter alteri oppoſitus eſt, & proinde in videndo non utroque ſimul, ſed ſaltem alterutro, prout opus eſt, utuntur; quod etiam in aliis animalibus fieri credibile eſt.

I. Bapt. Porta de refract. l. 6. c. 1. Sennert. inſtit. l. 1. c. 12.

LXVII.

Soni Harmonici animæ oblectamentum.

Soni reſpectu ſuavitatis, quidam concinni ſunt, & harmonici, quibus delectatur Anima uſque adeò, ut per Spirituum concentrationem etiam ſopiantur homines, vel quia ex numeris conſtans Anima, numeroſo concentu propter cognationem afficitur: vel quia ſoni per numeros notati ordinatè & diſtinctè ſeſe offerunt organo, hac ipſâ æquabilitate ſuâ, Animam ſibi attendentem detinet, quæ Spiritus evagari prohibet.

LXVIII.

Viſio prior auditu.

Infantes nati prius luce, quam cantu videntur detineri, quare tardiùs auditio incipit, quam viſio: quoniam ſpecies craſſior, per medium minus exquiſitè movetur. Num verò citius? quandoquidem in utero etiamnum exiſtentes, non ſecus atque piſces in

in Aqua, ſed faciliùs multò, propter aërem undique corpori materno circumfuſum vehementi ſtrepitu terrentur, puta tonitrui, bombardæ, ruinæ: unde ſanè abortus exterriniceorum dictorum. Etſi hoc alii Imaginationi Matris tribuere ſoleant. Mihi, hoc non tàm fœtus auditui, quam Matris timori tribuendum, virtute retentrice debilitatâ, expultrice irritatâ.

Zwing.l.2.Phyſ.c.28.

LXIX.

Muſica Somniparens.

Animæ quies&remiſſio eſt, ex objecti jucundi præſentiâ, quâ fruitur. Sic Muſica ſomnum inducit, & Pythagoræi ante ſomnum Muſicâ utebantur, non modo ad animi motus turbidos cohibendos, verùm etiam ad ſomnum potius alliciendum.

Zwing.l.2.Phyſ.c.26.

LXX.

Infantium à cantu ſopor unde.

Infantes nuper editi, quòd mirum eſt, adeò dulci demulcentur ſono, ut etiam blandis cantilenis ſopiantur, cujus rei non aliam aſſignaverim cauſam, niſi quod Anima adeò attenta eſt ad aures & cantum, ut oculorum & cæterorum membrorum obliviſcatur. Unde & Spiritus coercentur intus, qui, cum ſecum, præſertim in puerili ætate, aliquem conjunctum habeant madorem, ſenſim incipiunt gravare animam, & ut quietem appetat, impellere.

Ioach. Curæus l.1.de ſenſ.& ſenſ.c.39.

LXXI.

Surdi ut ore audiant.

Ex ſurdis aliqui ſeipſos loquentes aliquomodo, alios verò audire minimè poſſunt. Sed & inventi fuerunt, qui ſurdi alioquin exiſtentes, dentibus muſico inſtrumento, ſonum edente preſſo, & parte illius aliquâ, vel ſaltem aliâ illi contiguâ admorſâ, ſonum illum apprehenderent. Quod non ſaltem fiſtulam ore continentibus, & fiſtulantibus, ſed & illis, qui alterius inſtrumenti, quod fidibus conſtat, dum pulſatur, partem mordicus apprehendunt, contingere poteſt. Et ſanis etiam, auribus diligenter obturatis, ut per hanc viam nihil audire queant, ſi idem faciant, ſimili modo, uti quilibet experiri poteſt, evenit.

LXXII.

Ejus rationes I. & II.

Quod duplici nomine accidere putamus; tùm propter dentium ſubſtantiæ in duritie, quæ penè lapidea eſt, & lævitate cum oſſibus auditus cameræ (quæ oſſa dentium ſubſtantiæ perſimillima, & ut in eâ melius ſonus fieret, duriſſima atque lapidea ſunt) ſimilitudinem & conſenſum, atque adeò cum ipſius auditus oſſiculis, eâdem ſubſtantiâ præditis. Dein & propter nervos dentibus ſubſtratos, à linguæ nervis eò derivantur, nervique linguæ cum auditorio nervo, propaginibus mutuo conjunguntur: quo conſenſu accidit, ut cum ſonus per aërem ex contactu dentes pulſat, continuatione hac per exteriora facta, auribus percipiatur. Sicuti & ore exactè clauſo, dentibusque invicem colliſis, vel linguâ in aliquam partem

tem impulsâ, sonum etsi extrinsecus auris non audiat, per interiora tamen percipimus.

Plater. l. 1. de laes. f. c. 8. p. 283. 287.

LXXIII.

III. & IV. Ratio.

Aër enim auri complantatus, multò quam exterior ille, purior & quietior est, ut eò faciliùs impressiones recipiat, per se alioqui, mobilem esse, ex obturatione auris, digito factâ intelligi potest, cum intus moveri sentiatur (nam tunc cavitate angustiori redditâ, aër ad latera impingit) instar spiritus in tuba conclusi, quin etiam ex tinnitu interdum, quando tanta est spiritus subtilitas, ut vel interni aëris agitationem imitari & exprimere queat. *(a)* Hinc videmus, si illud, quod cavum est, aëremque ob id in se continet, auri adhibeatur, sonum hunc vehementiùs in aure sentiri: quod volâ manus cavâ auri adhibita experimur: unde & pueri concham auribus apprimentes, fluctus marinos in ea se audire, referre solent: aëre tunc propter conchæ anfractus majorem strepitum edente. Quod & aquæ immerso capite, ita ut ab eâ penitus aures obturatæ sint, accidit, aëre tunc remanente, qui fluctuationis sensum offert, & si sub aquâ, commotis lapidibus strepitus fiat, illum quoque instar tintinnabuli sonantis percipi: licet sonus, extra aquam, etiam à sclopeto exploso, summus editus, nullo pactu audiatur, multoties cum puer natatione oblectarer, observavi. *(b)*

a) *Zvving. l. 2. c. 58. Cuneus de sens. & sens. l. 1. c. 42.*
b) *Plat. l. 1. de laes. funct. c. 8.*

LXXIV.

V. Ratio.

Sed & ob consensum prædictum dentium cum auditus organi substantia, vidimus, à sono aspero, facto ex confricatione rerum asperarum etiam citra contactum, dentes offendi. *(a)* Acutus enim valdè & stridulus crepitus, repetitis velut ictibus, aut tinnitibus membranam auditus quasi pungit, ea repentè sese contrahit, & cum ea simul patiuntur nervuli, ad radices dentium descendentes, in quem locum, ubi subitò novus aër incidit, horrorem & stuporem interdum circa dentes efficit. *(b)*

a) *Plat. l. c.* b) *Cuneus l. 1. c. 39. Zvving. l. c.*

LXXV.

Declarationes rei, & rationum dictarum.
I. à fidibus, vicina sonantis, instrumento inductis.

Huc fortè aliquid facit, quòd sicut pulsatis fidibus, instrumento alicui obductis, animadvertimus chordas, ad eundem tonum intensas, in alio instrumento, etiam procul dissito moveri, adeò ut si aliquid illis imponatur, vel tremat, vel si leve sit, ut palea, decidat: ut tympanum tensum, ad omnes sonorum impulsus excipiendos, continuatione per intermedios dentes & nervos facta perculsum, sonum auditui repræsentat. Res sanè prodigiosa, & rari miraculi plena.

I. Sylv. ex Boët. Mizald. memor. centur. 5. part. 17. centur. 9. part. 6. l. 1. arcan. p. 39. Plat. l. c.

LXXVI.

LXXVI.

II. ab octava ad octavam.

Quemadmodum autem in fidium pulsu octavam octavæ respondere constat: sic facultas sensitiva, mirabili naturæ providentia, sensibiles: motiva mobiles spiritus movet: & hi moti, ad sua destinata organa, stupenda provolant obedientia. Ut in monochordi certis tantùm intervallis, & diapason & diatesseron & diapente sonat, in reliquis non sonat: & in Phiolarum exercitio, certi modi tabulam sive mensam tremere faciunt.

Zvving. l. 2. Physiol. t. 23. p. 388.

LXXVII.

III. Ab unisono ad aliud unisonum.

Unisonum aliud unisonum commotat, quoniam quæ similiter tensæ sunt chordæ, consimiles aëris undationes & facere & recipere natæ sunt: quæ verò dissimiliter sunt tensæ, non eisdem circulationibus aptæ sunt moveri, sed una circulatio aliam impedit: ictus enim cordæ motus est compositus è duobus motibus, uno quidem, quo chorda pellitur antè, hoc est, versus aëris circulationes, alius verò qui retrò fit, chorda reducente sese ad situm proprium. Si igitur motâ unâ chordâ, debet & alia moveri, oportet ut in secunda, talis proportio sit, quod undationes & circulationes aëris, quæ impellunt, & faciunt motum ante, non impediant motum, qui retrò fit à chordâ, quam proportionem solùm hæ chordæ habent, quæ tiam consimilem tensionem habent: quæ verò dissimilem sortitæ sunt tensionem, non sese commotant, quoniam dum secundus fit motus, id est, reditus chor-

dæ, retrò circulatio secunda illi obviat, & sese impediunt: unde nec motus fit ullus, præter primam impulsionem, quæ intensibilis est.

LXXVIII.

IV. A ponderis æquali vel inæquali gestatione, vel motu.

Plures quoque, cum pondus aliquod ferunt eâdem proportione indigent, ut cum alius pedem sistit, alius moveat: sic enim sine labore ferunt: quod si sese impediant quietes & motus, fatigatio fit multa, & ferre tandem non possunt, cum duo aut tres lignum illud longum ac grave, modò elevent, modò deprimant. Si enim non ea ratione id agant, ut pariter deprimant, cum alius tollit, alius premere incipiat, motus impeditur & labor accidit. In chordis autem propter celeritatem circulationum non percipitur.

H. Fracastor. de simp. & antip. c. 11.

LXXIX.

Vigiliarum cruciatus in dormiturientibus immensi.

Tormentum magnum est, dormiturientem prohibere ne dormiat: quia dolor excitatur, ex insolente motu spiritus, quando sponte ad interna conversus, violenter extra retrahitur.

Zvving. Physiol. l. 2. c. 23.

LXXX.

Vigiliarum noxa intima.

Vigiliæ enim immodicæ cerebrum exsiccant (sanguine biliosiore reddito) spiritus (propter nimium illorum usum & agitationem) dissipant, & accendunt (unde humores quoque, calidos præsertim, accendi con-

contingit,&eosdem tandem consumi)calidum nativum hebetant,hinc cruditates, & inde imbecillitas.

Ruland. de l.ungar. c. 5. Plat. l. 1. d.l.f. cap. 4.

LXXXI.

Ex Somno Animæ quies & plaga.

Somnus à Deo factus non solùm ad corporis recreationem, sed etiam ad Animæ libertatem. Quia enim, si ad officia spectes, propemodum plantæ vitam vivimus dormientes: voluit ut tùm verè viveremus: nam servus eo tempore liber est, atque etiam Dominus evadit aliquando per insomnia. Pravorum animi suppliciis afficiuntur per insomnia. Bonorum atque sapientum, veritatis investigatione: laudabilium officiorum functione, Divinæ mentes fiunt, per insomnia: solutæ namque non à corpore, seu à corporis penso, suas agunt res: seipsas enim movent, atque etiam promovent ad effigiem sui finis, quem sunt olim contemplaturæ.

I. Henr. Alsted. Phys. Peripat. l. 4. c. 7. Scalig. exerc. 290.

LXXXII.

Somni & Somnii usus.

Blanda illa parens nostra, Natura, ut quotidiano succurrat labori, Medicamenta duo præscripsit lenia, &ut Medicorum loquuntur Filii μαλακτικά, Somnum & Somnium. Quorum quidem altero, miti quadam & placidâ quiete, motus violenti Corporis & Animi, intentione suâ defunguntur, laxanturque ut perpetuo quodam ordine rebus novis pares esse possint. Altero verò Spes plerunque, quæ suavissima animi nostri medela est, sensibus objicitur, blandæque imagines,

qua-

quarum causa prima ignota nobis, ex æternitate animi perpetuoque ejus motu & divinitate dependet, cujus tanta libertas & potentia est, ut nec Rex omnino ullus, nec crudelitatis artifex, terminum illi aut limitem hactenus posuerit.

Dani. Heinſ. in præf. Poëm.

LXXXIII.

Somniorum differentiæ. 1. *Somnia divina.*

Somniorum tres sunt differentiæ: vel enim illa sunt 1. *Divina, vel* 2. *Supernaturalia. vel* 3. *Naturalia.*

Somniorum divinorum origo & inspiratio pendet à Deo Opt. Max. qui horum adminiculo, tanquam idoneo medio & instrumento usus, ad Prophetas suosque fideles servos locutus est. De illorum autem veritate, aut certitudine, nemo sanæ mentis dubitabit unquam, modo ob oculos sibi ponant Autorem qui ipsa veritas est. (*a*) Vellicat enim subinde sopitas, atque oscitantes mentes, Supremus opifex, ac visiones somniaque objicit, nunc læta, nunc luctuosa ac funesta, quæque nobis salutaria vel noxia denunciant, quo animos nostros exploret, an illius monitis ad extremum futuri simus obsequentes, aut ab illius præscriptis defecturi. Multi enim nugis hominum, ac commentitiâ doctrina dementati, à Deo, ejusque verbo descifcunt, ac relicto uberrimo, atque inexhaustæ aquæ vivæ fonte, arentes rivulos consectantur. (*b*)

a) *Quercet. diat. polih. ſ. 1. c. 10.* b) *Lemn. l. 2. de compl. c. 2.*

LXXXIV.

LXXXIV.

2. *Supernaturalia.*

Somnia ſupernaturalia medio modo ſe habent, inter Divina & Naturalia: utpote quorum cauſæ, neq; ad Deum ipſum immediatè referendæ ſunt, neque etiam ad pravorum humorum malignitatem, à quibus Naturalium Somniorum origo dependet: ſed ad Animam noſtram, quæ dormiente etiam corpore vigilat: quæque raptu quodam ſupernaturali excitata, præſertim bono genio inſpirante, per ſomnium ac viſiones, nobis repræſentat multa phantaſmata, quæ plerumque certi aliquid præſagiunt, quorum certitudo ut plurimum per rerum eventum cognoſcitur. Exempla ejuſmodi Somniorum, quàm plurima occurrunt, ubi Somniantibus ſæpenumero viſum fuit, aut in morbum aliquem incidiſſe, aut ab eodem convaluiſſe; quibus viſionibus poſtea reſpondit ſimiliter eventus, ad omnia, quæ in ſomnis antea præviderant: quamvis illa non fuerint, neque citata, neque poſtulata, ſicut acciri ſolent diabolica ſomnia. *(a)* Arnoldo de Villa nova, inſigni Medico, noctu in ſomnis viſum fuit, à cato quodã nigri coloris, in pede ſe ſauciatum: ſequenti ſtatim die erupit, in eadem pedis regione, cancroſum & malignum ulcus. *(b)*

a) *Quere. l. c.* b) *Fulgoſ. l. 1. c. 5.*

LXXXV.

Naturalia.

Somnia Naturalia ſunt paſſionum animi & corporis indicia, proinde ſunt à Medico contemplanda, ut ait Hippocrates. Suſcitantur ejuſmodi ſomnia plerumque à cauſis cùm externis, tùm internis. Externæ ſunt,

ſunt, uſus ciborum copioſos vapores excitantium, & eorum qui gignunt ſanguinem retorridum & melancholicum; Internæ cauſæ ſunt, humores maligni atque melancholici, qui tenebroſâ ſuâ caligine, mentis lumen offuſcant, illique varia moleſtiarum genera imprimunt, ut manifeſtè conſpicitur, in omnibus iis, qui melancholico temperamento ſunt præditi.

Querc. l. c.

LXXXVI.

Inter Somnia Naturalia, unde hæc tetra, illa blanda.

Cum enim ut Cicero (*a*) ex Platonis ſententia diſſerit, ea pars animi, quæ rationis eſt particeps, ſomno ſopita langueat, atque altera pars immoderato potu ac paſtu ſit obſtupefacta: viſa quædam objiciuntur tetra, atque immania: at qui moderato victu, quieti ſe tradidere, ea parte animi, in qua ratio & conſilium conſiſtit, alacri atque erecta, corpore verò nec inopia defecto, nec ſacietate affluenti oppreſſo, tunc eveniet, ut Mens eluceat, & ſe vegetam alacremque ad ſomniandum præbeat, ac viſa tranquilla & veracia occurrant. Cuicunque enim operi interdiu homo intentus eſt, & occupatur, reſoluto in ſomnum corpore, retractat, ſecumque verſat atque agitat.

a) *l. de divinat.*

LXXXVII.

Actio diurna nocturni ſomnii opifex.

Quod cuique pro ſuæ vitæ inſtituto ſolet eve-
nire,

nire, hoc venusto carmine commonstrat Claudianus. *(a)*

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
tempore nocturno reddit amica quies,
Venator defessa thoro dum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, auriga somnia currus
Vanaq; nocturnis meta cavetur equis.
Gaudet amans furto; permutat navita merces,
& vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaq; largitur frustra sitientibus agris,
irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoq; Musarum studium sub nocte silenti
Artibus innumeris sollicitare soles.

a) *l. 3. præfat.*

LXXXVIII.

SOMNIORUM vis & efficacia; declarata 1. Matris D. D. Hunnii, de columna Ecclesiæ.

Valdè memorabilè, & omni admiratione dignum est, quod de visione & somnio Matris, Magni illius Theologi, D. Ægydii Hunnii p. m. Leonh. Hutterus, insignis apud Wittebergenses Theologus refert: *(a)* Aliquoties (inquit) Matri (D. Hunnii) uterum adhuc gestanti, cœlestis visio, & quidem, ut illa sanctè affirmabat, non verè dormienti oblata fuit, cujus summa hæc erat: videbatur sibi Mater sedere in templo suo loco, & manu dextra quidpiam humo attollere, simile culmo stramineo: cumque id teneret inter anteriores digitos cœpit ita crescere, Mater verò sub mole ita angi, laborare, sic afflictari ac si penitus succubi-

cubitura esset: cumque jam videretur actum, & planè se putaret interituram sub onere, repentè vidit id in Templi columnam versum, & se onere eo liberatam.

a) *in Threnol. Hunnii.*

LXXXIX.
De eodem.

De hoc somnio, ita Steph. Gerlachius, S. S. Theol. D. & Professor Acad. Tubingensis, ad D. Hunnium, in litteris Constantinopoli, ad columnam Constantini Magni purpuream, d. 19. Maij, 1577. exaratis: Somnia (inquit) quædã fatidica esse, non solùm Scripturæ testimonio, sed tuo quoque exemplo patêre video. Postquam enim Amicorum nostrorum litteris accepi, ornatum Te Doctoreis honoribus, Scholæ Marpurgensi, Theologiam docendi causa, præfectum esse, recordatus sum somnii Matris Tuæ, quæ vidit Te ex utero egressum, in Templi columnam converti. Id hodierno die, complementum suum sortiri, nemo nisi invidus negabit.

XC.
2. *Somniorum certitudo, exemplo Ioan. Oporini, de horologio.*

Joan. Oporinus, Typographus Basileensis, 14. decubitus die, somno oppressus, diu supinus jacuit; tandem altè deductis suspiriis, hanc edit vocem: benè habet, si quis ita monetur. Interrogatus ab astantibus quid sibi hæc vellent, respondit: per somnium se vidisse supra lectum, horologium automatum suspensum horas signasse, quibus finitis, pondus illud, quo moles impellitur, in pectus devo-

devolutum, eum excitasse. Addidit se quasi dulcem concentum ex illâ concussione percepisse.

And. Jocisc. in Orat. funebr.

XCI.

De eodem.

J. Oporinus, epidemicâ cephalalgiâ infestatus, XIII. à decubitu die, nullis interea, quæ phantasma hoc movere possent, objectis lacessitus, machinæ horariæ pondera, ex iis, quæ campanæ pulsu somnū excutiunt, supernè cum suavissimo tinnitu, in pectus suum devolvi per quietem vidit, tanto cum impetu, ut stertentem etiam excitârit: tanta cum harmoniâ, ut vel recordatione solâ mirificè oblectaretur. Eo concentu edito, pondus ipsum incredibili celeritate, pari strepitu elabi visum. Ipse subridens, Misericordias Domini quis enunciabit? qui enumeris donis suis, hanc tàm placidam & paternam admonitionem ceu colophonem addere voluerit? in manu certè Tua, Deus, & vita & mors nostra. Tu miserere nostri. Sensim inde, irrito conatu hæmorroidum, vomitus, urinæ, alvi, 20. die placidissimè expiravit. 7. Jul. A. 1568. ætat. 60. vir de litteris ita meritus, ut qui optimè.

Zvving. volum. 5. theatr. vit. hum. l. 4.

XCII.

3. *De morte Huberi Medici, Somnium.*

J. Huberus Basileensis, ut uno verbo dicam, ἀρχίατρος χαριέστατος, A. æt. 65. Christi verò 1571. ex Iliaco graviter decumbebat, J. Lucas Iselius, privignus meus, qui tunc Vesontione vivebat, per somniū videre visus est, lectum suum egesta recens humo

opertum: quam cùm lodice remoto, excutere vellet, ſub ſtragulis Huberum Medicum, quantus erat, decumbentem vidit, momentoque oculi in puerilem transmutatum ſpeciem. Eo ſomnio territus, poſtridie ὅραμα certius habuit, ob Huberi mortem lugentium ejulatus à ſe exaudiri eredens, ſic ut perturbatione correptus excitaretur, Huberus biduo anteà, annis meritisque plenus, 9. Febr. vivis exceſſerat.

Zvving. l. c.

XCIII.

4. *Guilhelmi Neſſeni, de ſuffocatione in Aqua, Somnium.*

G. Neſſenus lintre piſcatoria trajecturus Alpim, id quod ſæpè ab eo recreandi animum gratia factum fuerat, cum impegiſſet illam latenti ſub aquis arboris trunco, de improſivo vacillante, inflexaque in latus lintre, excidit & in amne eſt ſuffocatus: cum quidem eo die, poſt prandium, paululum conſopitus, talem ſpeciem per ſomnium oblatam vidiſſet, offendentis lintris, & fluctuantis, & prolabentis ſui ipſius in fluvium. Id ipſe adventanti tùm ex patria Philippo, qui crebrò eum accedere ſoleret, narravit, deridens cum jocis ſomniorum vanitatem.

Camerar. in vita Phil. Melanth.

XCIV.

5. *I. Douſa ſomnium, de concentu Muſico mirabili.*

Priusquam è vita excederet Janus Douſa, Nordowici & Cattendici Toparcha, integer adhuc corpore, In ſecreta animæ admiſſus gaudium immortalitatis delibavit: quodque mortuis evenire ſolet, jam moribun-

tribundus præcepit. Cum paulatim enim ſine cruciatu ullo, è ſtatione ſua abire, beatiſſima pararet Anima: ecce tibi, ſubitò, & præter expectationem omnium, exclamat ille, amicisque aſtantibus, quid inquit, an ſolus audio? quis iſte ſonus eſt? quæ iſta modulatio? diu prius omnes admirati, cum nihil ſentirent, viderunt tandem, id quod res erat, virum divinum, cœleſtibus initiatum myſteriis, non amplius humana loqui, animumque puriſſimum, inter æternitates æternorum orbium, ſyderumque concurſus, è quibus jam olim delapſus erat, iterum aberrare.

Dani Heinſ. in laud. funebr.

XCV.

6. *D. Chriſtoph. Rhumbaum, de felici affectus ſingularis, ex libro incognito, curatione.*

Annus, hoc 1611. Anno, agitur 6. ex quo D. Chriſtoph. Rhumbaum, Medicus Uratislavienſis, vir quoad vitam integerrimus, quoad artem exercitatiſſimus, quoad aliarum rerum cognitionem peritiſſimus (cujus Anima nunc ſit in benedictione) ſanctè mihi aliquoties affirmavit, ſibi aliquando, dum ob ægri cujusdam affectum ſingularem graviter angeretur, Librum Medicum in ſomno viſum fuiſſe, in quo affectus illius curationem probè deſcriptam inveniret. Cùm ergò is à ſomno expergiſceretur, & ſomnium planè divinum fuiſſe arbitraretur, curationem ſecundum ipſius monitum inſtituit, quam etiam, Deo fortunante, felicem expertus eſt. Quid fit, poſtquam aliquot Anni præterfluxerunt, demum liber quidam in lucem editur (cujus titulus mihi memoriæ

excidit) in quo illa ipsa ad unguem (prout D. Rhumbaumius se in somnio ea legisse putaverat) non solùm descripta, verum etiam paginam, ac paginæ faciem (cui itidem eadem inscripta fuisse cogitaverat) reperit.

Döring. l. 1. de Med. part. 2. s. 1. el. 1. c. 3.

XCVI.

7. *Matris G. Castrioti Scanderbegi, Epirotarum principis, de Serpente somnium.*

De Georgio Scanderbego (Turcis Ischenderbeg) ferunt, quod, cùm eum concepisset Mater, serpentem se enixam ejus magnitudinis somniarit, qui totam ferè operiens Epirum, caput intet Turcarum fines protenderet, & cruentis faucibus eos absorberet, caudam verò teneret in mari inter Christianos, & Veneti maximè Imperii terminos: narratum id sibi Joannes Pater, cum non ejus generis res esset, quæ extis ullis scrutaretur, vel Apollinem exigeret Interpretem, ingenii lætitia solatus uxorem, nasciturum ex ea virum ominatus facilè est, clarum bello factisque, qui Turcarum simul hostis acerrimus, idemque Dux felicissimus, & Christianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor Imperii perpetuus existeret. Nihil fefellit se vel alios solicitus parens, sed aucta magis est vaticinio fides, puero nato, namque aliud pulchrius longè, clariusque bellici decoris signum in dextro pueri brachio visum, forma ensis ita expressa, ut manu facta videretur. O insignem Naturæ Liberalitatem, quæ vel nascentibus nobis subjicit documenta, & in corpore ipso figit insignia, quæ postmodum sint sequenda.

Ma-

Marin. Barlet. de vit. & gest. Scanderb. l.1. c. 82. I. Wolf. memor. cent. 16. p. 421. Ph. Camer. cent. 1. hor. succ.

XCVII.

8. *Ph. Melanthonis de Euphrasiâ somnium.*

Laboravi ante aliquot Annos (inquit Phil. Melanthon) fluxu satis periculoso in dextro oculo, ac usus sum multiplicibus medicamentis: & tamen nihil me proficere sensi. Somniabam verò me consulere Doctorem Philonem Medicum, qui jubebat me uti Euphrasiâ: qua usus, statim intra biduum sum curatus.

I. Manlius in collectan.

XCVIII.

9. *Matris, I. Cæsar. Scaligeri, de ingenti flammâ, Somnium.*

Matrem meam postridie, quàm me edidisset, sæpenumero prædicantem audivi, vidisse per quietem lintea universa, quibus in arce, in quâ natus essem uterentur, igni correpta conflagrasse: inde flammam exîsse ingentem, cum ingenti sonitu, summasque Alpes Noricas, Rhæticas, Ligusticas pervasisse, atque sine noxa perlustrasse: nivem colliquatam, novam montium faciem ostendisse. Quibus visionibus conjectrices aniculas, quibus tota illa scatet regio, multa ridicula, quæ non ponam, pronunciasse. At illa, per jocum aliquando, aliquando per contumeliam, me Paridem appellare solita fuit, donec excisis rebus nostris, somnii vis prodita est.

I. Cæs. Scaliger, in comment. l. de insomn. Hippocr. apotel. 42.

XCIX.

10. *Exemplum Conradi Geſsneri de ictu Serpentis Somniantis.*

C. Geſsnerus, Medicus Tigurinus, quem ob cumulum multiplicis eruditionis, in ipſo reſidentis coacervatum, Germaniæ Plinium, meritò nominare poſſis: poſtquam nocte præcedente ſe Serpentis ictu vulneratum ſomniâſſet, hujusque ſomnii veriſſimus Interpres ipſe extitiſſet, dicens ſe anthrace peſtilentiali corruptum iri: paucis poſt diebus anthrace in ſiniſtra mamilla, quinto ante ejus obitum die apparente, ex hac miſeriarum valle ereptus eſt. 13. Decemb. Anno 1565.

Joſ. Simler. in vita Geſſn. p. 18. Quercet. peſt. alexic. l. 1. c. 4.

C.

Doctrina Somniorum finis.

Hæc à nobis non dicuntur in eum finem, quaſi ad nimiam ſuperſtitioſamque Somniorum obſervandorum diligentiam quemvis pellicere velimus: cum Somnia interdum fallere poſſint, ſed noſtrum eſt propoſitum, ſolummodò indicare & commonefacere, non ſemper contemnenda eſſe eadem, legemque Catonis, *(a)*


ῥίπτε ἐνύπνοια: ———

non ita generatim de omnibus ſomniis, ſed cum certa quadam limitatione intelligendam eſſe. *(b)*

a) *l. 2. diſt. mor.* b) *Querc. diat. poli. ſect. 1. c. 10.*

Sed ſatis ſomniavimus.

CEN-



CENTVRIÆ III.

Particula I.

Herbariæ Medicinæ origo Divina.

HErbariæ Medicinæ ortum à cœlo repetimus. Cum enim nondum esset conditus Homo, cretis discretisque Elementis, mox Dei jussu, herbæ plantæque omnes, infinita florum, odorum, saporum, colorum & facierum varietate è Terræ visceribus emerserunt, tot & tantis viribus dotatæ, ut tantum munus, totque in usus comparatum, alteri quàm Deo tribuere injurium videri debeat. Itaque ne harum quidem rerum notitiam, nisi monstrante Deo, mens humana unquam delibare potuisset: nam & Magnus Universi hujus Conditor & Architector Deus, ubi primum Adamum, Spiritu oris sui afflatum, in vivum spirantemque hominem confirmavit, natûram Plantarum, & proprias singularum rerum, quas Terra procreat & alit, & Mundi Universitas suo complexu continet & fovet, facultates dotesque edocuit: adeò ut si quis inventionis hujus gloriam, humano ingenio adscribere velit, in Dei numen ingratus, vel Plinii judicio censendus sit.

A. Paræus in præfat. op. Med. & Chirurg.

II.

Quòd verò omnium rerum Scientiam in Adam infuderit Deus, facilè quidem conjicere quisque potest ex Mosaicis monumentis. *(a)* Etenim cum parenti-

bus primis nostris potestatem dederit ipse Deus, ut dominarentur volucribus cœli, piscibus maris, cæterisque terræ animantibus: en vobis trado (inquit) omnes herbas *(b)* quæ in omni terræ solo frugiferæ sunt, omnesque fructifero fœtu præditas arbores, semenque parientes, quibus ad alimoniam vobis uti liceat.

a) *Matthiol. praf. comm. Dioscor.* b) *Mos. in Genes. c. 1. v. 29.*

III.

Herbariæ Medicinæ Autor Deus.

Artes cæteræ propemodum omnes, hominis studio, atq; industriâ, posteaquam à Deo creatus esset, excitatæ primùm ac novis subinde auctibus successu temporis amplificatæ sunt. Solæ Herbæ, unà cum suis viribus, non expectato cœli favore, ortus sui capissevêre primordium, statim Elementis conditis homine tantò priores, quantò cœlo terrâque posteriores, in medium incidentes creationis articulum. Affirmat etiam Empedocles, stirpes extitisse, antequam circumflexus Solis expansus, ante etiam quam nox diesque discriminata essent. Quo nomine nullius rei aut Artis inventio, ad Deum Authorem rectiùs refertur, quàm Stirpium & Medicinæ Herbariæ. Nam ut terra ab Aquarum in devexa loca jam adductarum mole atque colluvie primùm emersa, contagioque illius absoluta respiravit, dicto Creatoris audiens, sine morâ, incredibilique celeritate, licet immunis adhuc rastroque intacta, nec ullis saucia vomeribus, pullulare ac virere cœpit, motu quodam interiore, quem ipsa non à Sole libaverat, fonte τῆς ζωτικῆς δυνάμεως

(non-

(nondum enim in rerum natura is existebat, cœli luce etiamnum quoquo versus fusâ atque extentâ) sed intra se de mandato Dei conceperat, ex quo frigida ac sterilis prius tantam vim vitalem, contrà atque hodie, in ipso statim ortu hausit, ut tanquam dudum prægnans & parturiens, eniteretur, atque ex abditis & penetralibus visceribus suis profunderet innumera germina, tot species plantarum suis indutarum germanis atque vernaculis proprietatibus, tot etiam fructifero fœtu gravidas arbores, è quarum fructibus vim continentibus seminariam, statim sese proferendam temporum circuitibus, homini postea curatum est nutrimentum, bestiis terrestribus, cæterisque volucribus & quæcunque moverentur vitali animata spiritu, herbarum viriditate ad se pascendum adjudicatâ.

Sol. Alb. Orat. de herb. discipl. A. 6. a. b.

IV.

Natura principium Creationis internum.

Principium Creationis internum commune est Natura, quæ est principium motus & quietis, v. 11. l. 1. Mosis, ubi Deus dicit: Germinet Terra. Natura est ipsa θεῦ φωνή. Ecce Sapientissimus Architectus indidit Terræ hanc Naturam, propagationis, seu germinationis virtutem. Natura itaque nihil est aliud, quàm organica ordinaria vis, à Deo indita rebus creatis. Quòd ergò Terra è gremio suo nobis fundit tot divitias, quòd herbæ semen emittunt, quòd aliæ arbores ex aliis pullulant, id totum manat ex isto Dei verbo. Si quæras, quî fiat, quod ex semine germen

nafcatur, fingulaque genera quotannis fobolefcunt, ne longè abeas, Mofes refpondebit: quia femel locutus eft Deus, fuumque æternum decretum protulit: Terra autem & quæ ex eâ proveniunt, Dei mandato, quod femper exaudiunt, Creaturæ, præbent obfequium.

I. Henr. Alfted. Phyf. Mofaic. c. 2.

V.

Stirpium generatio ex purâ terrâ, fine femine.

Ego femper confonum veritati exiftimavi, quòd è terrâ, tàm plantæ, quàm aliqua animalia nafcerentur, propterea quod ineft in terra humidum, in humore fpiritus, in univerfum calor animalis, ob id absque præexiftente feminio, fine ullo hominum opere, ut diverfi terrarum tractus fucco, fole, fitu, aliisque conftitutionibus diverfi funt: ita quoque diverfas plantas, & diverfis infignitas qualitatibus produxerunt. Ejusmodi enim folet effe corporis habitus, cujusmodi humores, quibus nutrimur, talesque fucci gignuntur, qualia funt alimenta quibus vefcimur. Id mihi animum fubmovit Experimentum, quòd cum è profundiffimis ædium fundamentis, egeftam humum convafaffem (ut omnis objecti feminis fufpicio tolleretur) atque fub dio expofuiffem editiffimis locis, ne aliunde ventus femina exportaffet, non multò pòft elapfis diebus, è variis terræ qualitatibus in quafillis, varia herbarum genera exorta funt, fed Neapolitano folo cœloque familiaria: nam alia, argilla, alia pulvis Puteolanus, alia contritus lapis, vel tophus produxit; fic unaquæque terra, pro fua qualitate, ejusdem

dem qualitatis ſtirpes produxit: tophacea enim terra aſphaltitem trifolium produxit; ſic urticas, rubos, mercuriales, & ſimilia, ſic etiam paſſim videmus in terræ aggeribus è puteis erutis, aërique expoſitis, quod ſponte naſcentes herbæ, ſummam cutem amiciant, & amæno virore decorent.

VI.

Ejus Ratio Theologica.

Sed quid longiùs evagandum, ſi hæc S. teſtimonio literarum clara ſunt? inquit Moſes, quod, ubi Deus Terram creaverit & ab Aquis diviſerit: Producat *(a)* juſſit, Terra herbam virentem, quæ ferat ſemen juxta genus ſuum, cujus ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram. Sic protulit herbam Terra virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſemen juxta ſpeciem ſuam; quaſi diceret, quod cum Deus Terram creaſſet, cunctaque ejus loca variis qualitatibus inſigniviſſet, munifico ſuæ Omnipotentiæ luxu, unaquæque orbis pars, juxta ſuas qualitates, herbas produxit.

VII.

Vi Benedictionis divinæ alia terra alias plantas profert.

Tunc nivoſa montium Septentrionis juga taſſum, thutiam & celaſtrum erexerunt; & ſub Solis curſu fervida Zybia odorata aromata miſit. Judæi Syria una Balſamum; Cyrenæ Laſerpitium; Sabæi thus; Arabia myrrham, caſiam & Cinamomum; Ægyptus Sycomorum; Media Citrium; Perſia cuciopheram; Phanos Inſula Loton; Rhodus aſpalathum; Babylonia palmam; mons Lybanus cedrum; Corycus

Cro-

Crocum; Troja Fagum; Bactri Therebinthum; Hæmus, Tamaricem; Creta crupressum, & dictamnum; Cyclades Cyperum; Pontus Absynthium; Europæ Illyria Iridem; Macedonia Petroselinum; Athenæ Oleam; Olympia Oleastrum; Cyllene Moly; felicis Campaniæ colles vites, temulentiæ nobilis succo per omnes terras inclyto; Orientis Indi Ebenum; India Seticea vellera; Occidentis Tylos lanigeras arbores & guiacum. Nec flumina, lacus & paludes à suis muniis feriarunt. Nilus Papyrum produxit; Euphrates Zotum; Strymon Tribulum; Lacus Orchomenius Siden, & juxta Lybanum juncum, & odoratum calamum; Colchides & Galatiæ Acorum; Ægyptiæ paludes colocasiam. Et tandem singulæ orbis partes singulas stirpes, ut sua ferebat qualitas, erexerunt; ejusdem proprietatis, quarum semina translata, ac blandimentis sata, suas qualitates adulterarunt.

I. Bapt. Porta l. 2. phytogn. c. 1.

VIII.

Priscorum Regum in Plantarum inquisitione mirum studium.

Quare præstantissimos Reges, ac magnanimos, Illustresque heroas, in ipso etiam armorum strepitu, tumultuq; bellico, studiosè olim excoluisse rem herbariam, ac stirpium cognitione cum primis fuisse delectatos, præter veterum historias, Bibliorum Codices abundè testantur. Quum enim harum rerum investigatio amœnissimâ varietate exornata sit, nec minus habeat utilitatis, quàm oblectamenti, non visum est Regum amplitudini, nec Imperatoriæ Majestati inde-

indecorum, hujusmodi occupationibus distineri, præsertim ubi ab urgentissimis negotiis ac functionibus publicis respirare, atque aliquid sibi laxamenti impetrare licuit. Hâc enim tùm animi, tùm corporis culturâ, non minus celebris facta est illorum memoria: non minus illustratus nominis splendor & magnificentia: quàm rebus aliis præclarè gestis, aut hostibus vel subactis, vel ad internecionem deletis.

IX.

Reges herbarum cultores.

Mithridates.

Sic Mithridates Ponti, atque unde viginti Regnorum Rex, propter eximiam herbarum notitiam & singulare antidoton contra venena morbosque omnes contagiosos præsentaneum, illius nomine insignitum, immortale nomen est consecutus.

X.

Lysimachus, Gentius & Imperatores quidam Romani.

Lysimachus Eupator Macedoniæ, Gentius Illiricorum Rex, multique alii, præter belli gloriam, herbarum cognitione illustres sunt. Marcus Cur. Imperator Romanus, post devictum Pyrrhum, Epirotarum Regem, L. Cincinnatus, M. Valerius Corvinus, plantarum amœnitate allecti, procul à strepitu & ambitione civili, ruri consenuerunt.

XI.

Solomon.

Solomon Regum Amplissimus, qui præter immensas opes, eam consecutus est â Deo Opt. Max. sapientiam,

tiam, ac rerum cognitionem, ut nullus Regum illi sit comparandus, in herbarum notitia mirificè excultus, exactèque versatus, legitur, ac disseruisse, non solùm de piscibus, alitibus, quadrupedibus, Astris, sed de arboribus etiam & stirpibus *(a)* à cedro Libani usque ad hysopum, *(b)* qui egreditur de pariete, hoc est, à minutissima herba, ad procerissimasque celsissimasque arbores usque, omnia habuisse cognita & explorata. *(c)*

a) *Sapient. c. 7. v. 20.* b) *1. Reg. c. 4. v. 33.* c) *Lemn. de similit. c. 1. l. 1. de occ. nat. mir. c. 17.*

XII.

Nestor.

M. Varro memoriæ prodidit, Nestorem, qui temporibus belli Trojani vixit, & tàm longævus fuit, ut nunc etiam Nestoreos Annos (quibus tres ætates attribuit Homerus) *(a)* alicui precari soleamus, ita fuisse huic studio deditum ut ἀλεξίκηπον, id est, auxiliarem hortum, carmine quoque descripserit. *(b)*

a) *Odyß. 3.* b) *Camerar. in hort.*

XIII.

Reges Portugalliæ Gujacum importantes.

Nec suâ laude fraudandi sunt Illustris Fernandus Castiliæ, ac Joannes & Henricus ac Emanuel inclyti Portugalliæ Reges, quorum operâ & expensis saluberrimum illud lignum Gujacum, nuper ab Australis Oceani Insulis nobis allatum est: quo uno plus commodi miseris mortalibus attulerunt, quàm omnes illi avaritiæ cuniculi, metallorum argenti & auri fossores: quidnum in viscera terræ, omnium parentis sæviunt,

viunt, plus expendunt, & insumunt, qaam eruunt. Tanti est, vel uno morborum remedio, Medicinam locupletare.

Long. l. 1. Epist. 63.

XIV.

Alcinous Rex.

Alcinous Rex Phæacum, qui Homero *(a)* & Orpheo *(b)* δικαιότατ@· τῶν βασιλήων dicitur, diligenter & sedulò hortos excoluit, ad quos, negotiis regni expeditis, quotidiè se conferre, atque ibidem animum à curis & laboribus non parùm recreare consuevit.

a) *Od. η.* b) *In Argonaut.*

XV.

Philosophi & Sapientes alii.

Uno verbo, omnes Philosophi & Sapientes, qui remoti ab insano foro & urbe, hortorum se spaciis sepibusque clauserunt. At in istis? Tarquinium Regem video, jam tùm priscâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita resecantem: Catonem Censorium agnosco in re hortensi deditum, & de eâ seriò scribentem: Lucullum post Asiaticas victorias in iisdem otiantem: Sullam, abjecta Dictatura suaviter hîc senescentem: & Diocletianum principem olera sua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem.

Lips. l. 2. de Constant. c. 2.

XVI.

Imperatores Germani.

Sed veniamus ad nostros quoque, Imperator Fridericus III. qui 53. Annis imperio felicissimè præfuit, rei her-

herbariæ ita fuit intentus, ac tantum in eâ profecit, ut sæpius cum Medicis suis, animi gratiâ, de plantis, & earum viribus prolixè disputare non erubuerit.

Cuspin. in Cæsar.

XVII.

Studium Botanicum vitæ præsidium, curarum asylum.

Quapropter omni tempore hoc jucundissimum pariter & utilissimũ studium hortense, maximis Principibus & aliis plurimis summopere fuit commendatum, ac diligenter admodum excultum, statuentibus non solùm ad sustentationem ac conservationem vitæ humanæ percommodum, sed etiam suarum curarum ac molestiarum asylum esse, & convenientissimum præsidium.

Camer. in hort.

XVIII.

Idem animi honesta voluptas.

Voluptas etiam & animi recreatio, ex hoc ipso, non nisi honestissima esse potest: ad id enim quod pulchrum, honestumque hominem commonefacit. Suggerunt quippe flores suâ pulchritudine, coloris elegantiâ, formæ præstantiâ, odoris suavitate & fragrantiâ, generosis honestisque animis, honesti pulchrique & omnium virtutum recordationem. Turpe namque, ut quidam Sapiens ait, fuerit, pulchra tractantem, pulchrisque in locis versantem, non pulchrum, aut turpem habere animum.

Remb. Dodon. præf. de flor.

XIX.

XIX.

Eaq; mystica.

Est enim profectò, arcana quædam & congenita nobis vis, cujus intimas causas non facilè reddo, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit, non nos tantùm, qui propendemus, sed illos ipsos serios & severos, qui renituntur & irrident. Animum enim tuum mentemque percontare; capi se hoc adspectu dicet, imò pasci. Oculos, sensumque: fatebuntur enim alibi non libentiùs se acquiescere, quam in his hortorum areis & pulvillis. Circumsiste, quæso te, paululum hæc agmina florum & augmenta. Vide mihi illum è calyce, hunc è vaginâ, alium è gemmâ protuberantem; vide hunc morientem subitò, alium subnascentem; denique in uno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diversa.

Lips. l. 2. de Const. c. 2.

XX.

In herbis nihil parvum, nihil contemne.

Quare,

—— mentes adhibete fidemq;
mortales, multâ scrutati indagine, numen
non deerit, superique volunt sua munera quæri;
magnus inest Herbis vigor, & vis insita Cœlo
Graminibusque sua est vel vilibus addita virtus,
nilque adeo abjectum est, nihil est tam vile, sacratum
quin Medicamen habet: bulbo malvaque potestas
est sua & urticis ——

Camer. in præf. hort.

XXI.

Planta omnis Dei Index.

Aut mihi planta suis Numen demonstrat in herbis,
Præsentemque refert una vel Herba Deum,
aut operis series Autorem tota recenset
qui facit, & late cuncta vigore fovet,
emicat ex ipsis Divina potentia campis:
& levis est cespes, qui probet esse Deum.

I. Stigel.

XXII.

Color Herbarum Oculus: Odor aura cœlestis est.

Quæ illa igitur tàm rigida mens, quæ inter hæc non flectat se molli aliqua cogitatione, & liquescat? Jam ades curiose tu ocule: defigere paullum in nitores istos & pigmenta, inspice hanc nativam purpuram, hunc sanguinem, hoc ebur, hanc nivem, hanc flammam, hoc aurum: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas; æmulari sed non imitari, denique quis exhalans ille odor? quis penetrans spiritus, & nescio, quæ pars ætheréæ auræ infusæ ab alto?

Lips. l. 2. de Const. c. 2.

XXIII.

Hortulus naturale Musæum, Mausoleo splendidius.

Hoc igitur, quasi refugium quoddam & secessum liberalem, vel potius Musæum jucundissimum, ab ipsâ Naturâ, tot herbis, arbustis ac arboribus instructum ac exornatum quis non amplecteretur? quis non fateretur etiam marmora nitidissima regiarum picturas-

rasque splendidissimas, ac alia præclara artificia ab illis longissimè superari?

Camerar. l. c.

XXIV.

Stupendum, grandem arborem, in tantâ parvitate seminis latere.

Parvum cujuslibet arboris semen jacitur in terram, ut arbor ex illo producatur, considera & comprehende verò tu, si potes, ubi in ulla tantâ parvitate seminis tàm immensa arbor latuerit, quæ ex illo processit. Ubi lignum, ubi cortex, ubi tanta viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum? an tale aliquid in semine, cum in terram jaceretur, vidisti? Sanctissimus Jobus *(a)*

Conspexit fruticem casum frutescere rursum.

Arbor etiamsi excindatur, spes est adhuc repullulaturam & tenerum ramum ejus non destituturum, ex odore aquarum regerminat, ac si novella planta ac viva radix esset.

Quid ergò mirum, si tenuissimum pulverem à nostris oculis in elementa redactum, cum vult Deus, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbuscula redintegrat? *(b)*

a) *c. 14. v. 9.* b) *Heidfeld. sphing. phil. c. 8.*

XXV.

Gentianæ virtus divinitus revelata.

Gentiana, vulgò Cruciata dicta (zent Lazlo Kiraly sive, Pannon.) hoc est, S. Ladislai Regis herba: à Ladislao, Ungariæ Rege primo, qui Sancti cognationem adeptus est, propter Tartarorum ex Ungariâ depulsionem. Eum autem ferunt primum, totâ Ungariâ à Tartaris pulsum in Daciam sive Transilvani-

am profugisse in urbê Claudiopolim sive Colosvvar: illic cum opulento & prædivite quodam lanio amicitiam & familiaritatem contraxisse, cujus factus sit compater. Hujus auxilio, qui illi expensas persolvit, Tartaros denuò aggressus, eis totam Ungariam ademit. In hac Tartarorum fugâ, cum nummos aureos, quos ex prædâ collegerant, Aradiensi campo abjicerent, ut insequentes Ungaros remorarentur, precibus à Deo contendit, ut aurum in lapides converteret: votum eventus secutus est. Inde factum putant, ut Aradiensis ille campus planis lapillis abundet, qui aliquando aurei nummi fuerint. Hujus autem Regis tempore, gravissimâ peste afflictam universam Ungariam ajunt, eum verò precibus à Deo obtinuisse, ut quamcunq; stirpem sagitta ab illo in altum emissa cadens feriret, utilem illam ad hanc luem curandam præstaret, hanc in Cruciatam decidisse referunt, quâ deinde subditos pestis contagio liberârit. *(a)* Nos quoque eam, adversus pestilentium febrium contagia utilissimam exploravimus. Calida est, & sicca, extenuat, purgat, abstergit, obstructa liberat. Olim contra venenatorum animalium morsus duarum drachmarum pondere cum pipere, ruta & vino præbebatur, Summâ amaritudine, non modò sanguinis integritatem tuetur, atque à putredine vindicat, sed eam etiam jam grassantem coërcet, & noxios ichores, qui ejus fomites esse solent, siccando absorbet. *(b)*

a) *Carol. Clus. in Nomencl. Pannon.* b) *Iul. Palm. Constant de feb. pestil. c. 18. Lege etiam quæ de Carlina refert Mathiol. l. 3. comm. in Diosc. c. 9.*

XXVI.

XXVI.

Herbarum quarundam admirandi, & propè stupendi effectus:

ut sunt 1. ex Bali herbâ, Draco & Thiso occisi, redivivi.

Adeò attonita ad herbarum facultates fuit Antiquitas, ut Xantus *(a)* scripserit, occisum Draconis catulum, herbâ quadam (quam magi Bali nominant) à parente revocatum ad vitam eâdem Thisonem, quē Draco occiderat, saluti restitutum.

a) *l. 1. histor.*

XXVII.

2. Ex herbis claustra omnia aperta, & ferrei Equorum calcei soluti.

Picum avem adactum suis cavernis cuneum, quas in arboribus habet, admotâ quadam herbâ, extrahere tradiderunt, cùm Democritus, tùm etiam Theophrastus. Quin etiam Ætyopide herbâ tactu claustra omnia aperiri, quibusdam simul admurmuratis cantilenis. Id quod mihi miraculo non est. Memini enim dum superioribus Annis Venetiis agerem, me quendam suspendio damnatum vidisse, cui fores omnes patefierent, disjectis seris unâ tantum herbâ admotâ, signaculis quibusdam decantata. Talis verò facultatis, alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proveniens, qua ab Equis calcata continuò ferrei solvuntur calcei.

Mathiol. praef. in com. Diosc. l. 3. herb. c. 135. Plin. l. 10. c. 18.

XXVIII.

Alij Plantarum effectus, ex solo contactu.

Obſervatum eſt, inflammari vulnera, ulceraque ſuperventu eorum, qui pedibus iter confecerunt per loca pernitioſis plantis ſcatentia: contrà verò ſanari morbos, ubi ab itinerantibus vulneratis, ſalubres contactæ ſint. Sic hemionitidis contactu Spleneticos ſanatos ſcimus; Ictericos ſubſtrato in calceis, nudis pedibus, chelidonio aut paſtoria burſa. Tàm diu quempiam lippitudine non tentari, obſervatum quoque eſt, quàm diu ſylveſtris Rumicis radicem ſecum nitidiſſimè habuerit. Deſinet ſtranguriâ cruciari, qui Tamaricis lignum ardens, ſuâ ipſius extinxerit urina. Inguinis tumorem haudquaquam iis ſubcreſcere putant, qui Myrti ſurculum ſecum gerant. Vermiculi in Echinatis Dipſaci capitulis autumno reperti, collo in folliculo adalligati, aut ſiniſtro brachio appenſi, quartana febre affectos incolumitati reſtituunt.

Mathiol. præf. in comm. Dioſc.

XXIX.

Scordii contactu cadavera præſervantur.

Scriptum eſt à quibuſdam viris graviſſimis, cum in bello interemptorum cadavera, multos dies inſepulta jacuiſſent, quæcunque ſupra Scordium Creticum fortè fortuna ceciderant, multò minus aliis computruiſſe, eâ præſertim ex parte, quâ herbam contigerant. Ob quam rem certè omnibus perſuaſum eſt, tàm putrefacientibus animalium venenis, quam Medicamentorum deleteriis Scordium adverſari. *(a)* In vino etenim coctum, contra ſerpentium morſus & venena-

nenata bibitur, atque etiam contra pestilentis aëris contagia antidotis inseritur, quæ contra pestem fiunt. *(b)*

a) *Gal. l. 1. de antid.* b) *Jul. Palm. Constant. de febr. pest. c. 18.*

XXX.

Radix Pæoniæ collo gestata Epilepsiæ resistit.

Pæonia est facultate omnino resiccatoriâ vehementer, ita ut non desperaverim, eam etiam adalligatam, (quod meritò creditum est) puerorum Epilepsias sanare. Equidem vidi puellum, quandoque octo totis mensibus morbo comitiali liberum, ex eo, quo gestabat radicem, tempore: ubi verò fortè fortuna, quod à collo suspensum erat, decidisset, protinus morbo correptus est: rursusque suspenso in locum illius alio, inculpatè postea se habuit. Porrò visum est mihi, satius esse denuò id collo detrahere, certioris Experientiæ gratiâ. Id cum fecissem, ac puer iterum esset convulsus, magnam recentis radicis partem ex collo ejus suspendimus: ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, nec postea convulsus est. *(a)* Non desunt Mulierculæ, quæ perforata Pœoniæ semina, & filo trajecta coralliorum modo, suis infantibus & pueris collo circumligent, quod putent hoc amuleto Epilepsiam arceri. *(b)* Sic dicta à Pæone Medico, *(c)* qui eâ vulneratum Plutonem ab Hercule, Homero fingente, *(d)* curasse perhibetur, à quo Herbæ Pæoniæ, pro salutaribus accipiuntur, ut apud Virgilium: *(e)*

Paoniis revocatum herbis ——

a) *Gal. l. 6. simpl.* b) *Mathiol. in com. Diosc. l. 3. c. 140.*

c) *Camer. in hort. C. Bauhin. in Synon. herb.* d) *Odyss. e.* e) *l. 7. Æneid.*

XXXI.

Et quomodo, aliorum Exemplis docetur.

Rationabile igitur erat, aut partes quaspiam à radice defluentes, ac deinde per inspirationem attractas, atque ita affectos locos curare, aut aërem à radice assiduè mutari & alterari. Nam hoc pacto succus Cyrenaicus, Columellam phlegmone affectam juvat, & melanthium frictu palàm destillationes & gravedines desiccat, si quis id in calidum linteum rarum liget, assidueque calorem ex eo, per inspirationem, quæ per nares fit, attrahat.

Gal. l. c.

XXXII.

Radicis Pæoniæ vis occulta.

Radicis Pæoniæ masculæ vis, non à manifestis qualitatibus, sed à totius substantiæ dissidio, atque repugnantiâ dimanat, quâ non pituitæ, non humoris lentori, sed morbi Comitialis essentiæ (quæ latens occultaq; est) prorsus adversatur. Si enim, quod pituitam, quæ mali causa est, è cerebro, similitudine substantiæ detrahit, icirco medetur, cur non aliis quibusque à pituitâ morbis succurreret? aut cur non easdem vires obtineant medicamenta, quæcunque pituitam eliciunt? Scio Galenum hanc illi vim idcirco assignare, quòd exsicandi vi polleat, tenuisque sit substantiæ, ac propterea ventriculorum cerebri infractus expediat. Sed cum alia plurima extent, majore siccitate prædita, tenuiorumque partium, cur

cur illa vim pariter eandem ad morbum comitialem non accepissent?

Fernel. l. 2. de abd. morb. caus. c. 17.

XXXIII.

Pæonia Signatura.

Quibus virtutibus, signaturam ipsam hujus plantæ adjiciemus; cujus caliculus aut caput, ante quàm flores ex eo excludantur, analogiam quandam habet & similitudinem ad cranium humanum, in quo sutura coronalis spectatur, in cujus partibus interioribus rubor quidam florum, in obscuro nigrescens, fulminis alicujus similitudinem exhibet, quasi ipsam Epilepsiam (sideratum morbum) in cranio repræsentans, quæ idcircò congruum huic morbo medicamentum esse testatur.

Quercet, in tetr. c. 13. p. 157. Croll. l. de signat.

XXXIV.

Plantago Pestis amuletum.

Retulit mihi (inquit Monavius) nuper Chirurgus, Aulæ nostræ jam senior, se in multis constitutionibus pestilentibus fuisse, & suâ manu infectos plurimos tractasse, semper tamen à contagione imunem permansisse, quòd secum gestaverit radicem Plantaginis majoris, sacculo inclusam, & cum filo regioni Cordis adaptatam: ut res celetur, pulveris lavandulæ aliquid admiscere solet, & hinc inde distribuere: quicquid sit,

Sæpè etiam parvis gratia rebus inest.

Scholtz. ep. 248.

XXXV.

Echij vires Alcibiaus casu invenit.

Echion à viperis nomen habet (Græcis enim ἔχις vipera est) vel quod semen proferat capitibus viperinis simile, vel quod viperarum morsibus præstantissimum sit medicamentum. Ab Alcibio, alcibiacum dictum Echium, ab eo qui primus ostenderat, quantum viribus polleret, contra viperarum ictus. Is enim dum secus aream dormiret, à vipera in extremo inguine ictus est: excitatusque à somno, ex hac herbâ succum commanducando, palato & dentibus expressit, hausitque in corpus. Mansæ verò herbæ reliquum vulneri super imposuit contra dolorem, quo medicamento liber evasit.

Mathiol. l. 4. c. 25. in Diosc. ex Nicand. de Ther.

XXXVI.

Ruta Epilepsiæ remedium.

Hoc in Tuscia à rustico quodam accepi, qui dicebat, aliquem casu, morbo liberatum fuisse. Rutam enim sylvaticam, quam rure habebat, contundebat, & ubi conservus ejus lunaticus concidisset, ipse rutæ odore plenus aggressus, nares ægri continebat, unde ille, excitatus, non amplius comitiali morbo laborabat. Expertus autem erat hoc etiam in alio, morboq; eum liberaverat; atque ego sæpius ita tunc affectum curavi.

Alex. Trallian. l. 1. c. 15. Conrad. c. 12. de morb. Ung. Las. de morb. cerebr. c. 23. Vnzer. l. 2. c. 11. de Epileps.

XXXVII.

XXXVII.

Pimpinella vulneraria, febrifuga, pectoralis, hydrophobiæ utilis.

Pimpinella, Germanica Saxifraga, Chaba ire Pannonicis dicitur, hoc est, Chabæ Emplastrum. Nam ferunt Chabam Regem, Attilæ Regis minoris Filium, ex Honorii Cæsaris Filia, post parentis mortem (cum universum Regnum Ungariæ intestino bello concuteretur, atque acre prælium commissum esset, quod inter se dissentirent, cui-nam Filiorum Attilæ regnum cedere deberet, eoque prælio omnes Ungari occubuissent) solum superstitem remansisse, cum 15000. & illis quidem omnibus vulneratis, quos hâc herbâ curasse dicitur, unde factum est, ut postea ab eo, appellationem sumserit. *(a)* Pimpinellam solutam aquâ febrem continuam statim domare, usu compertum est. Madoribus tabidis apta est: sanguinis sputum sistit, ulcera deterget & siccat. *(b)* Radix ejus pulverisata, cum saccharo, in formam Electuarii redacta & quotidie assumta, in aqua ejus stillatitiâ, ad aliquot uncias admodum suppuratis prodest. Pulvis optimus quoque in casu & contusionibus in calidâ cerevisia exhibitus. *(c)* Henrici II. Galliarum Regis Venator, gravi morbo decumbens, bonâ fide Joanni Fernelio asseveravit, Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam, post demorsum comederit, nihil inde incommodi sentire possit: quod in canibus regiis se primum expertum fuisse dicebat: quibus demorsis, illam felici successu offerebat. *(b)*

a) *Clas.*

a) *Cluf. in Nomencl. Pannon.* b) *Heurn. l. 2. M. c. 5. & 8.* c) *Camer. in hort.* d) *Jul. Pal. Conftant. de morb. contag. l. 3. c. 3.*

XXXVIII.

Radicis Cofti mira vis.

Coftus verus tàm amarus eft, etiam acris, ut ejus mordicationem lingua mafticantis vix ferat, prætereà tàm odorus & fapidus, ut omnium aromatum, fapores & odores in fe contraxiffe videatur; habet enim acrimoniam cum zingibere, ac gariophillis, amaritudinem cum Zedoaria & calamo, fervorem cum pipere, fragrantiâ cum caffia ligneâ & Cinamomo communem, quorum omnium fapores & odores manducanti exhibet, à nullo, vel vix ullo aromate hucufque fuperatus.

R. Minderer. c. 3. aloed. mar.

XXXIX.

Vitis Etymon, ejus fœcunditas, flos amœniffimus & fragrantiffimus.

Vitis nonnullis dicitur quafi vita, quòd vinum ingens vitæ humanæ bonum fit, cor ac fpiritus recreans. In vite vita, im Reben ſteckt das Leben. Nifi autem fubinde amputetur, ipfa fuâ fœcunditate gracilefcit. *(a)* Præ cæteris fragrantiffimum odorem expirat, ac naribus fuaves halitus effundit: profert hæc fub finem veris, flofculum minutum & ftellatum feftucis ramentisque orbiculatis obfitum, ut lichen, vulgo Ufnea, colore fubfpicio, aut flavefcente, eximiæque fuavitatis, quo in afterifci formam deciduo confeftim fpecimen racemorum exhibetur. Odor hujus flofculi cere-

rebrum & cor mirificè recreat, sic, ut mihi gratissimum sit, florescente vite, sub vineâ pergulatâ, ac pampinis concamerata fornice ac testudine prandium cœnamque absolvere, aut cum æqualibus, eruditis fabulis temporis tædium fallere. Hujus autem flosculi odor, tanti effectus prædicatur, ut venenatas bestias abigat adeò, ut serpentes, colubri, bufones, hunc perferre nequeant, sed remotissimè se ab eo subducant. *(b)*

a) *Heidfeld. Sphing. Phil. c. 8.* b) *Lemn. herb. Bibl. expl. c. 2.*

XL.

Florescente vite deambulatio tuta.

Quocirca florescente vite, non solùm salubris est, & peramæna deambulatio: sed etiam secura & tuta; licet enim in herbido thoro, ac viridante gramine decumbere, ac sub arbore patulis diffusa ramis, opacũ frigus captare, atque æstum propulsare, vel apricatione Solis radiis incalescere & illustrari, nullo metu aut trepidatione serpentum, qui aliquando latenter in herba delitescunt, atque improviso obrepunt, hominique terrorem incutiunt.)

Lemn. l. c.

XLI.

Lachrymæ vitis vis mirabilis.

Vitis Aqua (Lachrima) dum amputatur, dissipat & discutit callum oculorum, *(a)* scabiem sanat. *(b)* Acovisticum est remedium, maximè in causa calida. *(c)* Optimo successu, ad uncias quatuor, pro vice, in calculo renum & vesicæ bibitur. *(d)* Sunt, qui eam Aquam, quæ castratis vitibus exudat vere, lenticulâ vitrea

trea excipiunt: vas operculatum sedulò, clausumq; annum integrum exponunt Soli, loco subdiali, sed qui ab injuriis cœli tutus esse possit: ac lenticulam ad Solem subinde vertunt, ut undequaque radii everberent, & Aquam coquant. Melligo tandem concrescit, quæ fit balsamo viribus æqualis, ἀμπελοφιλαγμα ex analogia, (si vis) appelles: purgat, carne implet, cicatricem ducit, glutinat, exterit, papularum delet vestigia.*(e)* Quòd si cibum aliquem expetat gravida, neque ejus particeps esse possit, atque metuatur, ne aliquid fœtui inde accidat, Fœminæ ad id præcavendum, commendant Aquam, è tenellis vitis foliis, Mense Majo destillatam.*(f)*

a)*Crato consf 58.*b) *Plat.de dol.p.874.*c) *Plat.l.1.de funct. les.c.8.*d) *Domin. Leon.l.5.sect.3.c 6.*e) *l.Holler.inst.Chir. c.5.*f) *Sennert.instit.l.4.p.2.c.2.*

XLII.

Crocus Cor hominis.

Crocum calet numero 1. & siccat, vehementer dissolvit exhaustione; & leniter adstringit, præclaris dotatum viribus, nam robur insigne cordi afflat, (hinc cor hominis dicitur) idque recreat *(a)* & spiritus mirum in stabilit, ac lætos reddit, quin & splendidissimo lumine honorem afflat, ac pandit spiritus contractos, iterumque diffusos nimium, contrahit, putredinem arcet, coctionem promovet *(b)* ob flavitiem Ictero resistere (obstructiones enim Epatis & præsertim fellis solvit) creditur.*(c)* Gaudet radix ejus calcari & atteri pede, pereundoque melius pervenit; Unde carmen:

Pul-

Pulchrior ut crescat, teritur crocus, ô furor ingens,
Lætior ut possis surgere, nolle premi! (d)

a) *Heurn. l. 2. M. c. 5. Gogl. de pest. p. 107. 127.* b) *Heurn. l. 2. M. c 9.* c) *Plat. de vit. p. 127. 146. l. 2. de l. funct. p. 647.* d) *Plin. l. 12. c. 6. Minder. Aloed. c. 4.*

XLIII.

Crocum insigne thoracicum, & medicamentum ἐκφόλιον.

Crocus adeò est thoracis affectibus amicus, ut sint, qui ad scrupulum semis, atque etiam unum, cum dimidio moschi grano, & vino optimo calido propinando, Asthmaticos curaverint. Ad respirationem ex nimio frigore prohibitam, eodem modô plurimùm conducit. *(a)* Unde Cardan. ait: Crocus est Anima pulmonis, & eo solo multos liberavi anhelosos, inter quos Socrum Cæsaris de Comitibus, quæ tantam passa erat, per duos menses spirandi difficultatem, ut intra paucas horas moritura videretur. *(b)* Ejus extractum, in minima copia rite præparatum, datum per os, difficilem partum promovet, corroborando in primis vires gravidæ & fœtus, *(c)* Raptim enim uterum petit, adeò ut cum quædam, fœtum excludere non posset, dato croco, prodierit fœtus croco tinctus. *(d)*

a) *Camerar. in horto.* b) *Cons. de spir. diffic.* d) *Heurn. l. 2. M. c. 14.*

XLIV.

Croci nimius usus funestus.

Crocus infensa vi cerebro, capitis dolorem adfert, *(a)* mirum enim in modum ejus vis caput invadit *(b)* appetitum dejicit *(c)* risum movet. Vidimus enim

enim nos *(d)* apud Mitinam in campo, totius Hispaniæ Celeberrimum Emporium, mercatorem quondam, qui, cum plures croci sarcinulas, sive involucra emeret, ut in Lusitaniam portaret, multum ex illo, in olla, carnes jurulentas pro cœna continente, injecit: qui post earum esum, in tam intensum ac vehementem risum prorupit, ut non multũ abfuerit, quin risu & cachinno tunc è vita discederet: nimius*(e)* etenim ejus usus funestus: Antiqui dicebant, drachmas tres potas, interficere, nam effundit spiritus vitales. Ejus nãque*(f)* odore enecari indormientes, quod fragranti illius spiritu, spiritus animales eliciti dissipentur, & tanquam lumen minus à majori absorbeatur, historiis constat. Muliones certè sarcinas croci gestantes mulos alternare coguntur, quod jugis sarcina eundem mulum odore suo debilitet. Proinde non mirum *(g)* si Agaso quidam apud Pisaurenses, super duabus croci sarcinulis dormiens, eadem nocte obierit.

a) *Plat. de dol. p. 253.* b. c.) *Heurn. l. 2. M. c. 5.* c) *Dom. Leon. l. 1. s. 3. c. 4* d, g.) *Lusitan. comm. ad c. 25. l. 1. Diosc.* f.) *Zvving. Phys. l. 2. c. 26.*

XLV.

Sal Alkali dentes eburneos reddens.

Salis Alkali, quod ex cineribus Kali plantæ conficitur, dissoluti cum contritis lapidibus, pro vitris conflandis, innatans veluti pinguedo, quæ refrigerata durescit lapidis instar, atque axungia vitri vulgò appellatur, pulverisata, dentes mire nitidos & politos reddit.

Plat. l. 2. de vit. p. 960.

XLVI.

XLVI.

Carbo quercinus Icteri lucrosum remedium.

Carbones de quercino ligno, ejusdem ponderis, cum limatura chalybis, in vino ustulato prius chalybe alio integro, macerabat mulier quædam, infusumque propinando, in Ictero sanando, hoc remedio quæstum faciebat.

Plat. l. 2. de vit. p. 149.

XLVII.

Fraxinus Serpentibus infensus, Calculosis & splenetícis utilis.

Fraxinum sylvestrem adeò horrescunt serpentes, ut nec matutinas nec vespertinas illius umbras, quamvis longissimas, unquam attingant. Et si gyro frondibus hujus arboris claudatur ignis & serpens, citiùs in ignem fugit, quàm in fraxinum. Expertus hoc scribit Plinius. *(a)* Sed nostrates Serpentes hoc non faciunt. *(b)* Quamobrem miram naturæ benignitatem licet admirari, quòd priùs quàm prodeant serpentes, floreat fraxinus, nec antea, quàm se terræ condiderunt, folia demittat. *(c)* Quasi frangens lapidem dictus; vasa ex ejus ligno confecta, in usu cibi & potus, mira spleneticis & calculosis præstant auxilia. *(d)*

a) *l. 16. c. 13.* b) *Camer. herbar. l. 1. c. 31.* c) *Heidf. Sphing. Phil. c. 8.* d) *Dom. Leon. l. 1. pract. s. 3. c. 8.*

XLVIII.

Herba Hollerii herniis dicata.

Herbula est in sabulosis nascens: (hæc herniaria dicta, *(a)* ab aliis herba Hollerii,) ramulos multos

in terram spargit, foliis minimis & rotundulis, aliis follicatis ex viridi flavescentibus, per ramulos sparsis, adstringente gustu, ex qua succus expressus subinde affuso vino albo, certissimum & aliquoties probatum remedium contra descensum intestini. Nam novem diebus ita percurat, ut postea non redeat malum. Facilis inventu Autumno. *(b)* Puerorum pulticulæ ex pane albissimo in tenuissimum pulverem redacto & lacte conficiantur: quibus mellis nonnihil addi poterit, ut alvus liberius fluat. *(c)* Ejus aquæ stillatitiæ arte Chymica extractæ unico haustu, cum tentata alia remedia non responderent, paucis abhinc diebus curatus est adolescens, in gymnasio Haricuriano, cui citatior saltus herniam conciliarat. *(d)*

a. c.) *L. Duret. in advers. Holler.* b) *Holler. l.1.c.62.* d) *Ant. Valet. in exerc.*

XLIX.

Rosarum dignitas.

Rosa somnum accersit, mentem & cerebrum firmat. Non valide mixtas qualitates gerit, sed facilè separabiles: est frigida in 2. ordine, & calida in 1. lenit, humectat & siccat: cardiacæ calidæ confert. Suavi odore recreat Rosa cerebrum, ac vapores à cerebro arcet: unde Roseæ coronæ olim mensis vinosis expetitæ fuere, quod ebrietati hac vi resistant. Unde Anacreon ipsum vinum olens cecinit:

Rosam amoribus ditatam
Sociemus ad lyaeum
foliis Rosam decoram

capi-

capiti revincientes
calices jocemur inter.

Pauci profectò flores sunt, qui æquè oculis, naribus, palato, & sanitati student, ac Rosæ: quare fabulatur Anacreon, fulgentem illum ruborem, rosis afflatum fuisse, quod Dii nectare eam asperserunt. Certè sine Rosis, Medicina rarò Gratiis sacrificaret. Cùm itaque tantas, ac tàm amœnas vires Rosa spiret, non mirum est, antiquitatem sese in ejus admirationem effudisse: quare & ipsis Rosis suavior Anacreon, inquit:

Rosa, flos odorq; divûm,
hominum rosa est voluptas
Decus illa Gratiarum
florente Amoris horâ,
Rosa suavium Diones.
Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis?
hujus senecta suavem
Servat juventa odorem. (a)

Rosarum Aqua privatim capiti competit. *(b)* Sed pota in dolore capitis nocet, ob odorem, nisi sumatur aqua peculi rosarum. *(c)* Et coryras facere Rosas & violas ex proprietate scribit Arculanus. *(d)* Veneri sacrata fuit Rosa, quam tamen Cupido Veneris filius Harpocrati, silentii deo digito labellum compescenti donavit, fluxisse hinc ille mos videtur, ut in Cænaculis Rosa lacunaribus supra mensarum vertices affigatur, ut quisque sit secreti tenax, nec facilè divulget, quæ sub Rosa dictâ sunt. In Rosa autem quinque sint partes Medicinæ, 1. foliorum, 2. ungui-

 num,

num, 3. antheræ, 4. umbilici. 5. calicis: has diversas facultates una Natura Rosæ contulit, quam nobis Deus ad infinitos usus reservare dignetur. Arminius Germaniæ Princeps Rosam in Insignibus habebat, unde legitur:

Statua torquentis molli de vellere signum
quod pictam medio continet arte Rosam.

Marchiones Brandenburgenses, Comitesque de Eberstein antiquissimæ prosapiæ, nec non plurimæ familiæ, strenuâ nobilitate claræ, à multis lustris Rosas inter sua insignia gloriosè locatas habent.

nam Rosa principibus meritò gestanda videtur. (e)

a) *Heurn. l.2. M.c.5. & 7.* b) *Plat. de dol. p.260.* c) *Holler. l.1. pract. p.5.a.* d) *Heurn. c. ult. de aff. cap. Dom. Leon. l.6. s.1. c.3.* e) *Minderer in aloed. c. 11.*

L.

Rosmarini vis.

Rosmarini oleum, quod in destillatorio vasculo innatat, paralyticis & Apoplecticis salubriter admovere soleo, cervice ac nucha illo inuncto. Odor fruticis animum reficit: præsentaneam autem vim obtinet, in expugnando morbo Regio, qui vulgò Ictericus appellatur, perfusa extima cute, flavo felleoque colore: sicut hæc vis etiam ad animum transferatur, vitiorum nævis ac maculis deformatum. Rursum, morborum comitialem, qui menti vim infert, impugnat: sic omnibus autor sum, ut in elixarum carnium liquamine crebrò ejus usum admittant. Odor accensi fruticis, pestis contagia fugat, atque ædes suavis odoris fumigio, à vitioso halitu tutas præstat. Conficitur ex ejus floribus medicamentum, quod;

quo-

quoniam diu ſubſiſtit, conſerva triviales Pharmacopolæ vocant, cujusvis cerebrum (ſi nimio humore oppreſſum eſt) & omnes ſenſus mirè recreat & confortat, memoriam collapſam erigit, & ne quis morbo caduco, apoplexiâ, paralyſi, ſpaſmo corripiatur, aut caligantibus oculis afficiatur, ſingulari vi ac efficaciâ inſtructa eſt.

Lemn. de ſimilit. Bibl. c. 46. Heurn. l. 2. M. c. 7. Minderer c. 11. Aloed.

LI.

Centaurium φθόρειον, αἱμάγογον, καὶ ὑδεράγογον.

Centaurium minus, nervis dicatum eſt, immoderato uſu, & fœtum excludit, & ſanguinem prolicit. *(a)* In Italia præcipui Medici exhibent in Aſcite, tertio quoque die, ejus pulveris drachmam unam, cum ſemine carui & aniſi, in vino, vel in decocto aliquo. *(b)*

Flos mihi ſuave rubet, ſed ineſt quoque ſuccus amarus,
qui juvat obſeſſum bile, aperitque jecur. (c)

a) *Heurn. l. 2. M. c. 6. & 7.* b) *Camer. in hort.* c) *Joan. Poſth. P. L.*

LII.

Lyſimachiæ herbæ dignitas.

Audivi de quibuſdam ruſticis, cum apud Cenomanos peſtilentia paſſim graſſaretur, multosque ſubitâ morte raperet, tandem ex herba quadam, quam mihi demonſtrarunt, remedia quæſiviſſe, quâ liberatos peſte plurimos affirmabant. Namque altius paulò ſu-

pra panum, qui jam intumuisset, ad alligata deorsum pestilens virus impellebat, collectumque tandem ibi sursum regredi, & principes partes repetere non patiebatur. Sic modico subjecti membri damno reliquum servabatur corpus. Inde rusticis Pellibossa, sive quod idem est pestifuga cœpta est appellari; sed quæ ab iis demonstrata mihi fuit, nullis dissentientibus notis Lysimachia erat. Cujus miraculi nullam potui rationem inire, nisi quod forsitan suo inspissatu & adstrictionis munere, quo pollet, venenum ad subditas partes exprimens excluderet.

Ruell. de nat. stirp. l. 3. c. 78.

LIII.

Radix etiam famelicos edere prohibens.

Solani majoris (Italis herba bella donna) baccæ devoratæ, & ipsa radix, vi strangulandi pollent. Et joci causâ, parasitis datur radix his, qui ad lautas mensas etiam invitis Dominis accedere solent, in Aula, quæ res oblectamenti non parùm convivantibus adferre solent. Siquidem si cultello derasa, scrupuli pondere, *(a)* (semidrachmæ) *(b)* in vini semuncia maceretur, horis ad summum duabus *(c)* (septem *(d)*) & deinde percolato diluto ac digitis presso, id vini recentis addatur, quod poculum repleat, totumque potandum propinetur, fit paulò post, ut qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento. Id quod Francisco calceolario Veronensi acceptum refero, ut qui primus hoc, hujusce plantæ secretum propalavit. Verùm, qui hoc fuco utuntur, priusquam mensæ assideant, parasitos ad jen-

jentaculum invitant, ut fucatum vinum propinent. Discutitur fucus, à risu, aceto potui dato, id enim præsentaneum antidotum est; sed ne quid nimis, nam copiosius sumtum strangulat. Somnus superveniens quoque sanat.*(e)* Solano hoc, mulieres Italorum faciem decorant.*(f)*

a. c.) *Heurn. de affect. pest. c. 1.* b. d.) *Mathiol. l. 4. c. 69. in Diosc.* e) *Plat. l. 1. de las. f. c. 3.* f.) *Camer. in hort.*

LIV.

Solanum somniferum hostes dementans.

Sueno Norvegiorum Rex, Duncanum Scotorum Regem in oppido Bertha obsidebat. Banquhonis consilio Maccabeum consobrinum cum novis copiis adventantem ad Tulinam clam subsidere jubet. Ipse per fæcialem cumSuenone de deditione agit: & victoris iræ mitigandæ causa se commeatum libenter subministraturum pollicetur. Grata ea fuit conditio Danis, extremâ laborantibus inopiâ. Vinum igitur & cervisiam Solatro maniaco infectam in castra devehi curavit. Iis se ingurgitantes Dani, de deditione postero die faciendâ securi, in soporem unà cumRege Suenone solvuntur. Interea Maccabeus exercitum trajecto Tao flumine per ligneum pontem ducit in Bertham, ac inde aversâ portâ egressus, ducente Banquhone ad castra hostium perveniunt. Tum maximo edito clamore ad terrorem, si qui fortassis adhuc vigiles superessent ac sobrii, cædem ingentem edunt. Pauci quidam, decem numero, quòd dona hostium suspecta habuissent, sobrii Regem Suenonẽ veluti exanimem ad Tai

ostia, scaphâ piscatoriâ deferunt: & unicâ nave conscensa, cum nautis in Norvegiam navigârunt. (a) Perpende quanta vis sit in herbis! (b)

a) *Buchan. l. 7. hist. Scot. H. Boëth. l. 12.* b) *Camer. in horto.*

LV.

Stratagema ex helleboro.

Amphyctiones in oppugnatione Cyrrhæ abstrusum aquæ ductum invenerunt copioso latice è Plisto amne fluentem, & de consilio Eurolochi magnam hellebori multitudinem ab Anticyra collectam aquæ permiscuerunt. Cirrhenses aquam bibentes, ventris profluvio enecti jacebant. Amphyctiones sine labore, prostratis hostibus, urbem ceperunt. Suidas Solonis inventum hoc fuisse scribit. (a) Sic Clisthenes Sicyonius ductum aquarum in oppidum Criscorum ferentem rupit. Mox affectis siti restituit aquam helleboro corruptam, & dysenteria laborantes sibi subjecit. (b) En egregium stratagema, rem gerere ope herbarum, dum armorum non licet. (c)

a) *Pausan. in Phoc. Polyan. l. 4.* b) *Frontin. l. 3. c. 7.* c) *Camer. in hort.*

LVI.

Radix hellebori effeminata.

Hellebori radix diu inhærens in naribus, humecta & intumefacta, permutationem ciere desinit. humor enim copiosus oblinit membranam, & acrimoniam vaporis eludit.

Zwing. Physiol. l. 2. c. 50.

LVII.

LVII.

Stratagema ex Glasto herbâ.

P. Roseus, Venetarum copiarum Dux, Venetorum auspiciis, Bogvolentæ in Patavino agro arma intulerat, unàque erat Marsilius Carrariensis. Cùm in eum Mastinus Scaliger exercitum ingentem duxisset, Petroque necessitas injecta esset inde egrediundi, quod eo in loco commeatus difficultate premebatur: cùm hostes ad eundem amnem, sed inferiore parte tenderent, neque aliunde aquationis facultatem haberent: glasto herbâ amnem infecit, ita ut homines, jumentaque propter amaritudinem ejus aquas gustare nollent. Eâ re coactis mutare castra hostibus, qui congredi & dimicare cum eis non audebat, astu inde, nullis armis usus, ex rei suæ commoditate depulit.

Fulgos. l. 7. c. 4. Zvving. theat. volum. 7. lib. 3. p. 1904.

LVIII.

Basilica Genuensium ingeniis politicè accommodata.

Franciscus Marchio Jurisconsultus missus à Genuensibus Orator ad Ducem Mediolanensem, cum eum non vellet audire, nec pactis conventis cum Genuensi Republica stare: captata occasione obtulit Duci manipulum unum herbæ Basiliconis. Qui admirabundus, quid sibi hoc donum vellet, quæsivit, cui ille respondit, ejusmodi proprietatem huic herbæ inesse, ut leniter & suaviter contrectata præbeat gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita tandem producere scorpios: atque ita simile esse Genuensium ingenium. Dux ingenioso hoc responso

admodum delectatus, & sententiam priorem mutavit, & Legatum honorificè dimisit.

Augustin. Justinian. Genuens. l. 6.

LIX.

Mandragora pro stratagemate.

Hamilcar Carthaginensis non ignorans Libycorum in vino luxuriem, multa vini vasa Mandragorâ corrupit: iisque depositis in suburbiis, cum illi accederent, in urbem rediit, quasi vim adhibentibus resistere cum suis copiis non posset. Illi gaudio elati, quod Carthaginenses intra mœnia conclusissent: inventis vasis largissimè se vino ingurgitârunt, statimque in somnum gravissimum inciderunt.

Polyan. l. 5. Cœlius l. 17. c. 24. Frontin. l. 2.

LX.

Mandragora hypnotica.

Cum æstivis mensibus, (nam eo tempore poma Mandragoræ se proferunt) semel atque iterum in musæo nostro amabilem ac speciosum ejus fructum negligenter collocassem, ita somnolentus sum effectus, ut ægrè somnus excuti posset. Quum autem obnixè obluctarer somnolentiæ, illamque excusisse conarer, ægrè id obtinui, nec rationem tanti veterni inire potui: tandem cum quaquà versum dimovissem oculos, obtulit se à tergo pomum Mandragoræ, quo amoto, atque in alium locum translato, factus sum alacrior, atque torporem depuli, omnemque oscitantiam discussi.

Lemn. in explic. herb. Bibl. c. 2.

LXI.

Mandragora, humanâ formâ, factitia, Ἀνθρωπόμορφος dicta cur.

Radices illæ, quæ humanam formam referunt, quas impoſtores ac nebulones quidam venales circũferunt, infœcundas mulieres decepturi, factitiæ ſunt, ex harundinum, mandragoræ, bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc virentibus, tàm virorum, quam mulierum formas, infixis hordei & milii granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt: deinde factâ ſcrobe tamdiu tenui ſabulo obruunt, quouſque grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad ſummum dierum ſpatio. Eruunt eas demum & adnatas è granis radices acutiſſimo cultello ſcindunt, aptantque ita, ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant. Hujus ſanè rei certam fidem facere poſſum, quod cum Romæ eſſem, impoſtorem quendam circumforaneum, lue gallicâ correptum, nobis curare contigit, qui præter alias innumeras impoſturas, quibus circumventis hominibus multam pecuniam extorquent, docuit, & artem, quâ factitias ſibi comparabat Mandragoras, quarum complures mihi demonſtravit, afferens, unam tantùm, interdum divitibus vendidiſſe 25. nonnumquam etiam 30. aureis. *(a)* Vis ſcire, cur ἀνθρωπόμορφος à Pythagorâ dicatur? rem aperiam quæ paucis cognita eſt. in univerſum omnes ferè mandragoræ radices à medio ad imum bifurcatæ proveniunt, adeò ut crura, hominum modo habere videantur. Quapropter ſi eo effodiantur tempore, quo fructum gerunt, qui mali inſtar ſuper folia ad terram procum-

ben-

bentia brevi pediculo appensus, parùm à radice distat, hominis cui brachia desint, effigiem quadantenus repræsentant. Pauci sunt, vel nulli, qui hanc rem sciant. (*b*)

a) *Mathiol. comm. in l. 4. Diosc. c. 71. Lemn. l. c.* b) *Heidf. Sphing. Phil. c. 8.*

LXII.

Napelli immanis vis in homines.

Historia I.

Napelli vis in necandis hominibus, adeò immanis sævaque existit, ut nullius ferè antidotis occurri possit, nisi quamprimum & statim succurratur. Tota ejus planta pernecabilis admodum est. Sed radix cæteris partibus atrocior, adeò ut manu aliquandiu retenta, quousque calescat, tenentem perimat; quin etiam pastores necatos scimus, qui assandis aviculis, Napelli caule, pro veru temerè usi sunt. Hujus immanitatem nos vidimus Romæ, A. 1524. M. Novemb. in Capitolio Clementis VII. Nam cum decrevisset experiri olei cujusdam præstantissimi vires, quod Gregorius Caravita, Bononiensis Chirurgus, contra deleteria medicamenta, & venenosorum animalium quorumcunque morsus paraverat, jussit Pontifex venenum dare duobus latronibus, quos leges damnaverant, quo suorum facinorum pœnas luerent, laqueo vitam finiri, ut in iis olei hujus experimentũ fieret. Horum alterum, qui plurimum Napelli sumserat, dulciariis panibus commistum, Pontificii Medici, statim Oleo inungendum præbent, qui post tertium diem sæpius oleo perunctus evasit incolumis: quamquam non sine magnâ formidabilium sympto-

matum

matum acceſſione. Alterum verò, cui longè minus venenati panis exhibuerant, oleo inungi vetant, ut aſſumpti veneni effectum, ſævitiamque cernerent. Id, quod illis rei exitus facilè comprobavit: quandoquidem paucis pòſt horis obiit infelix iis omnibus incommodis, cruciatibus & ſymptomatibus correptus, quæ ab epoto Napello provenire ſcribit Avincenna.

LXIII.

Hiſtoria II.

Vidimus id etiam Pragæ, Anno 1561. M. Decemb. in latrone quodam ſuſpendio damnato, cui Napelli radix à Carnifice data eſt drachmæ pondere, rhodo ſaccharo excepta, Cæſareis Medicis præſentibus, ut Antidoti famoſi cujusdam vires explorarentur, an contra Napellum id præſtaret, quod antea in altero damnato, qui arſenici drachmas duas ebibit, efficaciſſimè præſtiterat. Lubens itaque voravit ille lethiferum Napelli Pharmacum, utpote qui non ſolum conducibilius cenſebat, veneno in carcere necari, quam laqueo publicè in patibulo ſuſpendi, ſed quod etiam ſperaret, ſe à nobis ſervari poſſe. Interim transactâ jam ſeſquialterâ horâ, cum nihil ſymptomatis appareret, verebamur omnes, ne fortaſſe in Bohemiâ algidæ regionis causâ, Napellus non venenoſus naſceretur: aut quod ipſa radix ſucco deſtituta, ob editos jam caules, flores & ſemen, nihil operaretur. Quo factum eſt, ut alterum illi pharmacũ propinatum ſit, ex ejuſdem Napelli caule, foliis, floribus & ſemine paratum. At ibidem duabus adhuc horis, nobis omnibus permanentibus, miſero illi, mali nihil acceſſit. Reducitur ille ad carceres, abeunt,

eunt cæteri, & mihi soli totum committitur negotium. Horâ transactâ carceris custos me admonet, illum jam ægrotare. Ego statim adsum, audioque ipsum de universi corporis lassitudine ulcerosa, imbecillitate magna & cordis gravedine conqueri: tunc itaque, quamvis audacter satis loqueretur, nullo sanè mentis incommodo, & vividis me intueretur oculis, cùm tamen frontem inspicerem, frigido sudore madentem, & arterias jam fermè omnes obdormiscere, antidotum propinari jubeo, quo epoto, illico inversis oculis, atque ore in latus distracto, capiteque in scapulas rigente, ingenti admodum animi deliquio correptus est. Itaque totus collapsus decidisset in terram, nisi à carceris custode retentus esset. Jubeo interim cum vino irrorare faciem, & anterioribus capillis excuti. Quo ingenio statim revixit, emissis interim per sedem excrementis. Posthac jubeo illum jacere super straminibus ibi ad hoc paratis, ut quid inde sequeretur, animadverterem. Ille verò de frigore conquerens, paulò pòst putrida, biliosa & livida quædam vomitione rejecit, quâ se non parùm adjutum fatebatur. Interim se ad sinistrum convertit latus, acsi dormire vellet. Prohibeo ne dormiat. Dum hæc aguntur, nullo alio exorto symptomate tandem obmutuit, & obiit simul, lividâ factâ facie, ac si laqueo suspensus.

LXIV.

Historia III.

Cæterùm, longè se habuerunt symptomata, in altero pariter ad furcam damnato, cui data fuit ejusdem Napelli drachma, ut de lapide, quem Bezoar appellant

lant Arabes, periculum fieret, an hujusce veneni immanitatem expugnare posset. Agebat latro, Annum circ. 27. qui epoto lethali pharmaco, piperis omnem saporem illi inesse dicebat: horâ subinde peractâ, cum vomere cœpisset, lapidis illius grana septem, ex albo meraco data sunt. Verùm ab ebibito antidoto, variis & acerbissimis simptomatibus exagitatus est. Evomuit enim frequenter biliosa, porraceo colore. Quendam quoque veluti globum circa umbilicum se sentire dicebat, qui inde superna petens, in supremam & postremam capitis partem, frigidam auram quandam diffundebat. Accessit paulò pòst, stupor quidam paralysi non absimilis, qui sinistri lateris brachium, & crus occupavit, adeò ut vix summam manum admovere potuerit, motu jam in cæteris partibus extincto. Interim non multo pòst tempore, hæc morbi vis, sinistrâ corporis parte incolumî relicta, in dextram repente se contulit, eandemque simili modo occupavit. Vagum profectò simptoma hoc fuit, nam cum dextrum brachium is attollere potuit, sinistrum non potuit, & è contra; tandem utrumque elevavit. Ajebat quoque universas corporis venas frigescere. Non defuerunt vertigines, quas secutæ sunt cerebri commotiones adeò ferventes, ut aquæ in caldario bullienti similes esse diceret. Accessit quoque oris & oculorum convulsio, atque acutissimus mandibularum dolor. Quare sæpè manibus affectas illas partes perstringebat, veritus ne exciderent. Forinsecus turgentes oculi, livida facies & nigra labia cernebantur: quin etiam ventris tumor videri poterat, perinde ac hominis aquâ inter cutem laborantis: varia admodum extitit arteriarum pulsatio, & varia quoque

men-

mentis perturbatio, pro symptomatum recurrentium acerbitate. Nam jam prorsus de vita desperare, mox in spem se erigere videbatur, modò rationis compos, modò delirans, nunc ploranti, nunc cantanti similis. Aquam frigidam sibi dari potandam, tantopere appetebat, ut eâ subitò se liberatum iri confideret. Toto hoc tempore se ter excæcatum, terque in mortis agone colluctatum affirmabat, lingua tamen perpetuò constitit, nullo unquam symptomate affecta, siquidem nunquam intumuit, nunquam is balbutire auditus est. Cæterùm, septimâ post ebibitum Napellum horâ, veneni tandem vi ab antidoto extincta, omnia evanuêre simptomata: arteriæ ad rectam rediêre normam, naturalis revixit color, & brevi quoque virium constitit robur; atque in hunc modum miser ille, magno conflictu atque certamine periculum superavit.
Mathiol. comment. in l. 4. Diosc. c. 73.

LXV.

Historia IV.

Primus ex reis, cui Bezoar post venenum oblatus est, fuit ante biennium Pragæ, qui cum per aliquot dies in carcere detentus, solo pane, atque aqua fuisset usus, atque præcedente nocte prorsus incœnatus, drachma pulveris Napelli fuit oblata. Erat corpus præcedente diætâ valdè præparatum, venæ inanitæ, & meatus omnes aperti, ex quo facillimè veneni vis ad extrema quoque membra distribui potuit. Supervenêre accidentia, nempe angustia pectoris, dolor stomachi, oculorum obtenebratio vertiginosa, pulsus immutatus. Cum verò infirmus assereret, ni statim subveniretur, sese penitus deficere, oblata illi quin-

quinquè grana remedii, in pauco vino sunt, continuò alleviatus est. Paulò pòst, non tamen sine angustiâ evomuit, & benè sperabat; nihilominus sciebat, materiam circa stomachum aggregari; pars posterior capitis & collum dolebant: indè cœpit delirare, & canebat altè, in solio quodam lacero. Præteriit delirium, recurreruntque alia symptomata, dolores scilicet stomachi, capitis, maxillarum, pectoris, modò unius, modò alterius juncturæ. Verùm septem horarum spacio omnes doluere, venter intumuit, quasi hydropicus esset. Erant præcordia cum tumore & duritie tensa, sensit tensionem in renibus, urina suppressa, item est uno brachio & prætereà crure resolutus. Pulsus sæpè fuit interceptus, & febriculosus, vomuit illo die aliquoties, habuitque sedes, sed perpertuò de duritie quadam frigidâ, ac si lapis quidam in stomacho foret, nobis est conquestus. Ultimo verò, de quo astantes omnes mirati sunt maximè, Ophtalmia quædam lippitudinosa illi supervenit, adeò dolorifica & horrida, ut patiens ipse mori potiùs, quàm paulò magis cum tali dolore perseverare cuperet. A veneni assumtione, per horas quinque ne guttam quidem sumsit, ut eò certiùs procederet experimentum. Conquievere hæc spacio octo horarum omnia: noctu cum voluptate cœnitavit, quietéque dormivit; manè erat sanissimus, neque membrorum læsio ulla est subsecuta, prout ego quinque vel sex mensium spacio sum percunctatus. Factus est liber, & etiam à S. Cæs. Maj. liberaliter donatus.

C. Bauhin. de lap. Bez. c. 36. ex Claud. Rich.

LXVI.

Abſinthij Etymon argutum.

Abſynthium, Italicè Aſſenſo, Gallicè, de Laloine, appellatur, quaſi prohibens hilaritatem, & alacritatem, ob immenſam ſuam amaritudinem. Græci ab ἀψεῖσθαι, id eſt, contrectando, per antiphraſin, quaſi nemo ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat. Veteres Græci Comici ἀπίνθιον quoque conformi etymo, quaſi impotabilem dixerunt, quod hanc nemo propter inſignem amarorem bibere poſſit.

L. Fuchſ. herb. c. 1.

LXVII.

Abſinthij Etymon controverſum.

Abſinthium Græcis appellatum eſt, nomen ſuæ naturæ conveniens, quam appellationem Latini quoque retinuerunt, ac proprium, ab ἀπτέσθαι, quod eſt tangere & manibus pertractare (non verò per antiphraſin, ut Fuchſius, Dalechampius & nonnulli alii exiſtimarunt) ac ſi primi illi nominum impoſitores, poſteris dicere voluiſſent, nulla plantæ hujus amaritudine deterriti: tangite vos eam, eſt enim tangibilis; palpate quia eſt palpabilis; & bibite, nam eſt potabilis, & digna, pro multis ſuis viribus & gratia, & omnibus modis utamini.

Bapt. Codronch. de abſinth. p. 263.

LXVIII.

Abſinthij correctio.

Abſinthium ingratum ſuum ſaporem deponit, ſi prius per ferventem aquam trahatur, radix ejus dulcis eſt & penè inſipida, cum exiguâ quadam ſalſedine.

Camer. in horto.

LXIX.

LXIX.

Absinthij virium discrepantia, Senam corrigit.

Absinthium stipatam laxat alvum, laxamque restringit, frigidum jecur calefacit, & ex accidenti obstructiones aperiendo calidum hepar refrigerat, unde Icterum tollit, febres arcet ac fugat, bilem domat ac expellit, tàm calidis quam frigidis jecinoris languoribus suo modo dextrè exhibitum familiare. *(a)* Senæ, plus quam quodvis aliud, tetrum odorem reprimit, & una cum vino, purgantium, quam ventriculo afferre solent noxam, corrigit. *(b)*

a) *Minderer de vitr. c. 3. Unzer. de Merc. l. 1. c. 12.*
b) *Plat. de dolor. p. 140.*

LXX.

Succus Absinthij atræ bilis hostis; infantes (mirum!) à morbis præservat cutaneis.

Absinthii succus ad fabæ magnitudinem devoratus, ne bilis atra gignat, impedimento est. *(a)* Res memorabilis, infantes, antequam 12. hebdomadas excedant, si interea temporis, eorum pedes & manus à balneo, succo absinthii inungantur, & fortiter infricentur, neque frigore, neque æstu, per totam vitam lædi nec molestari possunt. Cæterùm si prædicto modo, totum eorum corpus semper à balneo perungatur, ac lavetur, neque scabie, leprâ, hispanico morbo, nec pediculis, aut similibus incommodis unquam infestari (nisi Deus eos velit punire) res certè admiratione & notatu digna. Insuper hic succus absinthii, cutem efficit nitidam, venustam, membra habilia & decora, nec sinit membra intumescere deprimendo & arcendo tumores, ne emineant, neque ultra modum

eleventur, si sæpè eminens tumor oblinatur, impedit, quo minus membrum & tumor increscat; secretum dignum observatione, sanat & ulcera. *(b)*

a) *Heurn. l. 3. M. c. 9. & 19.* b) *Guilh. Anton. Guerthans in app. ad memor. Mirald. p. 237.*

LXXI.

Vini Absinthitis facultates & privilegia.

Vini absinthitis haustus bibitus, cum non solùm pituitam, sed & bilem amaritudine suâ, uti aloë abstergat & deturbet, in bile affecto ventriculo, admodum & subitò juvat, & proin ab ebriis, qui crapulam obdormiverunt, cum cardialgia vomitum præsagit, magnopere expetitur. *(a)* Stomacho enim utile est, (si ex frigiditate laboret, vel crudis humoribus abundet) urinam cit; coctionem tardam accelerat; hepaticis, spleneticis, regio morbo & renum vitiis auxiliatur; fastidia discutit; valet contra inflationem ventriculi, & diuturnas præcordiorum distentiones; teretes ventris tineas interficit & expellit; remoratos menses movet: contra hausta Ixiæ venena, quam plurimum potum & vomitionibus redditum, auxiliatur, Veneri resistit, ac carnis libidinem domat & reprimit. Sed capiti nocet: nimium enim vaporum eò mittit, quare somnolentos reddit. Phtisicis item, Epilepticis, Arthriticis, Apoplecticis, & in febribus continuis pravum remedium; & quibus pituita ventriculo inhæret, (astrictione enim sua pituitam ventriculo magis affigit.) Calefactum & exterius aspersum pani tosto, & applicatum ventriculo, corroborat & flatus discutit, gargarisatum contra linguæ tumorem valet;

per

per fumum ex decoctione immiſſum auribus, ſurditatem atque dolorem aurium lenit. *(b)*

a) *Plat. de dol. p. 471. 472. 473. 491. de vit. p. 809.* b) *Scholtz. ep. 227. Dioſc. de mat. med. l. 5. c. 4. I. Horſtius de vite a th. 322. usque 340. Minder. in aloed. c. 11. I. Manard. l. 19. epiſt. 2. Capovac. l. 3. Pr. c. 2. Holler. l. 1. Pr. c. 32. Gal. l. 6. de tuend. ſanit. c. 10.*

LXXII.

Salis abſinthij vires & commoda.

Abſinthii Sal magnam haud dubiè vim, ad inhibendam omnis generis putredinem & corruptionem habet. Credo ad ſcrupulum unum nos rectè aſcendere poſſe, id maximum adjumentum ſimul admixtum habet, quod modica adſtrictione, quæ tamen penetrationem non impedit, ſed potius adjuvat, viſcera, ventriculum inprimis roborat. *(a)* Geſsnerus ſcriptum reliquit, Theophraſtum tria ſalis abſinthiaci grana cum vino ægris exhibuiſſe. Ego verò *(b)* interdum drachmam dimidiam cum aqua cardui benedicti, interdum cum extracto Angelicæ, vel ſyrupo berberum, non ſine magna utilitate, in febri peſtilentiali exhibui. Sed an Sal abſinthii, fauces & palatum inſipidum reddat, quæritur? habui enim ægros de eo conquerentes. Certum equidem eſt, lixivium ex quo Sal paratur, quemadmodum & alia vulgaria, manus ita afficere, ut ſenſum tactus ferè amittant, adeoque ſuſpicari licet, ſal ipſum ingrato lævore fauces oblinire, ut de ſaporibus exactum judicium ferre nequeant.

a) *P. Monav. in Epiſt. Scholtz. 225. 227. B. Codroneb. l. de ſal. abſinth.* b) *I. Mathæus, de febr. peſtil. p. 46.*

LXXIII.

Tabacum seu petum seipsum serens.

Mirum est, quod minutissimum Tabaci semen spontè excidens, etiam sævissimâ hyeme integrè in terram illæsum latitet, & sequenti æstate, in multis locis horti, ad quæ forte vi ventorum fuit delatum, suâ spontè copiosè prodeat. Asservatur planta, in 3. vel 4. annum, at in fictilibus, neque in loco subterraneo nimis humido. *(a)* Seritur quoque omni tempore: cum verò prodiit, à frigore præservanda est, & secundum parietes plantanda ad eorum ornatum, siquidem toto anno viret, Citriorum more *(b)*

a) *Camerar. in hort.* b) *Monard. de simpl. med. p. 21.*

LXXIV.

Tabacum Narcoticum.

In Insulâ Hispaniolâ, ut & in aliis novi ejus orbis provinciis, arbusta quædam nascuntur, magnitudinis, arundinum fermè specie: folia ut nucis habent, aut paulò majora, quæ ab indigenis plurimi fiunt, & ab ipsis quoque mancipiis, quæ Hispani ex Africâ eò devexêre. Ubi maturum est, ea folia stringunt, & in fasciculos collecta ligataque in fumario suspendunt, donec inaruerint; quumq; illis uti volunt, spicæ patriæ folium unum ejus herbæ uni folio iñectunt, eaq; simul fistulæ aut tubi instar compingunt, & ejus capitum altero igni admoto, alterum ori inserunt & spiritum flatumque ad se retrahunt; denique tantum fumi sorbent, ut ora, guttura & capita impleant, tantam intereà patientiam præstantes, durantesque, quoad voluptatis, quam inde percipiunt, non pœniteat, seque immiti illo fumo adeò inebriant, ut penitus

nitus sopito omni sensu è mentis potestate exeant. Reperiuntur etiam, qui adeò avidè atque furenter eum hauriunt, ut tanquam exanimes in terram concidant, ibique maximam diei partem, aut noctis, velut stupefactis sensibus & mente capti jaceant; nonnulli temperantiùs, & hactenus tantum sorbent, quoad vertigine capitis corripiantur, neque ulterius progrediuntur.

Benzon. l. 1. c. 26. hist. nov. orb.

LXXV.

Occasio experiendi Tabaci adversus venena.

Contigit, ut quidam Cannibales in suis cymbis ad D. Joannem de portu divite navigarent, Indorum atque Hispanorum (si quos reperissent) telis suis venenatis conficiendorum causâ. Eò appellentes Indos & nonnullos Hispanos conficiunt, plerosque autem vulnerant: cum verò sublimato carerent, à quodam Indo edocti sunt, ut Tabaci succum expressum suis vulneribus imponerent, & ipsa deinde folia trita, sedati sunt illicò dolores, & ea symptomata, quæ hujusmodi venena subsequi solent, venenum superatum, vulnera deinde curata. Ex eo, foliis hujus plantæ adversus venena uti cœptum est. Rex ipse Catholicus, ejus vires experiri volens, cani vulnus infligi jussit in gutture, & toxico, quo venatores utuntur, illini, & paulò pòst foliorum Tabaci succum satis copiosè instillari, & ipsa folia trita supra vulnus ligari: liberatus est canis, non sine omnium admiratione.

Monard. l. c. p. 24.

LXXVI.

Scabiosa apostematica & thoracica.

Scabiosa est herba admodum πολύκρηςΘ, cujus succus calidus impositus vulneribus, sagittas extrahit. Item ad carbunculos, bubones & parotides singularis est & efficax, unde etiam in Germania illi nomen impositum Apostemkraut. Extractum efficax admodum in pulmonum affectibus, ac præsertim peripneumonicis, mihi commendavit Clariss. Vir, Caspar Hofmannus summus Archiater Illustriss. Principis, Electoris Brandenburgici. *(a)* Vomicas pectore conceptas rumpit. *(b)* omnia interiora apostemata resolvit vel maturat. *(c)*

a) *Camer. in hort.* b) *Heurn. l. 2. M. c. 8.* c) *Forest. obs. l. 18. obs. 32.*

LXXVII.

Hedera terrestris hypnotica, & diuretica.

Hedera terrestris somnum provocat, in jusculo cocta, (*a*) exsiccat moderatè, repellit & quoquo modo educit humores pravos. (*b*) In aqua vitæ infusa, eam efficacem reddit, ad pellendos calculos, estque singulare quorundam experimentum. *(c)*

a) *Scholtz. ep. 160.* b) *Mercur. l. 1. de morb. cutan. c. 9.* c) *Plater. de dol. p. 564.*

LXXVIII.

Aqua hederæ terrestris, pleuriticum & Empyicum singulare.

Aqua hederæ terrestris, si ad uncias quatuor à Pleuritico bibatur, idque in die, quater repetatur, à purulenta

lenta materia pectus repurgari, & ab Empyemate & Phtisi præmuniri tradunt.

Plat. d. d. p. 428.

LXXIX.

Succus hederæ ad ocænas & dysenteriam divinus.

Succus hederæ putredinem in narium ulceribus cohibet & emendat, unde ad narium tænia ab Hippocrate præscribitur. Succum propinatum plurimos à morte liberâsse in dysenteriâ testatur Hollerius.

Plat. de dol. p. 338. de vit. p. 905.

LXXX.

Lignum hederæ arboreæ, colli vitiis utilissimum.

Hederam arboream in colli vitiis emendandis tàm efficacem censent, ut & cochlearia ex ligno hederæ facta, juvare vulgò credantur,. *(a)* Dictam volunt quasi ederam, quod omnia consumat & edat, quibus adhæsit. *(b)*

a) *Plat. de dol. p. 391.* b) *Heidfeld. Sphing. Phil. c. 8.*

LXXXI.

Hedera capitis anodynon, gummi stomachi.

Hedera si ebriis imponatur, dolorem capitis mitigat, cum & ebrietatem impediat. Gummi hederæ à scrupulo uno, ad drachmam unam in liquore sumtum, magnopere dolores ventriculi sedare, & arcere aliqui testantur.

Plat. de dol. p. 273. & 501.

LXXXII.

Aristolochiæ Etymon, ejusq; vires.

Dicta est Aristolochia, quod ἀρίστη ταῖς λοχείαις βοηθεῖν, id est, optima puerperis sit, utpote quæ remoratos mēses, hærentes secundinas & reliquias omnes à partu expellat. *(a)* Rotundæ veræ pulvis in ovo sorbili exhibitus, plurimùm valet in cardialgiâ & doloribus ventriculi acerrimis. Rotundæ vulg. Fuschsii semen potum commendatur in herniis puerorum. *(b)* Quid Aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ex inventione reperit, rem ipsam inventor ex somnio, video quod satis est; cur possit, nescio. *(c)*

a) *Fuchs. in plat. hist. c. 31.* b) *Camerar. in hort.* c) *Cic. l. 1. de divin.*

LXXXIII.

Ficuum facultas & vitæ insidiæ.

Ficus alvum laxant, celeriterque per eam dejiciuntur, insigniter incidunt & abstergent, magnam arenularum vim è calculosis renibus deturbant, valentissimum corpori alimentum præstant, licet id non usque adeò sit solidum: sed sublaxum & tenue. Sed non ignorandum est in his quoque non exiguas esse vitæ insidias.

Goglen. de prerog. vit p. 314. Heurn. l. 2. M. c. 2.

LXXXIV.

Dulcedinis in ficu causa, & usus pro matrice; Tauri & Ficus anti-pathia.

Ut jecur bile in unum locum secretâ, fit dulcissimum, ita Ficus, dum in fructum suum, dulcedinem & pinguedinem omnem dimittit, ipse expers fit dulcedinis. Histericis, utero admodum esse utilem fru-

ctum

ctum noverat Hippocrates *(a)* quare ad omnes ejus affectiones usurpat exterius, sive ulcus uterum erodat, sive non. *(b)* A Ficu exit spiritus gravis & vehementissimus, hinc fit, ut taurus, quantumvis immanis, ficui alligatus, cicuretur & iram prorsus deponat. *(c)*

a) *l. de morb. mul.* b) *Camer. in hort.* c) *Plutarch. simpos. l.6. quæst. 10.*

LXXXV.

Ficuum progenies pediculi, & pediculorum ex ficubus causa.

Caricæ largius sumtæ pituitosum & crassum sanguinem præbent, qui facilè in putredinem abit, cum ægrè pervadat alvum, & hinc pediculi agminatim gignuntur. Propterea ait Galenus: Antiqui his Salem associabant in mensa. *(a)* Quid, ficus propriâ quâdam facultate, ad cutem excrementa protrudere posse ex eo colligunt, quod vulgò pediculos progignere credantur, quos ex sordibus in cute collectis, ab ejusmodi excrementis, vi ficuum eo propulsis provenire existimant, cum tamen sordes illæ, unde alioqui pediculi oriri solent, ab externis potiùs cuti adhærentibus nascentur, & adhuc, an Ficus pediculos gignant, dubium sit, illique opinioni fortè id occasionem præbuerit, quod cum semina ficuum, & forma & copia, inprimisque dentibus contrita, ut pediculi pollice contusi, crepent, sicque pediculis nonnihil respondeant, etiam pediculos gigni posse, inde existimarint. (b)

a) *Heurn. de aff. cap. c. 7.* b) *Plat. de vit. p. 33.*

LXXXVI.

LXXXVI.

Arbor sapientissima quæ.

Morus, novissima scilicet, quæ non nisi exacto frigore germinat, (κατ' ἀντίφρασιν dicta, quasi minimè stulta) & tamen parit inter primas, producens baccas succi plenas. Et cum germinare incipit, in tantum universa germinatio prorumpit, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu, ait Plinius, *(a)* ut tota floribus cooperiatur; quæ pridie vesperi nullos habebat, extraordinariæ Dei vocationis ad aliquod munus imaginem nobis repræsentans. Item, qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt. *(b)*

a) *l.16.c.25.* b) *Heidf. Sph. Phil. c. 8.*

LXXXVII.

Fucus Fœminarum ex Moris, eorumque usus Medicus.

Moris maturis si malas pingas, & postea semimaturis rursum eas frices, aquaque abluas, remanebit vividus color aliquandiu, sicuti ipse observavi. (*a*) Mora immatura ad Solem pluribus diebus exiccata, & usu expetente trita & bibita, mirificè alvum adstringunt. (*b*)

a) *Plat. de vit. p. 170.* b) *D. Leon. l.4. f. 3. c.4.*

LXXXVIII.

Amygdalæ amaræ bibulorum præsidium, earumque Antipathia.

Amygdalæ amaræ bibulorum Ebrietatem arcent, sed cur non etiam Absinthium, centaurium, aloë &c. an quia occultum diffidium est & antipathia inter amygdalas amaras & vini liquorem? persuasum habe.

non

non enim amaritudo id præstat, quatenus amaritudo est, sed quatenus in amygdalis amaris est. *(a)* Mirum quod vulpes & porcos enecant amygdalæ amaræ, cum porci amaris cerasorum nucleis delectentur. *(b)* Da amaras amygdales vulpi, vel reliquias earum ab oleo expresso aviculis, morientur. *(c)*

a) *Gogl. de pror. vit. c. 11. 14.* b) *Matthaus in spec. sanit. p. 52.* c) *Libav. l. 2. sing. p. 148.*

LXXXIX.

Cidonia fatui & ventriculo grata.

Codonea mala (aureo melino colore speciosiora, ob id Chrysomela Græcis, Maroni aurea mala dicta præstantissimum odorem vibrantia, tenuibus incisuris crispata, tenuique lanuguine pubescentia, circinatæ in orbem rotunditatis, quæ non solùm visu voluptatem, sed odore salubritatem afferunt) si sæpius esitaverit gravida, paritura edit infantem, cùm industrium tùm elegantem. *(a)* Conserva eorum & succus, non sunt simpliciter frigida, & juvant complexum cibi in ventriculo, non frigiditate, sed vi temperatâ adstrictoriâ, quâ sunt prædita. Itaque non tantùm impediunt ascensum vaporum, qui remoratur *(b)* corrugationem ventriculi, & caput vaporibus replet, verùm incitant quasi ventriculum, ut in sese contrahatur & totum cibum amplectatur, ita ut nulla ejus parte vacuâ, nullâ hiante, unico calore perficiatur coctio. *(c)*

a) *Mathiol. l. 1. c. 131. in Diosc.* b) *Ecl. 3. 8.* c) *Crato consil. 3. Porta l. 6. Phyt. c. 17. Henr. l. 2. c. 14.*

XC.

XC.

Cariophillorum olei utilitas.

Cariophillorum oleum, vulnerum dolorem statim sedat, & absque inflammatione ad cicatricem perducit, sordida mundat ulcera, fluxiones & virus sistit, adeò quod nihil supra, Soleo quoque eo uti feliciter in quartana febri, in chronicâ debilitate ventriculi (cruditatem enim tollit & flatus) *(a)* in diarrhæâ & ejusmodi morbis, in quibus calefacere, adstringere & roborare convenit: ultra guttulas 2. vel 3. rarò exhibeo in vino. Non innatat, sicut reliqua olea solent, liquoribus modò concutiatur, sed fundum petit in modum lachrymæ balsami, ac subsidit. *(b)*

a) *Heurn.l.2.M.c.9.* b) *Scholtz. epist.97.*

XCI.

Lolii generatio, & vires.

Triticum degenerat in lolium, & lolium in triticum mutatur, id accidit & imbrium frequentiâ, tempore verno, & simul cum Soles incanduerint. *(a)* Conspicitur in segetibus folio angusto, pingui, oleoso, hispido, semine in spicâ exili, flosculo purpurascente. *(b)* Noxium est omninò, non tantùm, quòd inebriet, sed firmissimum etiam quodvis cerebrum vertiginibus feriat, attonitos homines reddat, atque prosternat. *(c)* Hoc mihi nuper conquestus est villicus noster, in fundo paterno, ad Auracum amnem. Ajebat enim, se ignarum hujus rei panem inde confecisse, seque unà cum suâ familia ad talem temulentiam & veluti amentiam, qualem in vita nunquam sensisset, ex ejus usu redactum fuisse, quæ tamen in somno, durante nihilominus aliquot dies gravedine capitis, rursus

abi-

abiisset. Monstrabatque mihi acervum hujus Zizaniæ, quæ segregaverat, quæ tantùm colore nigricante a reliquo frumento discerni poterat, ita ut facilè aliquis, qui ejus effectus nesciret, decipi posset; jussi itaque eum, & panem & acervum removere, ne periculum majus oriretur. Hæc Zizania in Italia quoque frequens est, eamque Imbriacam, id est, herbam inebriantem appellant, & ex ea Aquam parant stillaticiam, ad quosdam usus ægris necessarios. *(d)* Pessimi autem succi est *(e)* hujus enim causa multi in stuporem vel insaniam redacti sunt. *(f)* incrassat enim spiritum animalem, debilitat nervos, nocetque virtuti motivæ. *(g)* Græci αἶραν nominant, Arabes Zizaniam & Sceylem. *(h)*

a) *Bapt. de Porta l. 2. c. 9. Phytogn.* b) *Lemn. herb. Bibl. expl. c. 45.* c) *Quere. dixt. polih. s. 2. c. 5.* d) *Camer. in hor. sue. cent. 1. med. 93.* e) *Gogl. de pror. vit. c. 6.* f) *Plat. l. 1. de l. f. p. 107.* g) *Dom. Leon. s. 1. l. 3. c. 4.* h) *Dodon. histor. frum. c. 59.*

XCII.

Historiæ, quibus formæ plantarum, in cineribus & salibus residere manifestantur.

I. De Vrticis renascentibus.

Vir honestissimus D. de Luynes, Formentieres Dominus, qui inter primos Parlamenti Parisiensis Consiliarios non ultimum locum occupaverat, dum apud me diversaretur, atque maneret, die quadam instituit remedium aliquod contra calculum, quo graviter laborabat, præparare. Hujus ergo rei gratia, sub finem Autumni, non paucas è terra urticas integras radicitus evulsit, ex evulsis lixivium cum aqua calida, vulgari

garimodo compoſuit, compoſitumque philtrando, atque tranſcolando purificavit, ut ex illis tandem ſalem, ſecundum Artis præcepta, ſuamque pariter intentionem educeret, accommodatum. At verò, cum in vaſculo quodam terreo, prædictum lixivium, tota nocte, ut frigefieret, expoſuiſſet, quo, die ſubſequente, exhalationem ad ſalem extrahendum moliretur, caſu quodam contigit, hac ipſa nocte, aërem ita infrigidatum fuiſſe, ut totum lixivium gelu nimio concretum fuerit. Cum igitur ſummo mane, vas illud è feneſtra amovere vellet, præter ſuam vidit opinionem, aquam lixivii congelatam, ſubindeque mille Urticarum figuras, in illa cum radicibus, foliis, & truncis adeò perfectè deſcriptas & adumbratas: ut qui melius illas ad unguem expreſſiſſet, figuraſſetque vix pictor ullus reperirètur. Cùm igitur hoc animadvertiſſet Vir Nobilis, tanquam miraculum ſuſpiciens, ad me ocius advolat, hisque compellat verbis ad imitationem Archimedis: Inveni exclamat, veni, vide. Ubi acceſſi ad ejus Ergaſterium, arripui glaciem, ejus fragmentum ſeparavi ſatis grande, quod ita aptè à me diſpoſitum, ne liqueſceret calore manus, ad varios magni nominis viros & fide dignisſimos, qui tunc eandem urbem nobiſcum habitabant, & adhuc ſuperſtites ibi ſedem & domicilium fixerunt, comportavi: qui ſinguli, ut glaciem conſpexerunt, Urticas eſſe conclamarunt: nec minus, quàm ego rem, uſque adeò incredibilem, ac eleganter portentoſam admirati ſunt, unusquisque cogitabundus meditabatur, quid rei iſtud eſſet, & unde ac quomodo tàm elegans res in Natura naſci poſſet: memoria repe-

petentes omnes, quod in S. Literis habetur: Memento Homo, quia Cinis es, & in cinerem reverteris; cogitantesque sub cineribus ejusmodi rerum formas delitescere ac immorari, unde resurrectio nostri corporis certissimè sit expectanda.

XCIII.

II. De Rosis redivivis.

Magni nominis vir Polonus, apud Cracovienses Medicus, usque adeò eleganter & philosophicè apparare nôrat Cinerem ex omnibus plantæ cujusvis partibus, idq; cum omnibus tincturis ac impressionibus omnium plantæ partium, earumque usque adeò scitè spiritus conservare, omnium facultatum authores, ut plures, quam triginta, ejusmodi artificiosè ex cineribus paratas plantas, easque diversas haberet vasculis suis vitreis contentas, Hermetico sigillo obsignatis, quæ titulum plantæ ac proprietatis ejus inscriptum haberent; ita ut si quis rogaret, sibi Rosam, aut Calendulam demonstrari, tunc cinerem illius plantæ arriperet, cujus specimen esset editurus: ut si nempe Rosam tibi monstrari cuperes, vasculum Rosæ titulo insignitum exhiberet: ex cujus vasis fundo, lucernæ igni admoto, aliquantum incalescens: tenuissimus ac impalpabilis ille cinis, ex se apertæ Rosæ speciem emitteret, quam sensim crescere, vegetari ac formam penitus caulis, foliorum, tandemque geminæ floridæ rosæ umbram ac figuram exprimere & tandem explicatissimam Rosam producere, apertis oculis intueri liceret: ut nihil certiùs, nihil elegantiùs, quam ex umbratili illâ Rosâ, apertissima Rosa enucleari, ac conspici posset, omnibus usque quaque

suis partibus absoluta, ut plane corpoream diceres, quæ spirituali tantùm ideâ, reverà tamen spirituali essentiâ dotata, sese intuendam præberet: cui nihil aliud constaret, quàm conguæ terræ mandari, ut solidius corpus assumeret. Hæc autem umbratilis figura, vase ab igne remoto, rursus in suos cineres relabebatur, suumque chaos evanescendo sensim repetebat.

Quercet. l. 2. de pest. c. 5. & c. 23. resp. ad Anom. Libav. sintagm. arcan. chym. l. 1. c. 22.

XCIV.

Tria Chymicorum principia, in ligno viridi, arido & combusto.

Si lignum viride igni admoveatur flammam non concipit, donec humiditas aquea, aut secundum Chymicos, Mercurialis substantia exhalet; neque quisquam opinetur, nihil nisi Aquam, è ligno viridi, igni admoto exhalare. Nam mordicatio illa, quam oculis infert ille vapor, satis docet, aliud quid præter aquam resolutam, huic vapori inesse. Postquam ista Aqua, & Mercurialis humiditas absumta est maxima ex parte, oleaginosum illud & pingue inflammari & flammam liberiorem, nec ita fumo permistam, dare incipit. Restant tandem Cineres, in quibus sal residuus est, & aquâ affusâ, à terra facilè separatur.

Sennertus de cons. & diss. Chym. cum Arist. c. 11.

XCV.

Mirabilia circa vegetabilia Brumæ tempore

Memorabilia sunt & mirabilia, quæ brumali solstitio

tio contingere dicuntur, circa Natalem Christi. Plurimis persuasum est, arborum succum, qui antè deorsum ad radicem decensum fecerat, circa illud tempus ex radice sursum ascendere. Cic. l. 2. de div. Probatum, inquit, à Stoicis est, semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sunt brumali die in contrarias sese partes vertere. Gellius l. 9. c. 7. ait: vulgò & scriptum & creditum est, folia olearum, arborum, brumali & solstitiali die converti, & quæ pars eorum fuerat inferior, atque occultior, eam supra fieri & exponi ad oculos & ad solem. Quod nobis semel atque iterum experiri volentibus ita propemodum visum est. Sunt & alii qui hoc ipsum foliis populi albæ & salicis accidere asserunt.

Bartholin. de stellar. natur. part. 191.

XCVI.

Plantarum propagatio.

Plantæ quædam per semina solùm terræ commissa propagantur, aliæ saltem per bulbos, aut radices, aliæ utroque modo; aliæ per surculos, sed tamen eos solùm, qui jam ad flores dispositi sunt: in aliis humor ille seminalis per totam plantam diffusus est, ita ut quocunque ramo, seu radice avulsa & terræ commissâ propagatio fieri possit, sicut id fit in salice, & ferè etiam in Vite. Imò fungi (qui traduntur in rimis suis semen suum gerere) si decoquantur, aut succus exprimatur, & succus vel decoctum stemmatibus arborum (quod potissimum in fagiais tentatur) affundatur, magno numero fungi inde nascuntur.

Sennert.de conf. Chym. cum. Arist. c. 12. Libav. l. 3 singul. c. 16.

XCVII.

Ex re herbariâ Medicinæ primordia.

Quis igitur est, qui in unam humano generi utilissimam Medicinam ἐπιπλαίως duntaxat oculos convertens, non fateatur, ejusdem principia non aliundè ferè derivari, quam ex hac PLANTARUM STIRPIUMQUE sapientissimâ cognitione, cum meridianâ luce clariùs sit, harum tantam, tamque variam esse virtutem, ut ad omnia morborum genera sint utiles & divinâ quâdam providentiâ genitæ? Qui itaque neq; delectationis, neque usus evidentissimo τεκμηρίῳ convictus esse velit, illi procul dubio, ut cum Poëta (a) loquar:

—— has ne possit natura accedere partes
frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

a) *Virgil. l. 2. Georg.*

XCVIII.

Gaudium ex plantis & earum signaturis solidum.

Quis est, qui herbas unius Anni intervallo, & nascentes & intereuntes diligentiùs in magno illo Dei cognitionis libro, nimirum mundo contemplatus, non lætetur, cùm videat eas tam variis formis, ac innumeris figuris esse distinctas: ut singulæ quasi literis, notis hyeroglиphicis insignitæ ἐν πᾶσι φυσικοῖς θαυμαστόν τι, ut inquit Aristoteles, reperiri, locupletissimum perhibeant testimonium?

I. Hartm. in præf. com. Scalig. in Arist. de plant.

XCIX.

Votum I. Lipsî hortulanum.


O gaudii & liquidæ voluptatis verè fons! ô Venerum & Gratiarum sedes! mihi in vestris umbraculis quies & vita sit: mihi fas remoto extra civicos tumultus, inter has herbas, inter hos noti ignotique orbis flores, hilari & hiante oculo oberrare: & modò ad hunc occidentem, modò ad illum exorientem manum vultumq; circumferre: & cum vaga quadam allucinatione curarum hîc omnium falli & laborum. *l. 2. de constant. c. 2.*

C.

Contra eos, qui negant Plantarum vires.

Quapropter malè audiunt apud doctos, qui tales plantarum effectus & miracula rident, cum & rerum eventa prorsus famæ suffragentur. Non protinus historiis fidem derogare consentaneum est, si vel aucupium causæ, quo potiri nequeamus, nos fugiat. Siquidem innumera ferè sunt hominibus conspicua, quorum ratio non possit iniri. Multa in intimis Naturæ penetralibus delitescunt, quæ nec Ratio ulla, nec humanus intellectus comprehendere potest. Voluit namq; Natura hæc potiùs admirari homines, quam à quoquam unquam intelligi. *(a)* Concludam & conquerar cum Scaligero: *(b)* Sapientia vix tandem serò cœlitus demissa est, vel ad hunc usque diem quanta latitavére? quot adhuc latent, quæ posteritas (si quæ futura) eruet adjuta?

a) *Matthiol. præf. tom. in Diosc.* b) *l. 5. de caus. ling. lat. c. 110.*



CENTVRIÆ IV.

Particula I.

Astu curati morbi. Historia II.

AStu quæ fit Curatio, interdum non minus valet totâ Magiâ, est enim instar strategematis in Medicinâ. Quidam animam se affirmabat, ob idque omnem cibum reformidabat, quòd animas edere negaret, tandem à fideli Medico parata mensa, mediâ nocte à nudis farinâque oblitis hominibus cubili illata; summo silentio accubuêre, rogat ille, quid agerent: obmurmurans quidam respondit, esitare, mox ille, quæ gens? animæ. at animæ edones non sunt, respondit alter: Nostro, & non humano more edimus, hic exiliens lecto. Et ego anima, inquit, fruar unà vestris epulis: assedit, comedit, à morbo evasit. Alter, cum existimaret, tàm vastum se nasum gerere, ut nullæ portæ illi perviæ essent, huic dormienti sagax Medicus, longanonem bovis, sanguinis plenum, nexuit: cumque à somno de ingente naso querela illi esset, rogat Medicus, num amputare liceret nasum: manibus porrectis hoc officium ab eo efflagitat: scindit Medicus longanonem, & forti pressione exprimit cruorem in oculos ægri, & longanonem abjicit, hic falsa imagine excussa à morbo liberatus fuit.

Heurn. l. 3. M.M. c. 28. Lemn. l. 2. de compl. c. 6. M. Döring. l. 2. de Med. & Med. f. 2. c. 5. p. 323.

II.

II.

Historia III.

Maximè ridicula eſt, ex omnibus, quas legi, de Senenſi quodam Nobili, delirationis inauditæ Hiſtoria, cui nullo modo perſuaderi poterat, ut urinã redderet. Ajebat enim, ſi minxiſſet, totam urbem diluvio perituram; quem ad lotium excernendum eleganti comẽnto Medici perduxerunt. Namq; injecto in vicinam domum igne, & pulſantibus campanis ad inſanientem famulos ac domeſticos dimiſerunt, magno incendio urbem conflagrare nunciantes, enixeque rogantes, ut redditâ urinâ civitati ſemiconcrematæ opem ferret, flammis cuncta vaſtantibus (quod unicum auxilii genus ſupereſſe aſſerebant) lotii ſui copiâ extinctis. Commento hoc perſuaſus miſer ille melancholicus, ne perderet civitatem omnem, reddidit ad reſtinguendum incendium, quicquid veſicâ contentum ſervaret, ſicque integram corporis valetudinem recuperavit.

A. Laurent. l. de melanch. c. 7. Döring. d. p. 326. Med. Marc. Donat. l. 2. de hyſt. med. mir. c. 1.

III.

Lethargicorum & vinoſorum excitatio.

Excitatur Lethargicus, eo ſtudio, cui ſe addixerat, clangore tubarum ſi miles, tinnitu auri & argenti avarus. (*a*) Sed longè lepidius, non ſine tamen Medicâ ratione, Opimium illum avarum Medicus fidelis è ſomno profundo revocavit, qui

quondam lethargo grandi eſt oppreſſus: ut hæres
jam circum loculos, & claves lætus, ovansq;

curreret: hunc medicus multum celer atq́3 fidelis
excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
effundi saccos nummorum, accedere plures
ad numerandum, hominem sic erigit, addit & illud,
ni tua custodis, avidus jam hoc auferet hæres,
Men' vivo? ut vivas igitur vigila, hoc age, quid vis?
deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
ingens accedat stomacho fultura ruenti. (b)

Non dissimili technâ alter vinosus excitatus fuit, cum audiisset vasa sua vinaria vehementius commoveri, atque inde vinum ebibi. (*c*)

a. c.) *Holler. l.1. prax. c.8. in schol.* b) *Horat. l. 2. serm. sat. 3.*

IV.

Tarantularum venenum Musica mulcetur.

Icti à Tarantulis, alii perpetuò canunt alii rident, alii plorant, alii clamitant, &c. Sed mirum certè, quam facilè hujuscè veneni vis Musicâ mulceatur. Quandoquidem, (ut equidem attestari possum) auditis lyricis instrumentis, per tibiarum sonum primo statim occursu icti à tarantula à plangoribus cessant, & in medium tripudiare & saltare incipiunt, tamque diu rem persequuntur, ac si sani essent, ac nullo unquam tenerentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum quiescant, non multo post tempore in terram concidunt, & ad pristinos redeunt languores, nisi tamdiu indeficiente sonitu saliant, atque tripudient, donec venenum partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat & discutiatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur, alterna-

natimque mutantur, ut absque ulla sonitus intermissione tam diu tripudient demorsi, quousque penitus curati conquiescant.

Mathiol. com. l. 2. Diosc. c. 57.

V.

Mira podagræ remedia.

1. *Pauperies post luxum.*

LucasKeslin, civis Landspergensis prædives, summo luxu, delitiis & otio affluens, Podagram sibi accersiverat: à quà paululum liber, subinde eques animi gratiâ, peregrè proficiscens: duobus servis qui herum equum ascendentem, descendentemque sublevarent, aut euntem humeris suis fulcirent, stipatus: tandem ad extremam egestatem redactus est. Unde vini, aliorumque carentia, victuque acciso, & pro pauperis conditione frugali instituto: podagra, mutato hospitio, hominem deseruit. Qui etiamnum quinquagenarius, merces corbe dossuariâ hinc inde altissimos montes scandendo, discurrendoque, divendiumque comportans: podagrâ tenui isthac fortunâ in totum profligatâ, victum sibi quæritabat.

Chr. Wirsung. l. 4 prax. germ. c. 8. quam historiam latinitate donavit I. Schenk. l. 5. obs. 129. Non absimilem ex Tabernemont. citat. I. Matheus, in spec. sanit. c. 4. f. 143.

VI.

2. *Carcer diuturnus.*

Singularissimum hâc ætate præsidium neminem fallens, nunc primum sese evexit, nunc exorta, atque excogitata Podagricos sanandi ratio, etiam cùm ipsis articulorum callosis contractionibus, cœlitus al-

XC.

Cariophillorum olei utilitas.

Cariophillorum oleum, vulnerum dolorem statim sedat, & absque inflammatione ad cicatricem perducit, sordida mundat ulcera, fluxiones & virus sistit, adeò quod nihil supra. Soleo quoque eo uti feliciter in quartana febri, in chronicâ debilitate ventriculi (cruditatem enim tollit & flatus) *(a)* in diarrhæâ & ejusmodi morbis, in quibus calefacere, adstringere & roborare convenit: ultra guttulas 2. vel 3. rarò exhibeo in vino. Non innatat, ficut reliqua olea solent, liquoribus modò concutiatur, sed fundum petit in modum lachrymæ balsami, ac subsidit. *(b)*

a) *Heurn.l.2.M.c.9.* b) *Scholtz. epist.97.*

XCI.

Lolii generatio, & vires.

Triticum degenerat in lolium, & lolium in triticum mutatur, id accidit & imbrium frequentiâ, tempore verno, & simul cum Soles incanduerint. *(a)* Conspicitur in segetibus folio angusto, pingui, oleoso, hispido, semine in spicâ exili, flosculo purpurascente. *(b)* Noxium est omninò, non tantùm, quòd inebriet, sed firmissimum etiam quodvis cerebrum vertiginibus feriat, attonitos homines reddat, atque prosternat. *(c)* Hoc mihi nuper conquestus est villicus noster, in fundo paterno, ad Auracum amnem. Ajebat enim, se ignarum hujus rei panem inde confecisse, seque unà cum suâ familia ad talem temulentiam & veluti amentiam, qualem in vita nunquam senfisset, ex ejus usu redactum fuisse, quæ tamen in somno, durante nihilominus aliquot dies gravedine capitis rursus abi-

abiisset. Monstrabatque mihi acervum hujus Zizaniæ, quæ segregaverat, quæ tantùm colore nigricante à reliquo frumento discerni poterat, ita ut facilè aliquis, qui ejus effectus nesciret, decipi posset; jussi itaque eum, & panem & acervum removere, ne periculum majus oriretur. Hæc Zizania in Italia quoque frequens est, eamque Imbriacam, id est, herbam inebriantem appellant, & ex ea Aquam parant stillaticiam, ad quosdam usus ægris necessarios. (*d*) Pessimi autem succi est (*e*) hujus enim causa multi in stuporem vel insaniam redacti sunt. (*f*) incrassat enim spiritum animalem, debilitat nervos, nocetque virtuti motivæ. (*g*) Græci *αἶρα* nominant, Arabes Zizaniam & Sceylem. (*h*)

a) *Bapt. de Porta l. 2. c. 9. Phytogn.* b) *Lemn. herb. Bibl. expl. c. 45.* c) *Quere. diæt. polih. s. 2. c. 5.* d) *Camer. in hor. suc. cent. 1. med. 93.* e) *Gogl. de pror. vit. c. 6.* f) *Plat. l. 1. de l. f. p. 107.* g) *Dom. Leon. s. 1. l. 3. c. 4.* h) *Doden. histor. frum. c 59.*

XCII.

Historiæ, quibus formæ plantarum, in cineribus & salibus residere manifestantur.

I. De Urticis renascentibus.

Vir honestissimus D. de Luynes, Formentieres Dominus, qui inter primos Parlamenti Parisiensis Consiliarios non ultimum locum occupaverat, dum apud me diversaretur, atque maneret, die quadam instituit remedium aliquod contra calculum, quo graviter laborabat, præparare. Hujus ergo rei gratia, sub finem Autumni, non paucas è terra urticas integras radicitus evulsit, ex evulsis lixivium cum aqua calida, vulgari

gari modo composuit, compositumque philtrando, atque transcolando purificavit, ut ex illis tandem salem, secundum Artis præcepta, suamque pariter intentionem educeret, accommodatum. At verò, cum in vasculo quodam terreo, prædictum lixivium, tota nocte, ut frigefieret, exposuisset, quo, die subsequente, exhalationem ad salem extrahendum moliretur, casu quodam contigit, hac ipsa nocte, aërem ita infrigidatum fuisse, ut totum lixivium gelu nimio concretum fuerit. Cum igitur summo mane, vas illud è fenestra amovere vellet, præter suam vidit opinionem, aquam lixivii congelatam, subindeque mille Urticarum figuras, in illa cum radicibus, foliis, & truncis adeò perfectè descriptas & adumbratas: ut qui melius illas ad unguem expressisset, figurassetque vix pictor ullus reperirétur. Cùm igitur hoc animadvertisset Vir Nobilis, tanquam miraculum suspiciens, ad me ocius advolat, hisque compellat verbis ad imitationem Archimedis: Inveni, exclamat, veni, vide. Ubi accessi ad ejus Ergasterium, arripui glaciem, ejus fragmentum separavi satis grande, quod ita aptè à me dispositum, ne liquesceret calore manus, ad varios magni nominis viros & fide dignissimos, qui tunc eandem urbem nobiscum habitabant, & adhuc superstites ibi sedem & domicilium fixerunt, comportavi: qui singuli, ut glaciem conspexerunt, Urticas esse conclamarunt: nec minus, quàm ego rem, usque adeò incredibilem, ac eleganter portentosam admirati sunt, unusquisque cogitabundus meditabatur, quid rei istud esset, & unde ac quomodo tàm elegans res in Natura nasci posset: memoria re-

pe-

petentes omnes, quod in S. Literis habetur: Memento Homo, quia Cinis es, & in cinerem reverteris; cogitantesque sub cineribus ejusmodi rerum formas delitescere ac immorari, unde resurrectio nostri corporis certissimè sit expectanda.

XCIII.

II. De Rosis redivivis.

Magni nominis vir Polonus, apud Cracovienses Medicus, usque adeò eleganter & philosophicè apparare nôrat Cinerem ex omnibus plantæ cujusvis partibus, idq; cum omnibus tincturis ac impressionibus omnium plantæ partium, earumque usque adeò scitè spiritus conservare, omnium facultatum authores, ut plures, quam triginta, ejusmodi artificiosè ex cineribus paratas plantas, easque diversas haberet vasculis suis vitreis contentas, Hermetico sigillo obsignatis, quæ titulum plantæ ac proprietatis ejus inscriptum haberent: ita ut si quis rogaret, sibi Rosam, aut Calendulam demonstrari, tunc cinerem illius plantæ arriperet, cujus specimen esset editurus: ut si nempe Rosam tibi monstrari cuperes, vasculum Rosæ titulo insignitum exhiberet: ex cujus vasis fundo, lucernæ igni admoto, aliquantum incalescens; tenuissimus ac impalpabilis ille cinis, ex se apertæ Rosæ speciem emitteret, quam sensim crescere, vegetari ac formam penitus caulis, foliorum, tandemque geminæ floridæ rosæ umbram ac figuram exprimere & tandem explicatissimam Rosam producere, apertis oculis intueri liceret: ut nihil certiùs, nihil elegantiùs, quam ex umbratili illâ Rosâ, apertissima Rosa enucleari, ac conspici posset, omnibus usque quaque

ſuis partibus abſoluta, ut plane corpoream diceres, quæ ſpirituali tantùm ideâ, reverà tamen ſpirituali eſſentiâ dotata, ſeſe intuendam præberet: cui nihil aliud conſtaret, quàm conguæ terræ mandari, ut ſolidius corpus aſſumeret. Hæc autem umbratilis figura, vaſe ab igne remoto, rurſus in ſuos cineres relabebatur, ſuumque chaos evaneſcendo ſenſim repetebat.

Quercet. l. 2. de peſt. c. 5. & c. 23. reſp. ad Anom. Libav. ſintagm. arcan. chym. l. 1. c. 22.

XCIV.

Tria Chymicorum principia, in ligno viridi, arido & combuſto.

Si lignum viride igni admoveatur flammam non concipit, donec humiditas aquea, aut ſecundum Chymicos, Mercurialis ſubſtantia exhalet; neque quisquam opinetur, nihil niſi Aquam, è ligno viridi, igni admoto exhalare. Nam mordicatio illa, quam oculis infert ille vapor, ſatis docet, aliud quid præter aquam reſolutam, huic vapori ineſſe. Poſtquam iſta Aqua, & Mercurialis humiditas abſumta eſt maxima ex parte, oleaginoſum illud & pingue inflammari & flammam liberiorem, nec ita fumo permiſtam, dare incipit. Reſtant tandem Cineres, in quibus ſal reſiduus eſt, & aquâ affusâ, à terra facilè ſeparatur.

Sennertus de conſ. & diſſ. Chym. cum Ariſt. c. 11.

XCV.

Mirabilia circa vegetabilia Brumæ tempore

Memorabilia ſunt & mirabilia, quæ brumali ſolſtitio

tio contingere dicuntur, circa Natalem Christi. Plurimis persuasum est, arborum succum, qui ante deorsum ad radicem decensum fecerat, circa illud tempus ex radice sursum ascendere. Cic. l. 2. de div. Probatum, inquit, à Stoicis est, semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sunt brumali die in contrarias sese partes vertere. Gellius l. 9. c. 7. ait: vulgò & scriptum & creditum est, folia olearum, arborum, brumali & solstitiali die converti, & quæ pars eorum fuerat inferior, atque occultior, eam supra fieri & exponi ad oculos & ad solem. Quod nobis semel atque iterum experiri volentibus ita propemodum visum est. Sunt & alii qui hoc ipsum foliis populi albæ & salicis accidere asserunt.

Bartholin. de stellar. natur. part. 191.

XCVI.

Plantarum propagatio.

Plantæ quædam per semina solùm terræ commissa propagantur, aliæ saltem per bulbos, aut radices, aliæ utroque modo; aliæ per surculos, sed tamen eos solùm, qui jam ad flores dispositi sunt: in aliis humor ille seminalis per totam plantam diffusus est, ita ut quocunque ramo, seu radice avulsâ & terræ commissâ propagatio fieri possit, sicut id fit in salice, & ferè etiam in Vite. Imò fungi (qui traduntur in rimis suis semen suum gerere) si decoquantur, aut succus exprimatur, & succus vel decoctum stemmatibus arborum (quod potissimum in fagiais tentatur) affundatur, magno numero fungi inde nascuntur.

M 2 Sen-

Sennert.de conf.Chym.cum.Arist.c.12. Libav.l.3 singul.c.16.

XCVII.

Ex re herbariâ Medicinæ primordia.

Quis igitur est, qui in unam humano generi utilissimam Medicinam ἐπιπολαίως duntaxat oculos convertens, non fateatur, ejusdem principia non aliundè ferè derivari, quam ex hac PLANTARUM STIRPIUMQUE sapientissimâ cognitione, cum meridianâ luce clariùs sit, harum tantam, tamque variam esse virtutem, ut ad omnia morborum genera sint utiles & divinâ quâdam providentiâ genitæ? Qui itaque neq; delectationis, neque usus evidentissimo τεκμηρίῳ convictus esse velit, illi procul dubio, ut cum Poëta (a) loquar:

—— has ne possit natura accedere partes
frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

a) *Virgil.l.2. Georg.*

XCVIII.

Gaudium ex plantis & earum signaturis solidum.

Quis est, qui herbas unius Anni intervallo, & nascentes & intereuntes diligentiùs in magno illo Dei cognitionis libro, nimirum mundo contemplatus, non lætetur, cùm videat eas tam variis formis, ac innumeris figuris esse distinctas: ut singulæ quasi literis, notis hyerogliphicis insignitæ ἐν πᾶσι φυσικοῖς θαυμαστόν τι, ut inquit Aristoteles, reperiri, locupletissimum perhibeant testimonium?

I. Hartm.in præf.com. Scalig.in Arist.de plant.

XCIX.

XCIX.

Votum I. Lipsî hortulanum.

O gaudii & liquidæ voluptatis verè fons! ô Venerum & Gratiarum sedes! mihi in vestris umbraculis quies & vita sit: mihi fas remoto extra civicos tumultus, inter has herbas, inter hos noti ignotique orbis flores, hilari & hiante oculo oberrare: & modò ad hunc occidentem, modò ad illum exorientem manum vultumq; circumferre: & cum vaga quadam allucinatione curarum hîc omnium falli & laborum.

l. 2. de constant. c. 2.

C.

Contra eos, qui negant Plantarum vires.

Quapropter malè audiunt apud doctos, qui tales plantarum effectus & miracula rident, cum & rerum eventa prorsus famæ suffragentur. Non protinus historiis fidem derogare consentaneum est, si vel aucupium causæ, quo potiri nequeamus, nos fugiat. Siquidem innumera ferè sunt hominibus conspicua, quorum ratio non possit iniri. Multa in intimis Naturæ penetralibus delitescunt, quæ nec Ratio ulla, nec humanus intellectus comprehendere potest. Voluit namq; Natura hæc potiùs admirari homines, quam à quoquam unquam intelligi. *(a)* Concludam & conquerar cum Scaligero: *(b)* Sapientia vix tandem serò cœlitus demissa est, vel ad hunc usque diem quanta latitavére? quot adhuc latent, quæ posteritas (si quæ futura) eruet adjuta?

a) *Matthiol. præf. com. in Diosc.* b) *l. 5. de caus. ling. lat. c. 110.*



CENTVRIÆ IV.

Particula I.

Astu curati morbi. Historia II.

AStu quæ fit Curatio, interdum non minus valet totâ Magiâ, est enim instar stratagematis in Medicinâ. Quidam animam se affirmabat, ob idque omnem cibum reformidabat, quòd animas edere negaret, tandem à fideli Medico parata mensa, mediâ nocte à nudis farinâque oblitis hominibus cubili illata; summo silentio accubuère, rogat ille, quid agerent: obmurmurans quidam respondit, esitare, mox ille, quæ gens? animæ. at animæ edones non sunt, respondit alter: Nostro, & non humano more edimus, hic exiliens lecto. Et ego anima, inquit, fruar unà vestris epulis: assedit, comedit, à morbo evasit. Alter, cum existimaret, tàm vastum se nasum gerere, ut nullæ portæ illi perviæ essent, huic dormienti sagax Medicus, longanonem bovis, sanguinis plenum, nexuit: cumque à somno de ingente naso querela illi esset, rogat Medicus, num amputare liceret nasum: manibus porrectis hoc officium ab eo efflagitat: scindit Medicus longanonem, & forti pressione exprimit cruorem in oculos ægri, & longanonem abjicit, hic falsa imagine excussa à morbo liberatus fuit.

Heurn. l. 3. M. M. c. 28. Lemn. l. 2. de compl. c. 6. M. Döring. l. 2. de Med. & Med. f. 2. c. 5. p. 323.

II.

II.

Historia III.

Maximè ridicula eſt, ex omnibus, quas legi, de Senenſi quodam Nobili, delirationis inauditæ Hiſtoria, cui nullo modo perſuaderi poterat, ut urinã redderet. Ajebat enim, ſi minxiſſet, totam urbem diluvio perituram; quem ad lotium excernendum eleganti com̃ento Medici perduxerunt. Namq; injecto in vicinam domum igne, & pulſantibus campanis ad inſanientem famulos ac domeſticos dimiſerunt, magno incendio urbem conflagrare nunciantes, enixeque rogantes, ut redditâ urinâ civitati ſemiconcrematæ opem ferret, flammis cuncta vaſtantibus (quod unicum auxilii genus ſupereſſe afferebant) lotii ſui copiâ extinctis. Commento hoc perſuaſus miſer ille melancholicus, ne perderet civitatem omnem, reddidit ad reſtinguendum incendium, quicquid veſicâ contentum ſervaret, ſicque integram corporis valetudinem recuperavit.

A. Laurent. l. de melancb. c. 7. Döring. d. p. 326. Med. Marc. Donat. l. 2. de hyſt. med. mir. c. 1.

III.

Lethargicorum & vinoſorum excitatio.

Excitatur Lethargicus, eo ſtudio, cui ſe addixerat, clangore tubarum ſi miles, tinnitu auri & argenti avarus. (*a*) Sed longè lepidius, non ſine tamen Medicâ ratione, Opimium illum avarum Medicus fidelis è ſomno profundo revocavit, qui

quondam lethargo grandi eſt oppreſſus: ut hæres
jam circum loculos, & claves lætus, ovansq;

natimque mutantur, ut absque ulla sonitus intermissione tam diu tripudient demorsi, quousque penitus curati conquiescant.

Mathiol.com.l.2.Diosc.c.57.

V.

Mira podagræ remedia.

1. *Pauperies post luxum.*

LucasKeſslin, civis Landſpergenſis prædives, ſummo luxu, deliciis & otio affluens, Podagram ſibi accerſiverat: à quà paululum liber, ſubinde eques animi gratiâ, peregrè proficiſcens: duobus ſervis qui herum equum aſcendentem, deſcendentemque ſublevarent, aut euntem humeris ſuis fulcirent, ſtipatus: tandem ad extremam egeſtatem redactus eſt. Unde vini, aliorumque carentia, victuque acciſo, & pro pauperis conditione frugali inſtituto: podagra, mutato hoſpitio, hominem deſeruit. Qui etiamnum quinquagenarius, merces corbe doſſuariâ hinc inde altiſſimos montes ſcandendo, diſcurrendoque, divendiumque comportans: podagrâ tenui iſthac fortunâ in totum profligatâ, victum ſibi quæritabat.

Chr. Wirſung. l.4. prax. germ. c.8. quam hiſtoriam latinitate donavit I. Schenk. l.5. obſ. 129. Non abſimilem ex Tabernemont. citat. l. Matheus, in ſpec. ſanit. c. 4. f. 143.

VI.

2. *Carcer diuturnus.*

Singulariſſimum hâc ætate præſidium neminem fallens, nunc primum ſeſe evexit, nunc exorta, atque excogitata Podagricos ſanandi ratio, etiam cum ipſis articulorum calloſis contractionibus, cœlitus al-

tisve de montibus elapsa. Quandoquidem Magnificus Franciscus Pechius, nuper ex catarrho, à nobis sanitati restitutus, hujus medelæ exemplum, hujus salutis, divinique auxilii è cœlo delapsi certitudinem præstabit: hic enim ubi mulam conscendisset, Illustrissimi nostri Ducis commissa expediens, Anno 50. podagricus, diuturnis hujusce morbi cruciatibus oppressus, clam à Marchione quodam in ergastulum conjectus, uxore, unico filio, omnibusque aliis, vita defunctum arbitrantibus, anno jam transacto 20. hoc 1556. anno, à Gallis in eam arcem irruentibus, incolumis adhuc inventus est, miroque Vercellensium spectaculo, tanquam Lazarus è monumento, divino equidem munere servatus, nulla articulari læsione, ense accinctus, nullo innixus baculo, per urbem incedit: omnemque ex tenui victu, à carceris custodibus indicto, podagræ noxam effugit, uxore, filioque mortuis prædia, ædes, omneque divenditum, opimum certè patrimonium, jure ipso revocare incepit, ea verò disticho, per jocum, complexi sumus:

Zumaliâ occlusus, bis denis P[illegible] annis,
ter quoque, bis vivus, vivere posse putat.

Franc. Alexand. in Medic. Phœbi p. 159. ex hoc Crato Consil. 240. 709. Miras quoque sanatæ Podagræ historias vide apud Pansam, quæst. 5. consil. antipodr. special. p. 310. & seq.

VII.

Podagra, cur ditiorum affectus.

Quia divitiæ pariunt voluptatem, hæc dolorem podagricum. 2. Rerum copia varietatem ferculorum optimorum ministrat, quorum cum plus assuma-

matur, quàm concoqui possit, hinc cruditates & humorum superfluitas in corpore exoriuntur, quæ deinde deturbantur ad extremas partes, utpote debiliores. 3. Exercitium laboriosum deest illis, hinc omnes concoctiones scatent superfluitatibus, nec fit conveniens excretio. 4. Abhorrent à medicamentis plerumque, præsertim amaris & salutaribus. 5. Fluxione factâ fovent morbum, eadem intemperantiâ cibi, potus, &c. mollioris lecti, quo fluxio magis irritatur. Unde Arthritis non injuriâ est Dea μισόπτωχος, id est, odio habens pauperes, quæ sit Bacchi & Veneris θυγάτηρ, seu Filia.

M. Majer. in civit. corp. hum. c. 3. & 11.

VIII.

Infantium involucrum quid præstet.

Sunt qui membranam involutam capiti recens nati, maximam vim habere contra colicum dolorem affirmant, proptereà si quando id accidit (nam non omnibus accidit) obstetrices servant, & experimento constare asseverant. Physicâ quâdam ratione mirum in modum prosunt, si suo modo & tempore præparentur. *(a)* Aniculæ infantibus bona, ex colore rubicundo, vel mala, ex nigricante præsagire solent. Hinc sanè crediderim Gallicum proverbium natum fuisse, Il est nay coiffé, natus est vittatus, vel pileatus, de eo, cui ultrò suppetunt bona, partumque est amplum à parentibus patrimonium. *(b)* Obstetrices dein credulis Advocatis vendunt, siquidem Causidici se illâ adjuvari persuasum habent. *(c)*

a) *Holler. l. 1, c. 41. in schol. Knobl. disp. anat. 8. de Invol,*

vol. b) *Mirald. cent. 1. mem. aph. 18.* c) *Lomn. l. 2. de occ. nat. mir. c. 8.*

IX.

Generatio piſcium mirabilis ex ſolo imbre.

Videre licet locum convallibus undique ſeptum, quem fons nullus irrigat, nullus alluit lacus, denique nil niſi cœleſtem imbrem admittit, & cum eum imbres replent, illicò variis piſcium generibus repletur.

l. Bapt. Porta. phyt. l. 2. c. 2.

X.

Braſſicæ ſoboles, Erucæ, papiliones, vermes, Chryſalides, Muſcæ.

Erucæ ex virentibus foliis, maximèque ex Braſſica fiunt, ex Erucis papiliones. *(a)* Ipſe, *(b)* cum ante annos jam plures hujus rei periculum facerem, & tempore hyberno, cum aliæ herbæ virentes ad manum non eſſent, braſſicam rubram contuſam in hypocauſto, donec in ea vermes generarentur aſſervarem: vermes illos in chryſalides mutari comperi, quos cum in arculâ cuſtodirem, eamque poſteà aperirem, multæ parvæ muſcæ evolabant, quæ ex chryſalibus, ſeu aureliis natæ erant, & ex putamine abrupto proruperant.

a) *Ariſtot. l. 5. c. 19. de hiſt. animal. Libav. l. 1. bomb. c. 21.* b) *Sennert. de conſ. chym. cum Ariſt. c. 12. p. 338.*

XI.

Ex ſpuma canis rabidi, Catelli.

A viro fide digno accepi, è ſpumâ canis rabidi in veſte vel linteo hærente, animalcula quædam parvis catellis ſimillima progenita fuiſſe. Nimirum illud ſeminale principium rerum minus nobilium, & extremis

tremis injuriis ac impreſſionibus reſiſtere, tandemque iterum emergere, & ſuas actiones edere poteſt. Quod vel illud docet, quòd multarum rerum eſſentia in multis mutationibus integra, & ſub alterius formæ dominio deliteſcere poteſt.

Sennert. l. c. & l. 2. inſtit. part. 3. ſect. 2. c. 4.

XII.

Ejus rei documenta ab Experimentis, Lactis caprilli, ſegetum, & ſpermatis ranarum ac piſcium.

Exempli loco ſit nobis iſtud. Alatur capra herbis quibusdam purgantibus; lac capræ illius bibat nutrix, fiet, ut infans, qui hoc ſugit à nutrice inde purgetur. Ubi primùm in ventriculo Capræ herbæ illæ mutantur in chylum: ex chylo fit ſanguis in hepate, ex ſanguine in mammis lac. Lac hoc, ubi nutrix bibit, rurſum fit ex lacte in ventriculo nutricis chylus, ex chylo ſanguis: ex ſanguine lac, lac hoc ſugit infans & purgatur. Atq; ita vis purgatrix cum ſuo proprio ſubjecto & ſpiritu, in tot mutationibus integra & incorrupta manet. Aut cui hoc non ſufficit, cogitet ſaltem illud, quod ceu Anima, ſeu λόγος πλαστικὸς tẽpore hyberno in tantillo ſemine in terra gelu concreta conſervari poteſt: cogitet etiam quomodo ſperma ranarum & piſcium in ipſis aquis ſalvum conſervari poſſit.

Sennertus de conſ. chym. cum Ariſt. c. 12.

XIII.

Spermatis ranarum in Medicina uſus.

Sperma aut ſemen ranarum colligitur Menſe Martio. Deſtillatur autem per alembicum vitreum. Elicitur

citur aqua, uredini & inflammationi opportuniſſima *(a)* ad reprimendum & ſiſtendum ſanguinis omne profluvium, & faciei ruborem, *(b)* optima quoque in podagricis doloribus calidis. *(c)* Pannum linteum craſſum, ter quaterve fæturâ ranarum probè madefactum, rurſumque ſiccatum, ſi vulneri imponatur, ſanguinem certò cohibere docent: ſicque eo tempore, cum fætura ranarum invenitur, præparatum, ad hunc uſum ſervant. *(d)*

a) *Quercet. in Sclopet. p. 197.* b) *Id. de medic. Spagir. exanim. c. 6.* c) *Heurn. l. 2. M. c. 15.* d) *Plater. de vit. c. 5.*

XIV.

Veſpertilio animal bipes, & quadrupes.

Veſpertilio bipes eſt, atque in terram delatus, rurſum tollitur in volatum, ſicut hirundo: quin etiam graditur, ſed ita, ut aliorum duorum pedum utatur officio. Hi, dùm volat, nulli ſunt: ubi collegit alas, confirmantur; alarum enim oras ita habet ſinuatas, ut arcuum coronides inter ſe committantur, quem in locum, inter duas membranas cartilagineus torulus ab origine alarum, ad oram usque extremam perductus quaſi procreat ex ſeſe ungulam aduncam. Cujus ope paſſis alis, hæret parietibus, ut muſcas nocturnas & araneas venetur. Harum itaque conventu atque cohæſione ungularum pes fit: alarum contractione quaſi crus. Ita quadrupes reptat potiùs, quàm incedit. Eâ de causâ murem pennatum, & murem volantem, Gallia vocat & Taurini. Mirum animal, bipes, quadrupes, ambulans non pedibus, volans non pennis, videns ſine luce, cæcus in luce, extra lucem luce

uti-

utitur, in luce luce caret, avis cum dentibus, fine rostro, cum mammis, cum lacte, pullos etiam inter volandum gerit. *(a)* Vespertilionis caput, intra lateres tecti positum, à somno excitare proprietate creditur. *(b)* vel in panno nigro ad dextrum brachium ligatum, non concedit somnum, quousque portatur. *(c)*

a) *Scalig. comment. in Arist. hist. de anim. l. 1. c. 2. part. 12. c. 6 part. 41.* b) *Plat. de las. f p. 60.* c) *D. Leon. l. 2. s. 1. c. 3.*

XV.

Bufonis vis in reprimendâ Hæmorragiâ.

Annotat doctissimus Gesnerus, Fredericum Saxoniæ Ducem, nostris temporibus, bufonem veru ligneo transfixum, & in umbrâ diligenter arefactum, involutum syndone, manu tenendum dedisse ex hæmorragiâ laborantibus, donec intra manus calesceret: ita sanguinem mox repressum. *(a)* Experimento comprobatum est, quòd cinis ranæ terrestris venenatæ (Bufo dicitur) per se, vel cum alio conveniente appositus, hæmorroidum tollit dolores, sanguinem sistit, easque siccat. *(b)*

a) *Heurn. de morb. nar. c. 9.* b) *Leon. l. 4. pr. s. 3. c. 10.*

XVI.

Τοσκοπία *Grandinum.*

Grando (Finne Germanis, Galli Mesellos vocant, porcorum Lepra, quam forsan ob causam Judæis, esus istius carnis, fuit per legem interdictus) vitium oris est, quod porcis humum afflictis, paxilloque dentibus ipsorum interserto, linguâ modo depressâ, modò eversa, aliàs omninò etiam extra ἕρκος ὀδόντων exserta, potest ac solet ab ὑοσκόποις explorari. Aristoteli ima quo-

quoque crura obſidet. At enim non hiſce duntaxat ſedibus corporis grandines ſtabulantur ſtabiliunturque, ſed in corpore πανταχῆ, paſſim veluti palantes, in ambitu univerſi, tùm quoque in inteſtinis, carnibus propemodũ, ut margaritæ in carnibus oſtreorũ. Præcipuè autem ibi grandines emergere ubertim videas, ubi corium depile, neque ſatis densè obſitum eſt, & aſſiduo inſuper contrectatu, attrituque quaſi tenereſcit, ſudoribusque diffluit: omnium creberrimè ſub alis, & ſecus inguina, ubi emunctoria corpori ſtatuuntur, quorſum Natura, quicquid oneri ſibi eſt, κατ' ὧαν relegare, ac velut expuere aſſueſcit.

XVII.

Grandinum materia.

Succus unde grando primùm ſuppullulat, ὁμοιομερέστερος & ad alendum idoneus eſt: cumque in nutrimentum ſuccus ille amplius non faceſſat, grandentes ſues ferè emaciari contingit, aut ſaltem ali multò quàm antehac deterius. Et eſt cur credam, conſimilem hîc in ſanguine ebullitionem fieri, qualis ſolet in exanthematibus, tametſi non peſtilentem, aſt interim tamen contagioſam: quo nomine labes proſerpendo, cæteris contubernalibus ſuibus affluit, ni à mundo pecore, infectos, ſicut homines ocius leproſos, ab aliorum conſortio ſecreveris, atque ſequeſtraris.

XVIII.

Grandinum ſphærica figura.

Figuram quod attinet, rotundo ſchemate grandinum granula viſuntur, alteri illi, quæ miſta imbri largifluo, ex aëre præcipitans, ruere ſolet, non diſſimi-

ſimili, propemodum unionum æmulo, aut ea repræſentante exanthemata, quæ græcis κεγχρώδη appellata ſunt, preterea, ſuo unumquodque granum, ac proprio utriculo, veluti ſteatomata concluditur, atque circumſcribitur, quibus ſi quis grandinem annumerare volet, meo arbitratu licebit. In utriculo, ſive folliculo, alba materia ineſt puri conformis, quâ inter aſſandum ab igni aſſudaſcente crepitare inſicia, atque crepare ſolent, pellicula, quâ grando continebatur hiſcente, inteſtinumque diſrumpente.

XIX.

Quod Lepra & lues venerea hominibus, id grando ſuibus.

Hâc labe, quotquot ſues infecti ſunt, empturientes deterrent, aut ſi quem venditor forte nactus licitatorem fuerit, is plerumque minimum precii apponit, eò quod merx fallax, neque ſincera ſit. Quod enim homini Lepra, ac morbus gallicus præſtat, id huic animanti grando ac ſtrumoſa collectio. Sunt enim morbi affines, cognati ac familiares, nomine tantùm diſcreti, re effectuque pares.

XX.

Lex de mactandis Porcis.

Quocirca ne quid incommodi ex hujus animantis eſu conſequantur homines, ſalubri Senatus conſulto cautum eſt apud noſtrates, (LEMNII verba ſunt) ne qua ſcrofa, aut porcus mactetur, niſi exertâ inſpectaque linguâ exploratum ſit, an ab eo vitio liber ſit & immunis; nam ſi verrucoſæ ſe in linguâ ac faucibus proferunt puſtulæ, ac venæ liveſcunt, nigroque colore perfuſæ ſunt, indicium eſt, viſcera etiam pravâ

constitutione teneri, itaque aut non mactandos judicant, aut si imprudenter mactatos esse contingat, defodiendos. Quod si nil tale appareat, pronunciant qui huic censuræ destinati sunt, salubrem esse porcum, atq; esui idoneum.

XXI.

Plausus ex sue mundâ lanionis.

Quapropter in Franconiâ, dum laniarius pernas ustulati jam porci excidit, & factâ exploratione approbat, emtori gratulans, sibique ipse gaudens exclamat: Vinum affertor, Sus enim mundus est, & grandine vacat.

Sal Alb. in app. orat. de surd. & mut. Lemn. l. de occ. nat. mir. c. 7. Math. spec. sanit. c. 2. Plat. l. 1. de vit. c. 3. & 4. Mizald. memor. centur. 7. aph. 59. Aët. cap. de Elephant.

XXII.

Porcini Epatis & Cerebri usus in Medicina.

Porcellorum Epar, conceptum proprietate juvare scribunt. *(a)* Suis cerebrum profectò suo madore, bilis ferociam frenare potest. *(b)*

a) *Plat. de las. f. p. 647.* b) *Heurn. l. 2. M. c. 18.*

XXIII.

Galli cantus unde.

Gallus Gallinaceus canorum & solare animal, interdiu frequenter secundum appetitum canit, noctu per certa intervalla, vim Solis revertentis percipientibus spiritibus. *(a)* Excitatur ad canendum penè avium sola; & sanè rara ad hoc. *(b)* Lucretius de eo: *(c)*

Quin

Quin etiam Gallis nocte expandentibus alas,
auroram clarâ consuetum voce vocare. (d)

a) Zvving. Phys. l. 2. c. 23. b) Scalig. com. in Arist. de hist. anim. p. 25. Porta phytogn. l. 7. c. 8.

XXIV.

Cor Gallinæ fœtum abigit.

In illustri quâdam fœminâ (cum è difficili labore partus laboraret, omniaque ad partum facilitandum frustra adhiberentur) bona fide affirmo, cor gallinæ nigræ exemtum, sericoque filo transfixum, ac sinistræ coxæ aligatum, adhuc palpitans, parturientem, mirificè & illicò juvisse. Dic optimè lector, quænam hujus effectus causa? in rerum natura nihil certè reperies, nisi sympatheticum illud vinculum, inter cor gallinæ & ipsam parturientem, vel potiùs partum inclusum, jamque levandum, ut ita in corde gallinæ sit natura quædam magnetica, partum ob similitudinem alliciens. Nec est, quod quisquam delusurus id objiciat, licet gallinæ cor appensum non fuisset, effectum nihilominus & quidem vi naturæ fuisse secutum; ei enim hoc reddo responsum, dolores parturientem ita exanimasse, ut nihil præter gemitus & ejulationes, audiretur.

Goglen. in synarth. magnet. p. 111. de pror. vit. c. 13. Forest. l. 28. de morb. mul. in schol. observ. 73.

XXV.

Galli & Gallinæ podagricis adversi, eorundemq́ decocti vires.

Gallinæ domi inclusæ & saginatæ excrementitio humore creduntur refertæ, prælertim annosiores; &

 vide-

videmus Gallos & Capones, tandem contrahi & nodosâ quoque podagrâ laborare. Quare & tale alimentum ſuggerere corpori creduntur, & nervos ſpecifica vi lædunt, debilitant & contrahunt. *(a)* Cutis ea ſquamoſa & dura in pedibus Gallinarum, ſi ad ignem parum torreat, ſeparatur, calida ſæpè affricata & ſuperpoſita verrucis, eas delere creditur. *(b)* Galli veteris decocti in aqua cum braſſicâ, jus bibitum, alvum movet in colicis. *(c)* Gallinæ juſculum omnes ſuccos corporis temperat. *(d)* Cerebrum in potu datum, cum ſanguis è cerebro erumpit, docet Dioſcorides. *(e)* Mira ei enim ineſt proprietas confortandi ſubſtantiam cerebri humani. *(f)* Galli vel Gallinæ ſtercoris decoctum ad venenum pellendum magni quidam faciunt. *(g)*

a) *Crato Conſil. 46.* b) *Plat. de vit p. 397.* c) *Idem de dol. p. 612.* d) *Heurn. l. 2. M. c. 20.* e) *l. 2. c. 41.* f) *Avinc. l. 2. cap. de cereb. Dom Leon. l. 1. ſ. 1. c. 21.* g) *Plater. de vitiis p. 909.*

XXVI.

Pulli gallinacei vis in ſiſtendo ſanguine memorabilis.

In utraq; manu latronis cujusdam amputata, ſanguinem ſubitò ſubſtitiſſe vidimus, quod hoc modò factum; Carnificis uxor, gallinaceo pullo juxta podicem, eò in loco, ubi Galli caſtrari ſolent, amplo foramine, ſectione aperto, brachium juxta carpum abſectum, hiatui ampliato intro trudebat, & corpus gallinæ cum plumis, fune brachii ſedi, vulneri propinquæ circumducto fortiter adligabat: atque ſic citra magnam effuſionem ſanguinis, eo uſq; donec in locū ſupplicii ductus, interficeretur, ſupervixit. Quo reme-

remedii genere postea in abscissis digitis, cum successu, feliciter usus sum.

Plat.l.2.de vit.c.5.observ.l.3.p.625.

XXVII.

Caro vitulina lumbricorum pabulum, oculorum & hæmorroidum anodynum.

Vitulina Caro lumbricis fatigatis pueris inimica est, nam & ipsi vituli ex lumbricis laborant, indicio pituitescere hanc carnem ex facili. *(a)* Recens abluta singulare Empiricorum in doloribus oculorum est remedium. Humor ab ea, aut alia carne expressus, & inunctus, anodynum est medicamentum in hæmorroide cæcâ. *(b)*

a) *Heurn. l. 2. M. cap.17.* b) *Plat. de dolor. p. 304. & 663.*

XXVIII.

Asellorum seu millepedum in Asthmate mira Virtus, eorundemque præparatio.

Aselli, seu millepedes, si panno lineo involuti in vino macerentur, & expressio potui detur, magnum in Asthmate remedium aliqui se expertos esse prædicant; illicò enim juvat, hoc ævo Græcis familiare remedium. vel, accipe curiones (ita Latinus Autor Marcellus Empiricus vocat illa animalcula, quæ sub madidis tectis stabulantur: millepedes appellant, alii cæruleos, nos Pissebedde, Galli cloportes, Græci ὄνοι Itali Porcelletti, Germani Esel) hos in ollâ calcina, dum albescant: fiat pulvis, melle excipe: ante & post cibum exhibe cochlearium in Asthmate, mirificè hoc curat.

Heurn. de aff. pect. c. 4. Plat. l. 2. de l f. p. 455. G. Bruel, Pract. p. 179. Ant. Valet. exerc. 25. in Holler. Pract.

XXIX.

Asellorum in calculo usus, & fracti calculi Exemplum ex Asellis.

Aſelli, quaſi verrucæ lapidibus hærent, quæ ſi quinque numero ex aquæ tribus unciis ſumantur, mirabiliter juvent calculo renum laborantes. *(a)* Uſu doctus ſum, ſi calcinatis aſellis, milii Solis ſemen adjeceris, molliter ab hoc atteri calculum renum & veſicæ, neſcio quid pinguedinis de ſe fundant iſta animalcula, etiam in pulverem exſiccata. *(b)* Aſelli (ſpecificâ ac transnaturali *(c)* & incredibili penè facultate) vino nobili loti torrentur, lavantur vino iterum, indeque aquâ fragorum. Pulvis inde factus imbibitur ſpiritu vitrioli doſis gr. 4. vel 5. ex aquâ raphani, & ſyr. limonum. *(d)* Filius cujusdam Veneti Typographi, calculum in veſica patiebatur, & ab omnibus deploratus, de ſectione cogitabatur, medicamento ſequenti inſperatò ſanitati reſtitutus: fuit illud ex aquâ vitæ unc. ſemis, juris cicer. rub. unciis quinque, millepedum pondo drachmæ ſemis, ad multos dies fuit uſus. *(e)*

a) *Jacob Holler. l. 1. c. 48. trax.* b) *Heurn. l. c.* c) *Ern. Burgrav. in Achil.* d) *Libav. Tom. 1. syntagm. l. 2. c. 29. Unzer. de nephr. l. 2. cl. 3.* e) *H. Augen. tom. 1. l. 4. Epist. 2. tom. 2. l. 9. p. 610. Sennert. l. 3. pr. p. 848.*

XXX.

Cincindellæ calculo veſicæ frangendo utiles.

Experimentum, quo lapis ex veſica diminuitur, atque

æque obteritur. Accipito cincindellas, abſciſſis capitibus & alis, numero 150. exſiccentur in vaſe æneo ſole calidiſſimo, donec redigantur in pulverem, quo excepto aquâ diſſolutionis tragacanthi, fiant trochiſci, & ubi fuerint ſiccati, pulveriſentur rurſus, & reformentur eâdem aquâ, & ſic fiat quater, dum autem rediguntur in pulverem, ſenſim adde, drachmas duas olei amigdalarum dulcium recentis. Dato ſcrupulum unum cum unciis quinque decoctionis liquiritiæ, capillorum veneris & pollitrichi, admiraberis, nam certè vires habet validiſſimas.

Augen. tom. 1. epiſt. l. 4. epiſt. 2.

XXXI.

Lapis Bufonius venenis reſiſtit.

Rubetæ ſeu Bufones proferunt lapidem (os, ſed ob affectionem lapideam, *(a)* lapis dictus) qui nonunquam ejus animantis imaginem repræſentat, verùm annoſæ ſunt diuque in arundinetis, vel inter rubos ſentesque ac vepres delituerunt, antequam lapis in capite concreſcat, aut aliquam magnitudinem adipiſcatur. Hæret atque aſſervatur in familiâ Lemniana bufonius lapis, qui magnitudine nucem avellanam ſuperat, quem multoties expertus ſum, tumores atq; inflãmationes à venenatis beſtiis illatas diſcutere, crebro attritu contactuque. Habet ſiquidem eam naturam, quâ etiam beſtia imbuta eſt, ut omne virus eliciat, conſumatque. Si enim ſorex, aranea, veſpæ, ſcarabæi, glires ulli parti inſederint, damnumq; intulerint, confeſtim à noſtratibus ad hoc remedium concurritur, admotoque parti affectæ lapillo, dolor miteſcit, tumorque ſubſidit. *(b)*

 a) *Li-*

a) *Libav. l. 3. sing. l. 5. c. 11. in schol.* b) *Lemn. de occult. natur. mir. l. 2. c. 30.*

De lapide Bufonio, seu rubettino, dicto Grateriano, pondere librarum medicinalium quinque & unciarum trium, minus didrachmo, vide Annal. Suevic. D. Præcept. Crusii, l. 12. part. 3. c. 37. Libav. l. 2. batrach. c. 23. l. 2. sing. p. 148.

XXXII.

Lapidis Chelidonij vires, & Nativitas.

Chelidonius lapis ille, qui rufus est, dextro brachio alligatus, vel lineo panno, seu vitulino corio involutus, ac collo suspensus, seu sub axillâ gestatus, valet contra phantasticas illusiones ex melancholiâ, comitialem quantumvis vehementem, sanat lunaticos & insanos, facitque amabiles & jucundos, inque oculorum affectibus peculiarem vim habet: *(a)* dictus, ac si ab hirundinibus desumtus, *(b)* cum tamen ex marmore, vel jaspide fulvi coloris sic formetur, aut alioquin in saxis inveniatur.

a) *Plat. l. 1. de lass. f. p. 157. Vid. vid. l. 2. cur. memb. c. 18. Gattinar. c. 14 Pract. Ronsæus, de hum. vit. primord. c. 44. Diosc. l. 2. c. 49.* b) *Lemn. l. c.* c) *Plater. de dol. p. 289.*

XXXIII.

Cancrorum oculi, oculis, cancro & calculo appropriati.

Lapilli Astacorum fluviatilium, quos oculos Cancri appellant, ad illapsa in oculos propellenda formam à Naturâ adepti in eo, quod in unâ parte parùm cavi, alterâ parte rotundi, palpebrarum convexo

&

& oculi globo egregiè se accommodant. *(a)* Triti & lævigati in marmore, plurimum possunt in sedandis doloribus cancrorum, si ex vino vel jusculo bibantur. *(b)* In capite cancrorum repertus lapillus, accerrimo aceto immissus, motum manifestum habere deprehenditur: hujus pulv. ad drach. sem. cum vino albo, vel aqua saxifragiæ, audio feliciter multos usos ad conterendos renum calculos. *(c)* Suspensus, confert à proprietate, in difficili dentium ortu. *(d)*

a) *Plat. de dol. p. 289.* b) *Scholz. epist. 59.* c) *Henr. à Bra. de calc. Mizald. cent. 8. p. 49. Querc. in diæt. sect. 3. c. 7 Bened. Victor. l. 1. Empir. c. 44.* d) *Dom. Leon. s. 1. l. 7. c. 10.*

XXXIV.

Lapis Cyprinus verus, & genuinus, hæmorragiam narium sistit, & calculosis utilis.

Carpionum lapis triangularis, qui in capite carpionum continetur, tritus & in pollinem redactus (vel refrigeratus prius & ore retentus) præsertim si cum lanugine malorum cidoniorum applicetur, sanguinis fluxum è naribus sistit, ac cohibet, astringendi ratione, quod etiam gustu percipis. *(a)* Calculosis quoque utiliter datur. *(b)* Hunc aliqui esse putant cartilaginem quadratam capitis & primæ vertebræ articulo interpositam, partim cartilaginosam, partim osseam, & proin eum in palato vel faucibus inveniri docent. Verum cum alius lapis in cerebro carpionum inveniatur, prope oculi illius superficiem, qui semilunaris est, duriorque & in reliquis piscibus lapilli ibidem formâ similes quoque deprehendantur, ut in percâ, cæterisque, hunc potiùs pro vero haberem. *(c)*

a, c) *Crato consil. 71. Lemn. l. c. Plat. de vit. l. 2. p. 688.*
b) *A. Baccius de gem. c. 41.*

XXXV.

Aquilæ lapis fœtum retinet & abigit.

Aetites lapis est velut prægnans, cum quatitur, alio in utero sonante. Gravidis continet partus, cum lubricus est uterus & parùm tenax, sinistro brachio adalligatus: sed parturientibus è brachio amoveatur, & feminibus alligetur, ut sine doloribus pariat. (a) Sed à partu debet amoveri lapis, ne uterus sequatur, Ut in Ponsoni Oberti civis Valentini, & Valentiæ Allobrogum Urbani Prætoris uxore perspexi: cui difficili partu laboranti, quum mulierculæ lapidem Aëtitem magnum, cruri adligassent, & edito partu, per imprudentiam & oblivionem lapidem à crure non amovissent, post paucas horas foras prodeunte matrice, mortem miseræ laboranti attulit. (b)

a) *Dioscor. l. 5. c. 118.* b) *Fr. Valleriol. l. 1. obs. 10.*

XXXVI.

Lapis Limacius quo effectu polleat.

Limaces ac grandiores cochleæ lapillos nobis exhibent candidos, sublongos, scabros, imâ sui parte concavos, quos è capite expressos, in multos usus reservare soleo. Urinam siquidem stranguriosis moliuntur, meatusque urinarios lubricos efficiunt ac leniunt comminuti, atque ex vino exhibiti; concrescit id genus lapidis ex liquore mucoso, atque humore lubrico, qui humoribus facilem transitum perficit. Quâ ratione & partui auxiliantur hi lapilli. dilatant enim laxantque locos, atque uterum cogunt dehiscere.

Lin-

Linguæ autem subditus, unus aut alter, miram vim obtinet in ciendâ salivâ: quapropter aridis ac siticulosis in ore volutandum præcipio, udam enim efficit linguam, atque humore fluitantem, sitimque ac calorem reprimit. *(a)* Alligatus, dentitioni infantium plurimùm confert. *(b)*

a) *Lemn. l. c.* b) *Plin. l. 30. c. 5.*

XXXVII.

Lapis colubrinus hydropota mirabilis.

Narrant lapidem in colubro aquatico, fune caudæ alligato & suspenso, vomitu aliquot post horis vel diebus, in suppositam aquam ejectum, tantarum virium esse ad aquam absumendam, ut eam in quam decidit, mox absumat. Lapis è vinculo alligetur, & apprimatur ventri hydropici, paulatim in totum aquam consumet.

Holler. l. 1. de morb. int. c. 39. l. 1. instit. chir. c. 3. Plat. l. 1. de vit. p. 330.

XXXVIII.

Viperæ caput, faucium affectibus dicatum.

Viperæ caput in linteolo, collo appensum, vel si filo serico rubro charmesino, vel ex bisso facto, vipera strangulętur, illoq; postea collum circumdetur, mirè juvare tradunt in Angina, aliisq; faucium affectibus.

Gal. l. 6. simpl. med. Plat. de dol. p. 401.

XXXIX.

Cur serpentes & viperæ, veris & autumni tempore exuvias sibi detrahant.

Aristoteles scribit, quod serpentes (in specie Colubri sic dicti) & viperæ suas veteres deponant exuvias. *(a)* Cutem exuunt, quam Græci γῆρας vocant, Lati-

Latini ſenectam; & malè Vernationem. neque enim Verè tantùm exuunt, ſed etiam autumno. *(b)* Cum autem incipiunt exuere ſerpentes, ajunt ab oculis primùm abſcedere, ita ut affectionis ejus imperitis cæci videantur. Deinde à capite, quod tùm omnibus album videatur. Intra noctem ac diem tota ſenectus penè exuitur: initio facto à capite ad caudam uſque. Fit autem quod intus erat, foris. Egrediuntur enim ſicut fœtus ab utero involucro. *(c)* Cauſam autem rimati ſunt multi, ſed meridianâ luce clariùs patet, quòd veris & autumni tempore tàm copioſo, & per totam ſuam naturam diſperſo abundent balſamo, tamque validiſſimis vigeant ſpiritalibus eſſentiis & vero nectare vitæ, ſive balſamo naturæ precioſo, & radicali, in ampliſſimo terræ ſinu, tanquam in proprio ſuo loco, matrice & ſeminario contento & incluſo, ut prædicta animalia, tùm vetere abjectâ pelle, ſe novâ induere & renovare queant. Et quia inter reliquos ſerpentes non ſunt, niſi hi duo enumerati, coluber (à cavernis quas ſubeat, κολυμβᾶν) nempe (vulgò Serpens, παρὰ τὸ ἕρπειν dictus) *(d)* & vipera, qui exuvias ſtatis deponant temporibus; præſumendum hinc eſt, atque credendum, his duobus animalibus non tantùm ad ſui conſervationem, ſed in aliorum quoque uſum conceſſum eſſe naturalem quendam inſtinctum, quô deligunt, exugunt, in alimentum attrahunt, non materiali aut craſſo modo cibum corporeum viſibilem & palpabilem (ſiquidem authore Ariſtotele *(e)* & teſte quotidiana experientiâ, ejuſmodi animalia citra cibum aut potum, vitam multo tempore, ſive ſubtus, ſive ſupra tranſigunt terram) ſed merè formalem & ſpiritualem, hunc nempe ſalem

ſul-

ſulphureum, & precioſum naturæ balſamum, quo omnia animantur & vegetantur, idque potiſſimùm, dum circa æquinoctium vernale, calore ſcilicet igne Athanotis, magnæ lampadis cœleſtis, potenter operante & attrahente, ſublimatur & elevatur: quod naturæ ſulphur, per mirabilem hanc ſublimationem, totam terræ ſuperficiem irrorat ſpiritibus balſamicis, ejusque interiorem ſinum irrigat precioſæ & vivificæ aquæ vitæ, & nectaris naturalis ſaluberrimo & utiliſſimo liquore: unde omnia revireſcunt & effloreſcunt, & quæ mortis ſpeciem referebant, vitam recipiunt & reviviſcunt. Eadem ſublimatio fit etiam ſub æquinoctio autumnali, ſed decreſcente paulatim calore, ſydereoque igne longiùs regreſſo, magnum terræ ſublimatorium refrigeratur, omnesque ſpiritus vegetales & balſamici revertuntur in ſuum chaos ſive matricem. *(f)*

a. c. e) *l. 8. de hiſtor. anim. c. 15. & 17.* b. d) *Scalig. comment in Ariſt. hiſt. anim. p. 239. & 940.* f) *Querset. reſtit. c. 23.*

XL.

Quâ ratione Colubri & Viperæ fœda cutis vitia & Lepram ſanent.

Serpentes igitur & viperæ, quæ in terræ ſinu & domicilio comorantur, naturali quodam inſtinctu exugunt, & in alimentum alliciunt cibum æthereum, qui tàm inſigni vivificâ & ſpecificâ facultate pollet adverſus venenatã & deleteriam illorum naturam: ut ſi eo ſatis reficiantur & inſtaurentur, non ſolùm vim acquirant & virtutem ſpolia ſua, utroque tempore ſtato exuendi ſeque renovandi: ſed ob exuperans illud bal-

ſamum,

ſamum, quo abundè vigent, inſtar medicinæ inſuper univerſalis ſunt, ad omnem cutem leproſam, (nullis aliis remediis medicabilem) ſcabioſam, ulceroſam & quavis aliâ labe fœdatam, tollendam & renovandam; & ad corpus quavis ex parte vitioſum, putidum & in fruſta mox elapſurũ, ita emundandum, ut in purum, floridum & ſanum evadat: ita quoque fiunt, ejusdemmet balſami virtute, quâ abundant, alexiterium ſummum, contra omnia lethifera & præſentiſſima venena.

XLI.

Rationes Chymicorum, de Serpentum & Viperarum exuviis.

Quæ quidem ſumma & admiranda effectuum præſtantia aliunde proficiſci nequit, quam ex radicibus & principiis magnæ iſtius & univerſalis Medicinæ, cum qua ſerpentes illi participare, neceſſariò colliguntur. Sequitur igitur, ut vel eam, ſcientiâ innatâ & naturali, peculiariter deligant ac alliciant in profundis terræ latibulis, ubi acervatim congregati, variisque invicem nexibus implicati, in longum tempus degunt, citra alterius alimenti fruitionem: vel neceſſe eſt, ut tùm temporis, quando ſpiritus ſulphurei & vegetantes, qui rebus omnibus animam & vitam, mediante hoc precioſo naturæ balſamo, infundunt, elevati & ſublimati penetrant duriſſimas etiam arborum radices, truncos & cortices, ipſisque vigorem & virorem impartiuntur, floreſcereque faciunt, imò & reviviſcere: neceſſe eſt inquam, ut hi ſpiritus balſamici, ſimili ratione, per ſerpentum corpus, tanquam multò molliora penetrent, eaque in medici-

dicinam efficacissimam, tàm pro seipsis, quàm pro aliis abundè & largiter condire queant. Hinc ipsis facultas illa, deponendi cutem, tempore videlicet vernali & autumnali, quando spiritus isti sulphurei sunt in sua exaltatione: quibus temporibus (ac in ipso præsertim vere) videmus etiam arborum cortices, balsamis, succis tùm maximè abundantes, truncis suis & ligno solidiori non adhærescere, sed facillimo momento ab ipsis avelli & separari: non secus ac serpentes, qui circa idem tempus, & ab iisdem causis, veterem demittunt cutem.

Quercetan. l. c.

XLII.

Vipera Elephantiaseos appropriatum remedium.

Homo quidam morbo, quem Elephanta cognominant, laborans aliquousq; cum sodalibus conversabatur, donec ex ipsius consuetudine conversationéque quidam nostrûm morbi inficerentur contagione: ille jam graveolens erat, ac deformis. Constructo igitur illi tugurio proximè vicû, in jugo collis, propter fontem, illic hominem collocant tantum illi ciborum quotidie ferentes, quantum victui superesset. Cæterum ad canis exortum, cum fortè messoribus haud procul metentibus vinum esset allatum in fictili sanè quàm fragrans, is quidem, qui attulerat, deposito illo propè messores, abiit. Verùm ubi ejus bibendi advenisset tempus, sublato fictili, adolescens, ut pro more impleto cratere, competente aquâ vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & unà excidit vipera mortua. Qua re attoniti messores, veriti, ne quod, si ebibissent, inde sibi malum eveniret,

suam

ſuam quidem ſitim, aquæ potione ſedare maluerunt. Cæterùm cum illic diſcederent, quaſi præ humanitate ac miſericordia, homini illi, elephanti obnoxio, vinum largiuntur, rati expedire illi potiùs mori, quam vivere in ea miſeria. At ille, ubi ex hoc bibiſſet, admirabili quodam modo ſanitati reſtitutus eſt: nam tuberoſum illud omne cutis totius, non aliter, quam animalium à teſtis mollicie nuncupatorum malo coſtracωr tegmen decidit. Quantum reliquum erat, molle admodùm apparuit, inſtar cutis cancrorum & locuſtarum, ubi extima teſta exciderit. 2. Vir quidam, in Myſin Aſiæ, Elephanto laborans, profectus eſt, ad aquarum calidarum ſpontè naſcentium uſum, ſperans inde nonnihil ſe commodi adepturum: erat illi ancilla juvencula. Profectis igitur illis, cum aquis uteretur, in ædibus, quibus vicinus erat locus ſqualidus, & viperatum plenus, fortè fortuna, ex illis una in urceum vini, negligentiùs poſitum, incidit, extinctaque eſt. Ac ſcortum quidem in lucro id reputans, quod ſors eveniſſet, hero id vini propinat. Cæterùm ille ubi ebibiſſet, ad eum modum, quo ille, qui degebat in tugurio, perſanatus eſt.

Galen. l. 2. ſimpl. med. & de antid.

XLIII.

Venenum veneno alexiterium.

Vinum ſuffocatarum viperarum præbent Elephanticis commodè, ut prædicant, ſed ego judico, ſpirituale venenum in ipſo eſſe, ſubtilitateque ſui corpus elephanticorum ita penetrare & mutare, ut ex accidente venenum veneno fiat alexiterium. (*a*) Sed in hoc vino duo reperiuntur: Venenum peſſimum & caro

caro viperæ. Venenum proprietatem habet cordi hominis adversam: proprietatem tamen habet similem proprietati alterius misti, nimirùm virulentiæ Elephanticæ. Sicut enim similitudo est inter magnetem & ferrum: ita etiam inter venenum viperinum & Elephantiasin. Fortior tamen est proprietas elephanticæ virulentiæ, remissior veneni: unde virulentia Elephantica venenum attrahit, non contrà. Carnes viperinæ vim habent discutiendi, digerendi, dissolvendi, expellendi materias in cute existentes: unde carnes viperinæ in affectibus cutaneis admodùm sunt utiles. Venenum igitur viperinum præditum est facultate & veneni viperini, & carnis viperinæ. Dum igitur Elephantico exhibetur, venenum trahitur ad partes cutaneas à virulentiâ illâ Elephanticâ. Confluens autem venenum trahitur ad partes extimas, ὄχημα simul est & vehiculum illius facultatis, quæ in carne est viperinâ. Carnis ergò qualitas à veneno viperino delata ad exteriores partes, agit in virulentiam illam, digerendo, discutiendo, attenuando, ut è toto expellatur elephantiasis. Quod si autem vinum hoc exhibeatur corpori non læso, sive venenum in corpore sit, sive non, semper mortiferum est: non enim tunc à partibus cutaneis attrahitur, sed in cor impetu ruens, necem affert. *(b)* Stupendum sanè, quòd, cùm serpentis astu, Mors mundum intraverit, ex ejus carne tale medicamentum parari queat, quòd à venenis gravissimis, morbisque compluribus, imò verò malignis ac contagiosis, corpus non modò præservare, verùm etiam liberare valeat. *(c)*

a) *Libav. l. 1. sing. de venen. c. 14.* b) *Capovac. l. 7. Pract. c. 6.* c) *Bald. Angel. Eugubin. de admir. vip. nat.*

XLIV.

Sales viperini hodierni contra venena tuti, experti.

Suſpicimus ea, quæ vel crudum vulgus, ex priſcorum Medicorum penu, ac arcanorum adytis arripuit, quando cōplures etiam Mechanicos, ſales viperinos, contra omnis generis venena, eorundemque noxas, ſuam vitam tutaturos ac longitudinem vitæ præ ſe ferentes vel ad eam aſpirantes parare cognoſcimus ac obſervamus, ut eorum adminiculo, omnem quorumcunque venenorum malitiam ac nocendi vim ſpernere ſint auſi, eâ ſanè experimenti fide, ut mirum ſit, rudia ingenia, eò ſcientiæ penetraſſe, ut apud ſummum venenum maximam quandóque Medicinam latere deprehenderint. Hinc etiam pueruli, ſerpentes innoxiè, horum priùs aſſumto pulvere, tractant, ac quaſi colludentes, belluas illas veneficas mortis periculo conceſſum fuerat.

Minderer. in diſpenſ. Auguſt. fol. mihi 210.

XLV.

Fimus Equinus Icterum ſolvit: porcinus albos menſes ſiſtit.

Mictionem ſupra ſtercus equinum, recens egeſtum, dum calet, ab ægro factam, plures ſanâſſe Ictericos, quidam mihi pro certo affirmavit. *(a)* Expreſſus, puerperis cum vino datus, ſecundinam pellit. *(b)* Porcinus bulliat in aquâ, & fumum utero excipiat mulier, albos menſes ſiſtit. *(c)*

a) *Plat. l. 1. de vit. c. 2.* b) *Foreſt. l. 28. obſerv. 80.* c) *Heurn. l. 2. M. c. 14.*

XLVI.

Zibethum in Colicâ commendatum.

Zibethum utiliter in pituitosâ Colicâ umbilico infricatur & inungitur: vis enim ipsius penetrans calorifica promptè se in interna insinuat, & quicquid nebulosum est discutit, ac dissolvit, quod humidum est siccat, & mediocriter ita usurpatum calefacit.

Resp. Solennand. (3.consf. 28.

XLVII.

Moschi virtus & excellentia in cerebro, corde, facie, Venere.

Moschus (sanies est in vomicâ animalis cujusdam nascens, quæ filo constricta excidi solet) vim habet calefaciendi & exsiccandi, abscessu tertio, impensè tenuium partium. Odoris prærogativâ spiritus instaurat, languidas & perfrigeratas partes focillat, firmat cor tremulum, cerebrum roborat, & diuturnum ejus dolorem mulcet, dummodo de pituitæ redundantiâ provenerit. Adhæc revocat, quos animus liquerit, & vires penè resolutas, atque exhaustas sarcit, recolligentibus sese, propterea admodùm salutaris, nisi quòd pallore membra utentium decolorat. Cum enim sanguinem adurant, uberiorem bilis proventum in corpore facit, à quâ ipsum postea lurido colore inficitur: flatuosâ suâ humiditate πρὸς τὰ ἀφροδίσια παρορμᾷ: Excellentia ejus deprehenditur, si apertâ, qua continetur vesicula, naribus admotus sanguinem proliciat. Alterius verò, qui absque vesica est, bonitas, solâ odoris fragrantiâ cognosci potest.

Sol. Albert. in Orat. de mosch. l. Wecker, antid. special.

cial. l. 1. sect. 30. l. Fernel. l. 5. M c. 21. & 26. Bapt. Portæ l. 2. Phytogn. c. 8. G. Melich. dispens. p. 21.

XLVIII.

Ambræ odoratæ ortus, nativitas, effecta stupenda & vires admirandæ, intus, foris.

Ambra odorata, substantia quædam pinguis est, ut plurimùm in mari, vel litoribus inventa, maximè in Indico & Æthiopico, ubi & præstantissima est. Consistentia ei est concreta, seu coagulata, interdum durior interdum mollior, nonnunquam etiam resinæ mollis instar in fila ductilis, quasi ex liquido nuper coacta nondum penitùs induruerit, &c. Calet & siccat 2. ordine, & viscosæ tenacitatis quid obtinet. Præclarus ejus usus est, assumtæ vel admotæ, ad conservandas instaurandasve, aut roborandas vires, spiritus & calorem principalium membrorum, cordis nimirùm & cerebri, frigore calorisve diminutione, & hinc facultatibus debilibus, aut etiam humorum frigidorum crudorumque collectione & humiditate nimia laborantium. Calore verè jucundo aptoque frigiditates pellit, siccitate humiditates ad temperiem reducit: spiritus torpidos vegetos facit, caliginosos illustrat, sistit vertiginosos, expurgat sordidatos. Atque ita ex consequente facultatem pressam liberat, erigitque, ut ad officium reversa nutrimenta sua benè conficiat, excrementa segreget, sensum motumque alacrem præstet, & omninò ex penè intermortuâ oppressaque frigoribus naturâ alacrem faciat. Neque verò tantùm spiritus vitales, sed & animales juvat, & cum cerebro meningibusque nervos & articulos roborat, munitque

pene-

(penetrantis enim subtilisque est naturæ, & ob jucunditatem odoris admittitur penitùs in arcem cordis & cerebri, ut eò procliviùs expediat efficaciam suam) & sic contra paralyses, apoplexias, somniculosos affectus, memoriæ imbecillitatem à frigore, stuporem mentis, sensoriorum obtusitatem, à crassis halitibus humoribusque, flatulentas affectiones omnes &c. Cerebro autem ob frigitatem insitam familiarior est ejus halitus. Sed cordi, nisi à frigida causa, vel caliginosa & similibus occupato, etiam calore subtilitatéque nocere potest. Si enim spiritus incalescunt, & attenuantur justo magis, morbi inde existunt. Hæc causa est, cur non juvenibus robustis & calidis, sed senibus, mulieribusque & constitutionem similem habentibus plus conferat adjumenti odor ambræ, moschi & similium. Napelli vim frangit, ejusque siccitas diluitur oleo, & calor caphurâ, ex vino pota illicò inebriat. Ex convenienti decocto, utpote pastul. mund. aut similium data, tussis à tenaciore materiâ inveteratæ præstantiss. est remedium. Foris quoque usurpatur, non tantùm ad necessitatem corporis, sed & ad delicias & commendationem. Inde sunt divitum chiromactra, chirothecæ, strophiolæ, quin & thoraces, & ocreæ ex alutâ unguine ex ambrâ, vel aquis delibutæ, aut eadem vaporatæ tinctæque. Vestiariis adjicitur odoris gratiâ, & ad arcendas tineas. Quibus anima fætet, vel quos deformat hircus, quique sibi metuunt à fœtoribus, seu pestilentibus seu aliis, gestare solent seu solam, seu in pastillos massasque confectam. Fiunt ex eâ Poma, quæ Ambræ vocant. Qui calvi sunt & imbecillitates capitis ex frigore sentiunt & quibus in confli-

ctu denudata meninx est, cranii parte decussâ, his utile fit Emplastrum ex Ambrâ, quod officio cranii perfungatur. Massæ ambrinæ, includuntur bullis aureis, argenteis vel capsis aliis, manubriis cultrorum, gladiorumque & nodis, ut inde quandocunque opus est, contrà fœtores & frigora subsidium sit præstò. Hæc tria aromata, (Zibethum, Moschus, Ambra) à gestante non percipiuntur, ubi paululum assueverit, quamvis initiò, tàm validè moveant nares recentia, ut ingrata quoque videantur. Suavitatis etenim perceptio in odore distantiam requirit. Itaque aër circa nos benè olet, si ambram vel moschum gerimus, nobis ipsis ignaris. Quò autem debilior fœmina est, mobiliorque, eò faciliùs ab ambrâ & moscho ei convellitur uterus & dolet caput. Neque tamen ideò usitatas compositiones, in quibus essentialis primariaque pars est Ambra, ita jusserim vitiare, ut subtractâ eâ mancas imperfectasque venum proponat officina. Quamquam enim, uti ajunt, facilè fit ad usum adjicere ambram & moschum, tamen non facilè est permiscere exactè & totum ita alterare, ut homogeneum fiat undiquaque. Quis verò est, qui se Medicum profitetur, & nequit aromatum convenientium pulveres vel in præsens miscere, vel alios ex usu substituere? Pharmacopæi quoque plerumque, tùm alia odoris validi, tùm ambram & moschum in suis officinis malè muniunt, ut inde halitus perveniat ad cætera quoque quæ asservantur. Indè posteà fit, ut plurimi reperiantur, qui quicquid ex Pharmacopolio est, nauseent, nec ferre queant, quia, uti ajunt, ἀποθηκίζει. Seorsim à cæteris talia reponi debebant, nec mittenda ægrotis pocula moschata, nisi scirent benè se habere

bere

bere ad moſchum. Braſavolus cauſam, cur nobis moſchus, qui pus eſt, ut judicat, benè oleat, cùm deberet ex purulentiâ fœtere, redditurus, diverſam diverſorum affectionem diſpoſitionemque adducit, & declarat exemplo canum, gallinarum, ſuum &c. quibus humanum oletum tanquam ambra placeat: eandem putat eſſe & in diverſis hominibus repudiantibus iſtum odorem, vel appetentibus. Mirum certè eſt tàm precioſam rem & nobilem viribus non innotuiſſe veteribus Græcis & Latinis, cùm tamen non ceſſarent illi omnem penè mundi angulum excutere, & Alexandro Duce, penè tota patuerit Indis.

Libav. l. 3. ſing. l. 4. pag. 308. 314. 365. & ſeq. Crato conſ. 36. 37. 121. Heurn. l. 2. M. c. 5. Holler. l. 1. de morb. intern. c. 24.

XLIX.

Camphora alexipharmacon, cordialis, diaphoretica, eſt primâ qualitate controverſa.

Cãphora in putredine omni arcendâ, venenoſiſq; halitibus profligandis non poſtremum obtinet locum, ob exſiccandi virtutem, ideò omnibus & ſuffitibus & odoramentis eſt admiſcenda. Eſt enim ſubtilium & citò penetrabilium partium, magnam ſubſtantiæ quadam familiaritate, cum cordis ſpiritibus habens ſympathiam. (a) Ejus enim vis diaphoretica ſumma eſt, & ut Camphora repurgat ſpiritus, & ſeroſum humorem: ſic bolus Armenus, ut cornu etiam cervi, in unum cogit malignitatem & naturam ad expulſionem adjuvat, videmus hoc fieri in cerevisiâ, ea ut maxime ſit turbida, & corrupta, tamen ſi injiciatur Creta, continuò fit pura, & ſaporem meliorem acqui-

rit, atque omnis illa impuritas, à Greta quasi ad se pertrahitur. *(b)* Hoc mirum, si cyathus aquæ, in qua cãphuræ, quanta nux avellana est, accensa conflagrã-rit, exhibeatur cardiacis & hystericis, statim liberantur. *(c)* Vigilias facit, si quis eam sæpiùs odoretur & naribus adhibeat: cerebrum enim exsiccat. *(d)* Moschi odorem retundit, & unguentis permista pruritum tollit. Ejus odor Venerem consopit, quare castitatis nomine gestare docét: tantamque illi vim, ut & contactu, quoque admota, brachiisque alligata id efficere possit, attribuunt. *(e)* Sed hoc non verum esse, pro certo habemus, inquit Scaliger: *(f)* fors magiæ quid simile evenit, nisi validus odor spiritus alio vocat, & dissipat. *(g)* Antiquis ignota fuit. Dynus Florentinus *(h)* calidarum eam partium fatetur, ob multum odorem, qui teste Aristotele *(i)* non nisi fit ex tenui evaporatione, mediante calore, in halitum seu tenuissimum spiritum, partes in corpore odorato extenuante ac resolvente, ut in aërem diffundantur atque expirent. Neotericorum major pars frigidam eam esse contendit, summo consensu & applausu, & quidem frigidam à frigiditatis prædominio, eam quidam dicunt, ideoque medicamentis calidis affectibus oppositis eam admiscent. *(k)* Frigus autem mitescit, adjectâ ambrâ aut moscho, & ne obsit ariditas, affunditur oleum violarum. *(l)* Experimento enim didici, inquit Garzias ab Orto, in oculorum inflammationibus, tùm etiam adustis, nivis frigiditatem retulisse. Adde, quod omnes, apud quos nascitur, frigidam asserunt. Neque verò obest, quòd odorata sit, quandoquidem ob partium tenuitatem facilè evaporat,

rat, & exhalat, qui in superficie odor est, contra quam in sandalo & rosa, quæ ob suam adstrictionem, odorem in se retinent (*m*) Sed frigidam non esse, ostendunt effectus frigido contrarii idque indubitatis experimentis & documentis. Quæ odore carent, adeò plerumque obtusum atque ignavum habent calorem, ut per paucas partes extenuare possit, quæ in aërem diffundantur, vel adeò sunt temperata, ut exhalatio olfactum movere nequeat. In Camphora contraria omnia. Partium tamen in ea diversitatem Sapor apertè docet, inter quas, quæ odore sunt præditæ, numero & facultate antecellunt terreas ac frigidas, quæ odore evanescente, atque expirante, remanent. (*n*) Quod si jam calida est Caphura, an non exterminanda ex frigidis medicinis, & prohibendus ejus usus in calidis? non inquam ego, quia experimento ista vis est comprobata, & caphura agit magis tota natura, seu potentiis essentiæ, quàm primis qualitatibus. Vulgus quoq; novit calida calidis sanare, ut cum purgat in febribus, spiritum vini & vinum inflammationibus & ardoribus capitis imponit, vinum in quartana præbet, pipere tertianas abigit, & sic in multis. Hinc Hippocrates & Chymici non magni faciunt elementares qualitates in mistis, de quorum potentiis constat. (*o*)

a. k. n.) *Goglen. de pest p. 58. & seq.* b) *Crato epist. 117. 130.* c. l.) *Heurn. l. 2. M. c. 14.* d) *Avinc. l. 2. c. 134.* e) *Plat. de l. f. p. 165. 659. de dol. p. 185. 878.* f) *exerc. 104. s. 8.* g. o.) *Libav. l. 3 sing. c. 21. de succ. l. 5. p. 619. 621.* h) *Canon. 2. c. 3.* i) *l. de sens. & sens.* m) *l. 1. arom. c. 9.*

L.

Camphora alexiterium in peste efficacissimum, & ejus usus.

Ego, quid hac de re (Cāphora calidáne sit an frigida) sentiam, jam non expono, hoc tamen scio, me, cum ejus portiunculam aliquam, ægros invisurus deglutivissem, quod me crebro factitasse recordor, non nisi prætenuem quandam flammam intrinsecus ardentem deprehendisse, ut proinde in eam opinionem transierim, quod sicut aër ille, succenso ex juniperi, lauri, rosmarini, laricis ac consimilium, vel arborum, vel fruticum frondibus igne repurgatur, ita assumta caphura, interno nostro calore, mox ignita, & in corporis quasi meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosque tetros, ac fœdo miasmate pollutos, insperatos, veneni aliqua labe contaminatos halitus cordi jamjam vicinos, ac circa præcordia hærentes exurat, sicco planè ac igneo calore pervadens, partim dissipet & expellat, partim combustione absumat, partim verò corrigat & emendet, proindeque Camphuram, inter fortissima & validissima pestis alexiteria, non immeritò reposuerim, sive frigida hæc sit, sive calida, quam tamen siccam, omnes fateri cogantur. Tempestivè autem data, plus virium obtinet, quàm vel preciosa quædā Medicamenta Bezoardica, nihil enim sinit putrescere, & venenosos disjicit halitus, attamen in magnis capitis & ventriculi doloribus, hâc cautè, aut vix unquam utendum admonemus, licet extrinsecus frontis embrochis, spleniis & profusionibus, in peste, indita, semper nobis visa sit plu-

plurimum profuisse. Quare his, qui camphuram non commodè ferunt, Diascordium aut alia antidota, Camphoram, vel omninò non, vel in parvâ quantitate suscipientia, longè erunt salubriora. Alioqui cæterorum Alexiteriorum vires subtili penetrationis vi, ad cordis penetralia celeriter, & pernici quasi motu devehit. Utrorumque autem tùm frigidorum, tùm calidorum virtutem multiplicat & intendit, verumtamen vix una dosi, duo aut tria grana excesserim.

Minderer. l. de pest. p. 196. 214. 346.

LI.

Aqua vitæ cælum Philosophorum, ejusq; Etymon.

Aqua vitæ talem habet vim, eumque usum in infusione, ut quicquid infuderis medicaminis, ejus vim ebibat ac reddat, hinc Chymici quidam Cœlum Philosophorum, hanc nominârunt, quod rerum cunctarum potentias in se rapiat. Sese enim trajiciens, omnes vires rerum elicit, etenim imis & in sedibus rerũ se insinuans, tenuat & eliquat combinata, concretaq; & in se effundit. Inde picta, quod vitæ tutelaris existimetur, adque hominis vitam, & conservandam & prorogandam faciat. Ardens verùm dicitur, quia facilè flammam concipiat. Cum enim vix aliud sit, quàm generosissima ac tenuissima vini pars, citò admota ignis flamma incenditur ac ardet.

LII.

Aqua vitæ effecta, & probatio.

Calidissimus hic liquor, & subtilissimarum ac tenuis-

nuiſſimarum partium, tertio ordine calidus eſt & ſiccus, & quidem intenſior, qui purior; quo enim purior, hoc & calidior, ſiccior ac tenuiorum partiũ &c. Ut autem cuncta injecta à corruptione vindicat, ita & ipſa Aqua vitæ, corpori humano injecta, omnem putredinem arcet, coctiones promovet, excitato calore nativo, evictiſque cruditatibus, vividam vim ſpirituum vitalium recreat, calidumq́ue nativum, ubi opprimitur excrementis frigidis, quaſi in Eclamſim revocat, ventriculum calefacit, cerebrum humidius algoreq́ue preſſum excitat, pituitamq́ue exturbat, intellectum acuit, viſum (injectam cum Euphraſiam gerit) clarum lucidumq; efficit, vitam producit, facultates excitat ſopitas, ſenſus omnes vegetat, memoriam non modo conſervat, verùm etiam redintegrat, flatus omnes diſcutit, frigidis venenis potenter reſiſtit. Non tamen ſemper tutò dari poteſt, niſi enim materia morbi effectrix omnium ſit exigua, & temperamento ipſe ægrotans perquàm frigido, citra periculum exhiberi nequit, fuſis ſiquidem humoribus caput amplius impletur, & morbi vis intenditur. Quod ſi verò & calidi adſint humores, veluti ſanguis, inflammationes quoque non parùm augentur. Nocet verò hæc aqua, omnibus natura ac temperamento calidis, ſummè bilioſis; jecur etiam offendit, renibus quoque haud utilis eſt, immodicè verò ſumta, ignea ſua vi, ſtatim interficit, niſi ſtatim pòſt bibatur lac, vel aquæ deſtillatæ refrigerantes. Rectè parata erit, ſi ei immiſſum oleum ſidat, & ſi tota exuratur, ab immiſſa flamma, ſi eadem ſurrigatur, quâ immiſſa fuerat copiâ, manu trita evaneſcit illicò, vel

ſi ca-

si caphuram dissolvat. (a) Subtilissimus judicatur vini spiritus, cum injectam plumarum molluginem statim sorbet, ut fundum petat. (b)

a) *Heurn. l. M. p. 21. 22. & 69. Dodon. in histor. vitis c. 8. lac. Horstius, de vite, a. th. 254. usq; 274. Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. c. 34. Plat. l. 1. de l. f. p. 55.* b) *C. Barthol. l. 1. de Aquis c. 15.*

LIII.

Aqua vitæ tumores & inflammationes resolvit, contusis & ambustis utilis.

Aqua vitæ adeò resolvit, ut si membrum læsum eâ subitò perungatur, tumorem & inflammationem sæpè cohibeat, accedente insuper vi illius narcotica, quæ dolorem simul compescit, quo remedio operarii, si quando se lædunt, uti consueverunt. Pannus lineus eâ irroratus, parti contusæ tepidè, subitò admotus, tumorem impedit, & sanguinem dissipat. Ut autem contusa, sic ambusta, apposita sanat, & sugillationes discutit.

Plat. de les. f. p. 281. de dol. p. 817. 823. 894.

LIV.

Spiritus vini accensus hydropis ex febre præludium.

Quemadmodû Spiritus vini, quantûvis generosissimus, si accendatur, vapor collectus per alembicum insipidus est, violentiâ ignis, id quod pingue est, momento absorbente. Ita quoq; in febribus ardentibus persæpè spiritû veluti flos absumitur, & veluti phlegma spirituale remanet, ichor quidam. Unde hydropes,

pes, ob refrigerationem partium invectam, nempe quòd Spiritus, instrumenta temperiei sunt corrupta. *Zvving. Physiol. l. 2. c. 23.*

LV.

Aër confertim attractus cur suffocet.

Sicut candelæ ardenti in libero aëre, si vinum circundes, supinè, extinguitur, quoniam aërem lateralem præparatum, interpositu vini non attrahit, at crudum & incoctum infernè attractum conficere nequit: ita quoque spiritus, ab aëre crudo intra corpus confestim attracto, nutriri nequit, sed suffocatur potiùs.

LVI.

Aëris vis diaphoretica ovi exemplo notata.

Aëris caliditas spiritus elicit & resolvit, non tantùm immoderata, verùm etiam mediocris. Nam si in ovo recente, dum assatur, spiritus subtilis, per medium corticem, licet densissimum exudat roris instar (in vetere non item, qui jam pridem insensibiliter transpiravit) multò magis in corpore humano, rimarum undique pleno, idipsum contingere, vel à levi calore probabile est. In ovo enim, tàm subtilis spiritus (vapor) ut ipsum corticem pervadat, dùm assatur, & exsudet, succedente in locum illius sensim aëre externo, à quo corrumpitur ovum.

LVII.

Aëris vis penetrans in látere latére nequit.

Aëris est, omnia universi spacia inania replere & permeare. Sic ipsum laterem penetrat aër, & concoctum calcem illic inflat, ita ut mole aucta

cta laterem frangat. Videmus enim per lateris coⷭti poros ingressum aërem, lapillum, qui per incuriam illic latuit, & in calcem conversus est, impraegnare, & in molem attollere, ita ut later ipse rumpatur.

Zvving. Physiol. l. 2. cap. 23. 25. pag. 380. 394. 396. 403. & 404.

LVIII.

Vulnerum & Vlcerum curatio facilis, aut difficilis ex aëre.

In locis paluſtribus ulcera capitis celeriter, crurum verò difficulter curantur: (*a*) qua ratione levia vulnera capitis, Bononiæ lethalia conſpiciuntur, quæ tamen Romæ faciliùs curantur, & contra tibiarum vulnuſcula vix Romæ curantur, quæ tamen Bononiæ facilem admittunt conſolidationem: (*b*) eodem reſpectu, quo capitis vulnera Lutetiis lethalia magis, quam apud Avenionea, & contrà apud hos tibiarum vulnera leviora, quàm apud illos, propterea, quòd (*c*) Lutetiis aër frigidus & humidus, quæ conſtitutio cerebro & capiti inimica eſt: at apud Avenionea eſt ambientis aëris fervor major, quo humores liquefacti, magis deorſum fluunt, unde vulnera crurum & tibiarum difficiliora redduntur.

a) *Ariſtot. ſect. 14. probl. 6.* b) *Bald. Ronſ. de ſcorb. c. 1.* c) *Param. l. 10. c. 8. Chir. ex Guid. Greg. Horſt. exerc. 1. de ſcorb. th. 5.*

LIX.

Aëris refrigerandi ratio multiplex.

Aër frigus ducit 9. modis. 1. copiâ ac frequentiâ

ejus; 2. bibit aër frigus, ex flabello, quia novus aër ad corpus appellit; 3. ex appoſita nive & aquâ circa lectum; 4. parietes fronde ſalicum obducuntur, vel linteis aceto, & aqua roſatâ intinctis; 5. irroratione areæ, hinc fontes in cubili parantur. 6. ſi lecti fiant, ex Avincenna, ſuper foveam aquarum; 7. ut fiant lecti, pilis camelorum, ut fit in Arabiâ, hic ex linteis, ſubſtrato corio. 8. ut lectus conſpergatur herbis. 9. ut prope lectum fragrantes fructus ponantur.

Henrn. l 2. M. c. 18.

LX.

Ab Auſtro καρύβαρεια *unde, & cur Aquilo conglaciet.*

Auſter, non, quia calidus humidus, caput gravat & replet: ſed quia in illo virtus quædam opiatica, à ſoporiferis ſpiritibus inſit illi propria. Hippocrates ideo Auſtrum βαρήκοον νωθρὸν, καρυβαρυκὸν, διαλυτικὸν appellat. (*a*) Neque Aquilo tantùm, quatenus frigidus eſt & ſiccus, conglaciat, ſed quod ipſius proprietates vitriolatæ, acetoſæ, & berberiſatæ ſint, eodem etiam Hippocrate teſte. (*b*)

a) *l. 3. aph. 5. c. 17.* b) *Quercet. de affect. cap. c. 10.*

LXI.

Campanarum, tonitruum, ſcuticarum ſonus & fragor unde.

Campanæ ſonant, dum impulſæ malleo undiquaque concutiuntur, omnique parte aërem ambientem verberant, & cum illo colluctantur: quem motum reciprocum, ſi intercipere repente velis, rumpes continuitatem eorum. Tantum eſt in aëre icto, ut & toni-

tonitrua, & tormenta, & venti, imò & flagella admodum acutum sonent, solo illo fortiter violenterque alliso.

Libav. l. 1. singul. c. 17. de nat. metall.

LXII.

Motus ignis fatui antè & retrò unde.

Motus ignis fatui talis est, ut si ad illum accurras, te fugiat, si verò eum fugias, te sequatur: quòd quia homines intelligere non possunt, confirmantur ea in sententiâ, esse Spectrum. Causa autem hujus rei physica est, (a) quia fatuus iste ignis, (ita dictus (b) aut quod attactu suo non comburat, aut quod incautos infatuet, & in avia seducat) movetur ad agitationem aëris, in quo hæret. Quando ergò ad eum accurrens, aërem ante te propellis, istâ aëris propulsione, ipsum ignem à te fugas. Contra, si ab igne fatuo fugias, aërem corpori tuo vicinum tecum abstrahis, & velut abducis, & per consequens, istam fatuam faculam, quæ in aëre movetur, & fovetur, itidem tecum rapis. Et hæc omnia sunt naturalia in hoc meteoro. (c)

a. c.) *Keckerm. th. 3. de drac. vol.* b) *Tandler. disp. meteor. 3. th. 30.*

LXIII.

Cursus vagorum luminum in aëre.

Ecquis verò rationes erueret, cur vaga lumina, intempestâ nocte discurrant, & volucrum instar sedem de sede mutent? Cur vocali sono strideant? cur ignes, quos fatuos vocant, flammâ in aëre pensili, viatores terreant? fugientes sequantur? sequentes in aquas aut præcipitia deducant? Mihi quidem magis inge-

nuum videtur, de ignorantiâ confiteri meâ, quàm ridiculam causam promere. Ludibria autem Dæmonum esse, vel hoc argumento convinci potest, quòd sibilo procul etiam evocati celerrimè advolant, & vocantem necant, aut crudelissimè torquent, nisi fenestram, quâ venientem viderit, repentè concludat: Viatores etiam in flumina, aut periculosa præcipitia sequentes deducunt, quos arcere si voles, clarâ voce Deum apellare, aut pronum, facie terram contingente, adorare oportet, hoc Amuletum Majoribus nostris acceptum ferre debemus.

Bodin. th. natur. l. 2. p. 211.

LXIV.

Mictio suspensorum spontanea unde.

Cur in suspensis urina mox effluit, quod in aliis demortuis non accidit? an quia propter suffocationem abdomen à diaphragmate comprimitur, unde consequenter urgente copiâ urinæ, vi compressionis sphincter musculus aperitur.

Jacob. Muller. coroll. 9. disp. de motu Anim.

LXV.

Vrbis capiendæ mirum stratagema.

Hadingus Danorum Rex, Handuanum Hellesponti Regem in Duna urbe obsidens, diversi generis aves, loci illius Domiciliis assuetas, capi jussit, earumque pennis accensos igne fungos suffigi curavit. Illæ propria nidorum hospitia repetentes, urbem incendio compleverunt. Ejus extinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas reliquerunt.

Saxo

Saxo l. 1. Alb.Crantzius l. 1. Darec. 7.
Similis stratagematis usum fuisse Fridlevum. Daniæ Regem, dum Dufflinum hybernia oppidum obsideret, iidem Autores docent, ille l. 4. hic c. 27. d.l. Zvving. theat. vol. 7 l. 3. p. 1900. Vnz. de sulph. c. 24. Vid. Zach. Theobal. c. 53. de bello Hussit.

LXVI.

Ἀντιπερίστασις *causa, frigus.*

Ἀντιπερίστασις fit à frigore, cujus est ad condensandum porosque claudendum, ne calor exhalet, sed potiùs constrictus augescat; vis maxima, ut plerique conspirant: hinc ventres hyeme calidissimi, propter circumstans frigus. Ita manus nive lotæ incalescunt, spiritu, qui caloris sedes est, à frigore ad interiora repulso. Mos hinc est coquis, gallinas aliasvè carnes, recens, mactatas, ut faciliùs elixari & teneriores reddi possint, frigidæ immittere: sic enim à frigore aquæ, calor in carne continetur; intusque coacervatur, qui posteà externo calore ferventis aquæ adjutus, vehementius cum adverso frigore pugnat, humoresq; tenaces faciliùs fundit & eliquat.

Tandl. disp. 1. meteor. probl. 5.

LXVII.

Nix & aqua gelida calorem excitant.

Contigit aliquando cœlo aspero atque inclementi, flantequè hybernis mensibus aquilone, aut vento alio rigido, quo omnia passim concreta conspiciuntur ac conglaciata, hominibus etiam manus, partesquè alias corporis intolerando cruciatu obrigescere ac stupore affici, ita ut emortuæ decidant, vel sectione adimi debeant, atque ut arescentes rami, detruncari, ne pars sana inficiatur. Partes ergo sic affectas

do ne prorſus frigore rigeſcant,ac nonnullus ſanguis ſubſit, aquâ gelidâ immerſæ, eâque ſubinde irrigatæ, in priſtinum vigorem reſtituuntur, ac ſenſim incaleſcere incipiunt: per antiperiſtaſim enim ſeu contrarium expulſo frigore calor inducitur: quod ipſum experiri quisque poteſt contrectatâ nive aut glacie, confeſtim enim manus ferveſcunt ac rubore ſuffunduntur. Sic poma congelata in aquam frigidam demerſa ad naturam ſuam redeunt, totaq; illa conglaciata concretio liqueſcit ac reſolvitur.

Lemn. de occ. nat. mir. l. 4. c. 20. Fabric. de gangr. & ſphac. c. 13.

LXVIII.

Modus generationis metallorum.

Certo terrarum generi, ab initio, benedictione divinâ, indita eſt vis metallifera, quæ poſteà datis cauſis externis in actum erumpit, ſuoque nutu provehitur ad ſubſtantiam metalli, perfecti quidem intentione naturæ; imperfecti verò, ob quædam externa; materia verò in illo terrarum genere, non ſimplex eſt, imò nec vapor nudus, nec halitus, ni ſint ramenta, aut apocriſes ita diſpoſitarum rerum, ſecumque vehant idem principium, & poſteà perficiantur, ſed humor unctuoſus miſtus certâ ſpecie terræ, formam ſucci aſſumere queuntis: qualis eſt Chalcanthum & Sulphur, quæ ſunt reſolubilia in ſuccos: humor verò ille mercurialis eſt, ſpecieque vaporis perrepens mineras, comprehendit illas terras, ſecumque in ſuccum unit, qui poſteà principio formativo concepto, proficit in Mercurium Metallicum, & hinc in Metallum, aſtipulantibus activis.

Libav. conflict. de nat. metall. l. 1. ſing. c. 9.

LXIX.

LXIX.

Balnei Aquæ dulcis usus.

Balnea Aquæ dulcis omnia aperiunt ac excludunt inquinamenta & coquunt, lassitudinisq; ariditatem mirè emolliunt, omni intemperiei (exceptâ humidâ) prosunt. *(a)* In quartanis longis, tum, quia sudores provocat balneum, tum quia simul humectat, & reficit, utilissimum est. *(b)*

a) *Heurn. l.1.M.p.41. Plat.l.2. de las.f.p.326.* b) *Plat. de dol.c.2.p.154.*

LXX.

Ferventium Aquarum ardor tantus unde.

Ego jactationem aquarum subterraneã per abrupta loca & longissimas cataractas opinor efficere calorem. Argumento sit, quod mare, quantumcunq; frigidũ sit, nihilominus ventis vehementer agitatum, biduo vel triduo incalescit mirum in modũ: nullæ tn. procellæ triduum excedunt. Quis igitur dubitet, quin mare, aquâ fervente calidius sit futurum, si vel diebus 7. tempestatibus continuis jactaretur. Aliud etiam argumentum est, quòd nusquam fontes aquæ ferventis reperias, ubi erumpunt ignes, ut in Vesuvio & in Æthnâ, qui tamen undique maricinguntur. Ac tametsi maxima copia est aquarum calidarum, quæ fluunt ab Italiæ fontibus (nam qui curiosius illa scripsêre, paulò minus sexaginta denotârunt) nusquam tamen ignes fontibus, nec fontes ignibus misceri comperiuntur. Sunt qui sulphureos ignes subterraneos cogitant, sed eo ipso refelluntur, quod aquæ illæ ferventes Rutenorum & Pyreneorum planè sint insipi-

dæ. Præterea tanta vis aquarum, tot seculis affluens, ignes jam pridem restinxisset, aut si tanta flammarum vis sub terrâ lateret, aquas siccasset, aut terram ipsam deflagrantibus in cinerem redegisset.

Bodin l.1.theat.nat.p.201.

LXXI.

Succini olei effecta & causa.

Cur odontalgias sanare dicitur Succinum, cur lapides renum amoliri? Dentium doloribus accommodant & camphoræ oleum (à quo non longè abest oleum Succini album, quod & odor affinis testatur) & vitrioli Spiritum: aliqui & aciditatem sulphuris: quæ duo posteriora etiam calculos destruunt. Malim tamen Succini oleum, quàm pulverem, cui & salem & florem prætulerim. Ejusmodi enim acria (ex quibus est, & oleum piperis & Euphorbii) penetrant, dissipantque, seu irruentes in dentes spiritus, seu humores, & interdum etiam acumine sensum elidunt, non aliter, ac alio modo narcotica. Si vermes affligunt, eos interimunt, & nonnunquam viam faciunt humoribus & putredines corrigunt, sublato unà fœtido halitu, & correctâ intemperie toti substantiæ molestâ. Non autem semper & ubivis hæc juvare, sed cū ratione prudenter adhibita, facile vident Artifices. Nervis frigore læsis, & ob id dolentibus, quomodo succurrat, calore penetrante, non est obscurum.

Libav.l.1.singul.c.10.

LXXII.

LXXII.

Succini usus externus.

Succinum pro amuleto collis puerorum appendi, non est prohibendum. Quanquam enim non faciat contra incantamenta & fascina; tamen expiratu exiccat humiditates cerebri, idque roborat, ne catarrhis, Epilepsiâ, & similibus malis facilè corripiatur. Quòd autem exspiret etiam sine affrictu tantùm in aëre calido & juxta cutem calentem, non eget probatione, sensu id contestante. Cùm publicè grassantur Exanthemata, & Echtymata, seu morbilli & variolæ, sæpè evenire solet, ut malignus fluxus è capite fauces occupet. Succinum vel pulvere, oleo vel sale admotum & collo circumdatum, malignitatem dissipat, tumoresque digerit, consumit & tollit, sæpèque nos ita impedivimus anginas puerorum in variolis. Neque enim putandum est, arctius astringere propter vitriolum, quod hîc aliter & affectum, & spiritu, non corpore una cum petroleo præsens. Pollicentur multi etiam catarrhorum in capite retentionem, ne confertim in guttur, pulmonesque illapsi suffocent, apposito vertici succino, quo tamen in usu solet misceri pice & resinis. E regione oculorum sub occipitio, ubi ex calvaria prodit spinalis medulla, si affigitur Emplastrum succinum retrahere fluxus dicitur, & cæcitates & lippitudines impedire, ut & caligines. Itàne etiam paleas? atqui humidas actu & delibutas non rapit. Consequenter vicina exorbendo exiccandoque succedunt remotiora. Mirabile experimentum dicunt esse ad rhagadum dolores, & pruri-

 tum,

tum, si farina succini immittatur, præsenti perhibetur auxilio esse, glutinat, constringit, exiccat. Nec minor est ex fumo Medicina. Fumus enim succini corrigit ædificia peste infecta, nec admittit contagium, quo plerumque propagatur lues. Causam Cardanus, in suaveolentiam & siccitatem conjecit: sed neutra vera est. Multa sunt jucunda olfactu & sicca, sed pestem non avertunt. Spiritus bitumineus, calcanthinus, nitrosus, succini putredinem & contagium dissipat, fortiter alterat & conservat naturam, ne lædi queat. Bitumen crassum cadavera integra servat: quid censendum de resoluto succino? venenis certè resistit, modo usus sit tempestivus & peritus, quantum permittit Deus.

Libav. l. 3. singul. pag. 643. 649. 650. 651. 652 654. de internis ex Succino Medicinis vide l. 5. de succin. l. 3. singul. c. 28.

LXXIII.

Succini ad paleas trahendas impedimentum & causa.

Quæ caussa est, ut affrictum, calefactumque Succinum & Gagates trahant paleas & similia, cur negligunt oleo aquáve imbuta? Dicunt alii, spiritus ingenitos incalescere, & res leviores, inprimis minutias, & quisquilias, (intellige ramenta corporum levia, ut sunt arenulæ, metallicæ (æris ferrique) scobes, limaturæ & pulveres cornuum, paleæ, acus,) ad se rapere, præter ocymi surculos, oleo aquaque madida alia. Neque enim aërem, & ignem & aquam trahit. A minutis autem illis, atque etiam pennis trahendis nomen invenit πτερυγοφόρυ. Num floccos nivis quo-

que

que trahat & glaciem pulveratam & pruinam, quærat, cui otium est & occasio. Aliqui sympathiam & antipathiam producunt. *(a)* Wilichius respondet, succini spiritum calidum, siccumque, non nisi res siccas ad se pertrahere, renuentem humida oleosaque: sicut Magnes respuit ferrum, si allio perlinatur. Scaliger *(b)* contra Cardanum, etiam viridia lactucæ folia arripuisse scribit. Gesnerus *(c)* singularem habuisse opinionem videtur; ita enim scribit: Succinum cùm non unius solùm generis res, sed minutissima omnia, & ipsum quoque ferrum & magnetem trahat, idque nonnisi affrictum, ut incalescat, non videtur, similitudine substantiæ, & vi specificâ, ut Magnes, sed alio quodam modo trahere; aut certè inter ea, quæ calore suo, & alia, quæ totâ substantiâ trahunt ἐπαμφοτερίζειν πῶς, sicuti nimirum etiam Theriaca; hoc scio non omnem calorem ex æquo trahere, succinum affrictu calefactum trahit, non igni. Hoc enim fortè pori ejus clauduntur; illo aperiuntur. Fernelius contendit vim attractoriam Succini esse ex facultate cœlesti, & quæ sit trans Elementum; seu compleri unâ similitudinis in totâ substantiâ, proprietate. *(d)* Id videtur & Paracelsus probare, cum homini attractoriam pestis tribuat talem, qualem naturam habet Carabe in straminibus alliciendis. *(e)* Nos *(f)* putamus, attractionem istam ex accidenti esse. Nam, ut patet ex resolutione, Succinum, Gagates & similia, spiritus habent penetrantes & acres, simulque glutinosos & pingues. Cùm itaque attenuati affrictu, incaluerunt, prorumpentes facilè res leves adoriuntur, & pervadunt acredine, sicut videmus aquas corrosivas facilè absorbere injecta: sed oleosâ viscriditate

quodammodò retinent. Cum ergò occurrunt frigidis, coagulantur, coagulati retrocedunt versus suam originem, utpote calore rejecto, ab hoste contrario, atque ita secum vehunt leviuscula ramenta, quæ delata ad corpus succini, ibidem hærent, ob spiritus in ejus superficie coagulatos, donec vel abstergantur, vel resiccatâ parte coagulatâ decidant. Levis verò & solida superficies facilè receptum intercludit redeuntibus, & ut in speculo, ferroque polito, promtissimè sustinet, circa se spirituum coagulationes.

a. f) *Rueus l. 2. c. 26. Libav. l. 1. sing. de succ. c. 10 part. 3. sing. l. 5. c. 25.* b) *exerc. 104. s. 12.* c) *in Epist. ad Occ.* d) *l. 3. M. c. 4. & l. 4. c. 1.* e) *tom. 3. p. 146. item tom. 4. p. 63.*

LXXIV.

Succini & Magnetis, in paleis cum ferro mixtis, trahendi potestas.

Si ex paleis & ferro pollinem tenuissimum conficias, simulq; misceas, mox succinum calefactum applices, & Magnetem, illud palearum pollinem, hic ferri limaturam, tametsi mixta sint, attrahet, ob diversas naturas, & diversa trahendi desideria.

C. Bauhin. l. 1. th. anat. c. 15.

LXXV.

Orichalci ferriq; scobis separatio.

Jacobus Zwingerus, patruus noster, Argentinæ Zonarum artifici operam locabat suam. Illustris quidam vir, tabernæ incumbens, Orichalci ferrique scobem permixtam videns, ad Jacobum conversus, per jocum, inquit: ecquâ mercede scobem hanc confusam separares? tum is, minimâ, respondit, vini uni-

unicâ amphorâ. Pignore in medio posito, Jacobus Magnetem lapidem è scrinio profert, & nullo negotio ferri limaturam à scobe orichalci segregat; obstupescente Comite, & magicam quandam vim lapidi inesse prædicante, non sine stomacho tamen, quod à plebejo se victum tacitè fateri cogeretur.

Zwinger. theatr. vit. hum. vol. 5. l. 2.

LXXVI.

Lapidis Heraclij Autor, & ejus mira vis.

Lapidem Magnetem, quem Sideritim alii, alii Heracleon vocant, Magnes pastor in Idâ reperit. Invenisse autem fertur, clavis crepidarum & baculi cuspide hærentibus, cum armenta pasceret. *(a)* Quem lapidem novimus mirabilem esse ferri raptorem, quod cum primùm vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide, ferreum annulum raptum atque suspensum: deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dedisset suam, communemque fecisset, idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit: atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit & quartus. Jamque sibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet, quæ illi non solùm inerat, verùm etiam per tot suspensa transibat, & invisibilibus ea vinculis subligabat? sed multò est mirabilius, quod à Fratre, & Coepiscopo meo Severo Milevitano, de isto lapide comperi. Seipsum namque vidisse narravit, quemadmodum Bathanarius quondam Comes Africæ,

cum

cum apud eum convivaretur Episcopus, eundem protulerit lapidem & tenuerit sub argento, ferrumque super argentum posuerit: deinde sicut subter movebat manum, quâ lapidem tenebat, ita ferrum desuper movebatur, atque argento medio, nihilque patiente, concitatissimo cursu ac recursu, infra lapis ab homine, supra ferrum rapiebatur à lapide *(b)*

a) *Plin. l. 36. c. 16.* b) *Augustin. de Civit. Dei. l. 21. c. 4.*

LXXVII.

Hernia Medicina ex Magnete.

Chirurgus quidam fide dignus narravit, multos à se herniâ hâc arte curatos pueros. Magnetem in tenuissimum pollinem redigebat & in polenta exhibebat: inde verò inguen, qua præcipitabatur intestinum molle inungebat, & subtili ferri limaturâ aspergebat, parte de cætero fasciâ & subligaculo, ut decet, constrictâ. Remedii illius efficacia ex eo pendere videtur, quod Magnes insitâ à naturâ ferri, quod inguini aspersum est attrahendi cupiditate, impetu quodam violento, carnosas & adiposas particulas interjectas sibi adjungit: quæ peritonæi laxitatem undique comprimentes & constringentes, imò ex successu temporis hæsu tenaci ipsi se adjungentes, viam lapsuro intestino, vel omentó intercipiunt: quod non magis à ratione abhorrens videri debet, quàm quod intuemur ipsum magnetem per interjecti tabulati crassitiem, ferrum post se hâc illâc distrahere.

Paræus l. 7. Chirurg. c. 15.

LXXVIII.

Ferri ad Magnetem motus admirandus.

Hoc omnem superat admirationem, ut non tantùm

tùm admirari queas, quantùm deceat, quod vis illa in Magnete trahendi pellendiq́ue nullis cancellis concludi, nullo obicę præpediri, aut refrenari poteſt, quin inviſibilis penetret, & objectos lapides cognatos moveat, agitetq́ue & ſuas vires oſtendat, ac ſi nullo intermedio vetaretur: ſed intra orbem ſuæ virtutis. Nempe ſi ſupra tabulam ligneam, lapideam, metallicamque penſiles lapides accommodaveris, vel in æquilibrio conſtitutos, & ſub tabulâ Magnetem agitabis: virtutis effluvium ex hujus corpore proruens, quaſi ſpiritu quodam per concretum ſolidumq́ue tabulæ corpus proſiliens, lapidem ſupra eam movet, agitatque ad ejus motum, hoc movente movetur ille, & hoc quieſcente, quieſcit.

I. Baptiſta Port. l. 7. Mag. natur. c. 16.

LXXIX.

Calcanthi etymon: genera & probatio ex Veneris & Martis connubio.

Calcanthum ſeu atramentum ſutorium in genere, cujuscumque ſit coloris, ſic dictum, quod aliàs album, aliàs colore pellucidum, vitreo, vel viridi, aut cœruleo colore præditum, vitriolum, aliàs flavo Miſus, aliàs rubro Chalcitis appellatur. *(a)* Deterget propter partes nitroſas, propter caliditatem & tenuitatem diſcutit. *(b)* Vitriolorum autem genera multa ſunt. Anglicum & Germanum, non usquequaque probabile, optimum eſt Romanum & Ungaricum. Ut autem bonitatis fiat periculum, admoveatur aut affricetur cultro: ſi ſuo tactu, cultrum rubro colore, hoc eſt, cupreo inficiat, laudatiſſimum ac optimum habebitur. Conſtat enim in occultis ſuis viſceribus Venerem

nerem (cuprum) inclusum continere: cujus contactum Mars (ferrum) statim amplectitur, usque adeò magnum est, inter utrumque metallum sympathia & consensus. (c)

a) *Plat. de vit. p. 719. Libav. Tom. 3. sing. l. 5. c. 22. p. 624.* b) *Capovac. l. 1. Pract. c. 5.* c) *Quercetan. de cap. aff. c. 30.*

LXXX.

Ferri & Cupri sympathia.

Ferrum cupro, & cuprum ferro tàm amicum est, ut simul juncta confestim sese mutuò complectantur, cùm omne ferrum, mediante vitriolo, facili negotio in æs transeat, atque hæc quidem duo metalla indissolubili quodam amoris ac affinitatis vinculo sunt inter se connexa, nullo unquam dissidio separanda, quam quidem Sympathiam Poëtæ, suis fabulamentis involutam, occultè significârunt, eam sub Martis ac Veneris amoribus comprehendentes; & quia Mars, seu ferrum cuprefactum propriam suam naturam, non ampliùs retrocedendo induit, significatum volunt, Martis, licet bellicosi magnanimitatem, venustati Veneris cessisse, Veneris blandimentis Martis austeritatem longè superantibus.

Minderer de vitr. c. 1.

LXXXI.

Vitriolum album ophtalmicum.

Vitrioli albi porciuncula dissolvatur in aquâ communi, vel rosarum, vel aliâ appropriatâ, eâ quantitate, quem oculus ferre possit, oculisque indatur, quo felicissimè uti possimus in pruritu, calore & rubore oculorum, in Epiphorâ, ob quem illius insi-

insignem usum Germani Augstein illud vocant, unde & nonnihil adhuc inflammatis oculis aliqui id adhibent.

Plater. de dol. p. 313.

LXXXII.

Olei vitrioli parandi modus, ejus menstruum incrementum & decrementum.

Post calcinationem vitriolum redigo in pulverem, ex quo effusâ aquâ, facio lixivium, decoquo rursus ad spissitudinem & in pulverem redigo. Ex hoc oleum elicere soleo, cui vinum affundo, idque per balneum detraho, & rursus bis aquam, quam itidem detraho, ita ut nulla aquositas permaneat. (*a*) Plenilunio intumescit, in Novilunio detumescit, sive concepto aëre & imbibito à suo sale, sive Lunâ ipsâ inflante & agitante humidum. (*b*)

a) *Crato consil. 75. Alios parandi modos vide apud Libav. l. 2. alch. tract. 2. c. 16. Minder. de vitr. c. 9. Heurn. l. 1. M. p. 74.* b) *Zwinger. Physiol. l. 2. c. 50.*

LXXXIII.

Olei vitrioli usus in Medicina controversus, & limitatus.

De vitrioli oleo multi multa. Quidam illud vituperant, quia verum illius usum ignorant. Qui verò eo uti sciunt, feliciter in magnis morbis, non tamen omnibus, adhibent. (*a*) Riolanus usum vitrioli viris doctis non probari tradit: (*b*) 1. quia acida nervis & nervosis partibus sint infensa. 2. quia, cum sit tàm causticum, ut vitrum, in quo asservatur, exedat, non possit febrientibus tutò dari, quibus vinum, quantumvis dilutum, denegatur. Sed absit tale

oleum,

oleum, *(c)* quod igneâ suâ acrimoniâ, vel vestes corrodere posset. Spiritum desiderant Medici, qui omnis sensibilis corrosionis & tardæ austeritatis est expers, qui odoris violæ suavitatem, aliquot in igne destillationibus & circulationibus acquisivit, qui ad illam dulcis aciditatis gratiam adductus est, ut ab omnibus tutò & jucundè sumi possit.

a) *Crato conf. 75.* b) *contra Battol. Quere. c. 11.* c) *Reisn. in præf. de prob. urin.*

LXXXIV.

Olei vitrioli facultates memorabiles, intus & extra limitati.

Oleum vitreoli, eâdem vi, quâ Camphora, propter partium tenuitatem, præditum est, & cum refrigerantibus datum, refrigerat, cum calefacientibus eorum calorem auget, atque universi corporis substantiam minori noxâ, quam Camphora. (quæ humido radicali inimica est) permeat. In jusculo carnium, vel gallinarum, sumtum ad guttam I. stomachum roborat, extenuat humores pituitosos atque consumit, omnésque vias viscerum aperit, infarctusque renum exigit, putredinem inhibet & humidiora corpora plurimùm adjuvat, sed siccioribus temperaturis rarò, & non nisi necessitate aliquâ urgente, exhibendum. Nam, autor est Rhases, *(a)* quod in tabem præcipitat, tanta vis tussis siccæ inde nascitur, quod usu evenisse memini. Pueris, cum aquâ graminis ad vermes guttulæ exhibentur, in malignis febribus, miscetur unciis quatuor juris pulli, in quo herbæ cordi dicatæ coxêre, cum syr. citreorum. *(b)* Magnetica quædam virtus est, delitescens,

in acido vitrioli spiritu metallico, qui ad energiam aut activitatem, simplicitatemque elementaris naturæ propiùs accedens, suâ eâ virtute magneticâ, vim habet attrahendi, evincendique acidos illos melancholicos, ac vitriolicos animalis spiritus, qui Epilepsiæ authores sunt & Artifices. *(c)* Pectoris vitiis inimicum, *(d)* nî probè rectificatum sit & circulatum eousque, donec violæ odorem referat, omnisque rosionis sit expers, tùnc enim insigne evadit thoracicum, miscetur cum oximelle, vel alio serapio, ut cùm tenuium admodùm sit partium, diutiùs ore inhæreat, quo majori copiâ in pulmones extillet: melli rosato commistum, ita ut ad unciam unam, gutta j. vel ij. olei adjiciantur, plurimùm in ulceribus oris & gingivarum prodest. *(e)* Cum bombace intincto admotum venæ, egregiè eam constringit, & nonnihil urit; quæ si profundè lateat, eousque intrudi debet, ut & in dentis evulsi spacium. *(f)* Dentes enim à putredine conservat, & dealbat, si cum aquâ misceatur, cùm puræ & integræ carni sit innoxium, & corruptam saltem tollat, sic etiam ossium putredini insigniter resistit. *(g)* Si gutta j. vel ij. apponatur, abscessum rumpit; aquâ dissolutum siccando validè cicatricem inducit. *(h)*

a) *ad Reg. Almans. c. 47.* b) *Heurn. l. 1 M. p. 74. de cap. aff. c. 5. Crato consi. 27. 72. 75. Scholtz. ep. 146. 166. Unz. de nephr. l. 2. p. 203.* c) *Querc. in tetrad. c. 30. p. 360. Unz. de Epileps. l. 2. p. 219.* d) *Minderer de vitr. p. 71. 72. & 106.* e) *Reisn. de prob. urin. p. 21.* h) *Plat. de vit. p. 719. de dol. p. 841. 959.*

LXXXV.

Spiritus vitrioli & olei tartari mira antipathia.

Rerum sæpè occultus dissensus est, nec homini notus, sed talis, qui effectum optatum impediat, & prohibeat, quem utraque res seorsim usurpata produxisset. Qui id non capit, spiritus vitrioli, & spiritus tartari antipathiam perpendat, uterque enim illorum acidissimus & acutissimus est. Si misceas, utriusque acrimonia perit, & liquor redditur insipidus.

Ansh. Boëth. l. 2. de lap. p. 133.

LXXXVI.

Nitrum & vitriolum aquæ fortis æmula.

Nitrum & vitriolum simul juncta aquam fortem solvendo argento destinatam confestim repræsentant, proinde Naturas rerum observare oportet, ut quæ sibi commendent & conveniant, & quæ ex iis resultent, peritus artifex resciat.

Minder. de vitr. c. 9. L. Thurn. de aq. l. 9. c. 10.

LXXXVII.

Auri ardentis admiranda vis & motus perpendicularis.

Aurum ardens plenum est spiritu, tantæ subtilitatis & activitatis, ut pauca quædam ejus grana, dum solo motu, vel radiorum solarium ejaculatione flammam conceperint, instar explosi sclopeti, maxim naturæ mysterio, perpendiculariter centrū versus si ferantur, ut mensam ligneam valeant transverberare. (a) Scrupulus enim unicus istius auri potentiu ferè operatur, quàm libra dimidia pulveris tormentarii. (b)

a) *Que*

a) *Querc. in pest. alex. l. 1. c. 6.* b) *Sennertus de cons. Gal. & Chym. c. 18. p. 667.*

LXXXVIII.

Auri potabilis & foliati vis in corpore nulla.

Aurum potabile, si tale reddi possit, nullam habet vim nos alendi, quia inter Aurum solidum aut potabile nihil interest, præter concretionem, fusionem. Homo nec purioribus Elementis vivere possit, tantùm abest, ut destillatis inanimatarum rerum vivat, alatúrve. (*a*) In Auro foliato, & ramentis bibitur & devoratur Aurum, Aurum excernitur (*b*) Ventriculo quin etiam negotium facessit. (*c*)

a) *Heurn. com. l. 1. aph. 14.* b) *Scholtz. ep. 150.* c) *Iac. Holler. l. 1. de morb. intern. c. 41.*

LXXXIX.

Auri arte facti historia.

Edoardus Kellejus Anglus, Pragæ in ædibus Thaddæi Hagecii libram unam argenti vivi, unica guttula liquoris rubicundissimi in Aurum convertit, & ita quidem, ut adhuc videre sit signum illius liquoris supra Mercurium in aurum conversum, instar rubini hærentis, ut ex illo residuo tantundem auri fieri possit. Et pulvis ille, quo tingebat metalla, nobilis ille Scotus, tantarum erat virium, ut uno grano 5000. grana tingeret, & uno grano 10. circiter auri puri uncias produceret.

Sennert. de cons. Gal. & Chym. c. 2.

XC.

Auri & argenti vivi mira connexio.

Si ab hydrargyri usu tremor partium fiat, Theriacam exhibent, vel cordialia Medicamenta, quibus

Auri limaturam permiſcent, cum aurum tantam affinitatem cum argento vivo habere dicant, ut ſi in corpore ſit, aurumque propinetur, illud adeò ſecum trahat, ut poſtea per ſeceſſum excretum purum in excrementis adhærere deprehendatur: quam ipſorum connexionem ex eo, quod in deauratione, Aurum non metallo, niſi interveniente argento vivo, adglutinari poſſit, deſumpſerunt. *(a)* Neque enim argentum auro obduci incruſtarique poteſt, niſi argenti vivi miniſterio, quo uno obſequioſum fit, ac tractabile. nam cum omnia metalla reſpuat, ſolo auro afficitur, eoque ſe commiſcet, fingique patitur. *(b)* Fertur quidem in fumum halituoſum Mercurius ſuper ignem, ſed non propterea ejus partes eſſentiales, ex quibus conſtat, igni ullo elementari deſtruuntur aut diſſipantur: nam ille ſpirituoſus vapor, vaſe idoneo receptus, diligentérque inibi, ne egrediatur cuſtoditus, in priorem argenti vivi ſpeciem paulò pòſt redibit iterum, abſque ullâ diminutione vel detractione priſtini ponderis. *(c)* Id quoque admiratione dignum, quod ex morbo gallico inunctus, ſi aureum annulum in ore geſtet, ac dentibus linguâque hinc inde volutet, argentum vivum, quod corpori ex unctione innatat, in annulum devolvi, ſic ut totus argenteus eximatur, ac nonniſi igni admotus priſtino nitori reſtituatur. *(d)*

a) *Plat. l. 2. de l. f. c. 3.* b. d.) *Lemn. l. 2. de occult. nat. mir. c. 35. & 52.* c) *Vnz. de mer. c. 3.*

XCI.

Mercurij perpetua mobilitas.

Jure miretur quiſpiam, quî fieri poſſit, ut Argentum

tum vivum, maximâ partium tenuitate polleat, nihilque crassi lentique obtinens, quô veluti visco ac glutine terrenæ ejus partes inter se junctæ cohæreant, perpetuâ mobilitate vigeat ac valeat? Respondemus, cum argentum vivum constet ex parte terrenâ optimè excoctâ, ex aëre & spiritibus, qui ex mixtione adeò sunt conclusi, ut non possint exire, & quia aër & spiritus conclusi, semper quærunt exitum & moventur, hinc est, quod argentum vivum semper moveatur, quia multi spiritus & aër colligatus est à parte terreâ, qui ut inveniat exitum, sese movet, cujus naturæ cum existat, potest attenuare dura & emollire, potest etiam dissipare & exsiccare.

Mercur. l. 4. Pract. c. 6.

XCII.

Argentum vivum, cur in planitiem fusum, non humectet.

Quod proponunt fusum hydrargyrum, planitiem nullo madore colluere, idem quoque in aquæ guttulis, sese in orbem cogentis, propter ὁμοιομερείαν observare est: quam tamen hoc uno argumento, nemo ab humidis secreverit, contra veterum auctoritatem. Itáq; si nullo madore imbuit hydrargyrum, id efficit, non siccitas, humiditatem continens ac contemperans, sed partim naturæ quædam proprietas, qua se in sphæricam figuram perpetuò comprimit, atque convolvit, partim excrementitia quædam plumbago illum ambiens, quâ adhærescere prohibetur. *(a)* Unde Paracelsus, Mercurium non immeritò, Aquam nec manus, nec ullum aliud, quod tangit, madefacientem vocavit. *(b)* Multa etiam, crede mihi,

hi, deprehendes in rerum naturâ, si singula diligenter observes, in quibus occæcari humani ingenii solertiam sit necesse, & in quibus principia Theoriæ imbecilla atque infirma esse, annotamus. *(c)*

a. c.) *l. Palm. constant. de morb. contag. l. 3. c. 4.* b) *de gener. miner. c. 19.*

XCIII.

Argenti vivi venæ, quibus indiciis observentur.

Ex montibus, ex quibus argentum, Aurum & horum parens hydrargyrum scatent, uberrimi scaturiunt fontes, & herboso cespite virent. Nam qui solerti industriâ horum venas scrutantur, mane mensis Maij sereno, nebulas in vertice montium emergentes, ac instar lanç, vel cotti gossipij, supra cespitem pendulas, velut fontium ac metallorum radices, deditâ operâ, observant, ibique argenti vivi venas subesse conjiciunt, quandoquidem aquarum scaturigines, per metallorum venas, ac præcipuè in Alpibus emergunt.

Vitruv. l. 8. c. 3. Lang. l. 1. ep. 43.

XCIV.

Gallici ab hydrargyro Epileptici.

Quibusdam, cum in lue venereâ inunguntur hydrargyro, quid in aurem incidit, quo tracto in cerebrum, Epileptici evadunt: nam ejus etiam vapor dissipat spiritus animales: viden' ut stannum & plumbum in pulverem comminuat, si his mixtum incandescat foco?

Heurn. de cap. aff. c. 23.

XCV.

XCV.

Exempla saltuum mirabilia. Naturale, Pyritidis Indici.

Nuper ex India, quidam meus familiaris, lapillum mirè luminosum deportavit (ajebat insuper hujus vim esse, ad plurima tùm utilem, tùm summè necessariam) qui totus quasi incensus admirabili lucis splendore fulget, jactisque radiis ambientem aërem quoquo versus implet. Is terræ impatiens, suopte ipse impetu confestim in sublime evolat. Neq; verò anguste haberi potest, sed amplo liberóque loco tenendus. Summa in eo puritas, summus nitor, nulla sorde aut labe inquinatus, figuræ species certa nulla, sed inconstans & momento mutabilis. Quumque sit aspectu longè pulcherrimus, sese tamen contrectari non sinit, & si diutius adnitaris feriet acriter: si quid illi demitur, nihilo fit minor.

Fernel. l. 2. de abd. rer. caus. c. 17.

XCVI.

Alia artificialia. 1. Annuli supra carbones calefacti. 2. panis in furno.

Præstigiatores solent recondere argentum vivum in annulo vel aureo vel argenteo, deinde ponunt supra carbones & calefaciunt, quo calore agitatum argentum vivum movetur, movetque annulum, & facit ipsum saltare, per spacium quartæ partis horæ, ut videatur habere animam, quod fit maximâ cum admiratione vulgarium. (*a*) 2. Sic si pani in clibanum mittendo inserueris nucem, argento vivo, sulphure & nitro oppletam ac diligenter clausam, ubi incalue-

rit, videbis panem ita ſalire, ut jucundum ac plauſibile ſpectaculum præſentibus omnibus exhibeat. (*b*)

a) *Fallop. de foſſil. c. 37. de venen. c. 76.* b) *Unzer. de Mere, c. 1.*

XCVII.

3. *Piſorum ex ollâ.* 4. *ovorum ad ignem.*

Eodem modo qui voluerit jucundo ſpectaculo ex ollis ferventibus piſa excludere, Argentum vivum immittat, & videbit rem pulchram, niſi nimia ollæ altitudo, vel ignis remiſſior obſtiterit. Non abſimili ratione, ſi ovis in alterutra extremitate perforatis, pauxillum Mercurii indideris, eaque occluſo iterum foramine, glutine aliquo conveniente, igni poſtea appoſueris, miros illorum videbis ſaltus, quos ignari hujus artis, ſeu doli, apprimè admiraturi, pro magico incantamento habebunt.

Unzer. l. c.

XCVIII.

Gypſum ſcabiei medicamen coſmeticum.

In aquâ communi, vel alia ſicciore, ut ferrata, ſi gypſum uſtum diſſolvatur, eaque manus aut aliæ partes ſcabioſæ frequenter abluantur, ſcabies facilè omnis ſanatur: habet enim præter exſiccationem, vim quandam leniendi, unde & manus, minimè aſperas, uti calx, ſed molles & nitidas, ſicuti in operariis, qui gypſum manibus cùm aqua miſcent, & tractant ad incruſtandos parietes, videmus, reddit.

Plater. de dol. c. 17. p. 879. Brendel. Conſ. 113.

XCIX.

XCIX.

Christallus vertiginis hostis.

Christallum appensum plurimùm valere in vertigine censent, atque ex poculo inde parato, ejusdem utilitatis gratiâ bibunt, vel poculis Christallum immergunt.

Plater. l. 1. de l. f. p. 246.

C.

Saphirus anthraci & oculis ad variolas utilissimus.

Saphirum Gemmam carboni circumductum, & postea super carbonem ligatum aliquandiu, valdè prodesse aliqui asseverant (*a*) Saphirum oculis prodesse scio, & admotum oculis puerorum, qui variolis & morbillis laborant, ne ab illis infestentur, facere. (*b*) Quem & nos, efficacem experti sumus, Anno 1612. in variolis, immaniter hîc sævientibus.

a) *Plat. de dol. p. 253.* b) *Scholtz. ep. 160.*





CENTVRIÆ V.

Particula I.

Σοφία & φιλοσοφία, *quanto discrimine distent.*

COgnatæ sunt voces σοφία & φιλοσοφία: Illa antiquor, hæc recentior: *(a)* Σοφία autem dicitur, quasi σαφεία i. perspicua notitia, quæ causas rerum complectitur; *(b)* siquidem scire is demum dicitur, qui rei causas tàm efficientes, tùm finales novit. *(c)* σοφὸς verò q. σαφὴς, id est, qui non nudè tantum novit rei effectum, sed etiam causam, in quo sapiens differt à rustico & plebejo. Poterat ergo Philosophiæ vocabulum esse simplex, ita ut φίλος omitteretur, sed Pythagoræ (qui circa Annum mundi 3420. vixit) modestia fecit compositam vocem. Sed major fuisset Pythagoræ modestia, si arti nomen suum reliquisset, σοφίαν dixisset, licet quis propter imbecillitatem ingenii perfectè sapiens esse nequeat. Omnes enim possumus esse Philosophi, id est, amatores sapientiæ, & rustici & plebeii: Verum non omnes possumus esse σοφοὶ, sapientes & indagatores causarum in rebus, *(d)* verùm, cum vox hæc (σοφία) & per se arrogantior videretur, multique nulla vera sapientia instructi, quæstus vel honorum causa sapientiam jactarent, seque σοφὰς & σοφιςὰς appellarent: Pythagoras, ut & arrogantiam nominis vitaret (solus enim DEUS verè sapiens) & se ab his, qui nomine tenus saltem σοφοὶ erant,

erant, sejungeret, veramque sapientiam, rem minimè vulgarem, nec cuivis obviam esse moneret, primus hoc nomen mutavit, & non σοφὸς sed φιλόσοφος appellari voluit. *(e)* Arrisit hæc modesti vocabuli novitas ita omnium sectarum viris doctis, ut communi consensu se φιλοσόφους quàm σοφοὺς appellare maluerint. *(f)*

a. f.) *Sennert. l. 1. c. 1. epit. scient. natur.* b. d) *Keckermann. cap. 1. praecog. phil.* c) *Aristot. l. 1. post. anal. cap. 2.* e) *Cic. lib. 5. Tusc. quaest. Plutarch. l. 3. de plac. c. 3.*

II.

Philosophorum speculatio manifesto insomnio similis.

Scis, cui maximè simile arbitrer Philosophi spectaculum? insomnio nimirum manifesto, liquido ac volitanti undequaque; cujus integro corpore manente, in terram tamen universam excurrat animus, è terra in cœlum efferatur, universum transmittat mare, aërem pervolitet totum, cum sole terram ambiat, cum Luna circumferatur, cæterorumque astrorum jungatur choro, &c. O peregrinationem beatam? O spectacula pulchra? O insomnia verissima.

Cœl. Rhodig. antiq. lect. l. 7. c. 30.

III.

Somni generatio graphicè descripta.

Composito ad quietem Animali, Anima virium quendam languorem, ex diurnis sensuum operationibus, spirituumq; dissipatione & vivifici solis Luminis

nis absentia percipiens, refectionem quandam & instaurationem virium, spirituumque, salutis animalis gratia, meditatur. Et quia animales spiritus originem habent ex vitalibus, ut vitales prius instaurentur, cor ad se aliquid caloris, qui in exteriores partes sparsus est, colligit & revocat. Hinc extrema membra, & præcipuè cerebrum frigidius nonnihil evadit, quo etiam nocturni aëris frigiditas, & motus, atque agitationum corporis, quæ caloris causa sunt, cessatio conspirat; Calor verò circa cor & vicina membra augetur; calor auctus ex alimento suaves quosdam vapores excitat, qui ad cerebrum delati, ejus frigiditate nonnihil condensantur, & rursum descendere incipiunt, nervorumque radicibus illapsi, eorum meatus replent & obstruunt, & in causa sunt, ne & spiritus vitales, calorque ex inferioribus in cerebrum influere possint, nec spiritus animales ad organa sensuum distribui: denegatis spiritibus membra concidunt, omnesque sensuum externorum operationes cessant.

Sennert. l. 7. epit. sci. nat. c. 9.

IV.

Puerperæ obitus, infante superstite, somnio servi de ovo, abjecto cortice, præfiguratur.

Somniavit Servus quidam, ovum sibi ab Hero, sed coctum tradi: quod ille sic accepit, ut nucleo uteretur, putamen abjiceret. Quid factum? prægnans Hera erat, & mox Filium enixa à puerperio periit. Servus igitur infanti nutricius datur, qui tùm demum intellexit, mulieris gravidæ imaginem ovũ esse, cocto ma-

maturitatem fœtus designari, maternum corpus vita destitutum pro putamine habitum. Sanè educandus infans non poterat, nisi absolutissimo nutrimenti simulachro, id est, ovo repræsentari.

V.

Somnium Studiosi de ovo, aureum & argenteum.

Addam, quid Amico cuidam méo & sodali olim studiorum contigerit: is cum Patavii ageret & domo subsidia nummorum exspectaret: visus sibi à tabellario ovum accipere, mox frangere, & nucleo toto corpus perungere, verum profectò somnium fuit. Etenim paulò post transmissa pecunia est, quæ partim aureis, partim argenteis constabat nummis, atque hoc candidum luteumque ovi erat. Sed quid? Vix nummos acceperat, & in gravissimum morbum incidit, quo omne illud aurum argentumque consumtum est, id enim erat corpus inungere.

Erye. Putean. de ovo p. 99. & 101.

Plura de Somno & Somniis vide cent. 2. memorab. part. 81. & seqq.

VI.

Lazarus vitrivorus gustu carens.

Quod admiratione me affecit, fuit inspectio Lazari, vitrivoracis vulgo dicti, quem Patritii omnes Veneti, imò Veneti omnes, omnes Ferrarienses de facie noverant. Hic nullo prorsus gustu, dum viveret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum præsentiebat: Insipida, amara, dulcia, pinguia, salsa, acria, non distinguebat. Vitrum,

ſaxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, piſces è vivario extractos adhuc ſaliẽtes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosque pannos, fænum, ſtipulum, &c, ut brevi omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid illi edendum, ſeu deglutiendum potius offerebatur; mercede propoſita, dictum ac factum ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus Aromatarius Patavii ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum, & ſaccum inſuper devoravit, quô viſô perſolvit, quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad Pharmacopolium amplius accederet. Veritus ne ſe cum taberna & vaſis eſitaret. Cum igitur hoc Naturæ monſtrum mihi diſſecandum eſſet Patavii, cœpi hujuſce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit cauſam venari, quam me tandem, Deo Duce, ex particulari illius ſtructurâ aſſecutum eſſe confido. Nam quarta nervorum conjugatio, quæ guſtus gratiâ in aliis hominibus à Natura producta eſt, in hoc Lazaro vitrivorace neque ad palatum, neq; ad linguam reptabat. Sed ad occipitium reflectebatur.

Columb. Anat. l. 15. p. 486.

VII.

Mulieres cur viris loquaciores.

Caro linguæ mollis eſt & flexilis, vocis formandæ & articulandæ cauſâ, cujus & ipſius gratia, latior eſt lingua. Unde experientiâ conſtat, non tantum Aves quibus lingua eſt mollior & latior, acutius & rectius canere: Sed etiam Homines, & inprimis Fœminas, quibus lingua eſt mollior, eſſe loquaciores & voces etiam articulatius proferre, quam Mares, nempe propter

pter flexibilitatem linguæ à mollitie illius profectam.

Brebis disp. 6. somat. th. 11.

VIII.

Serpentes & Vrsæ Fœminas quàm viros citiùs insectantur & necant.

Serpentes, tametsi totum hominum genus pessimè oderunt, Fœminas tamen potius insectantur, quam Mares, & sæpiùs morsu necant: quod in scorpionibus, quorum copia major est facile animadvertitur, quia punctura Fœminas brevi necant, nisi medeatur. Quia Serpentium genus versutissimum intelligit Fœminas Maribus esse imbecilliores, quæ & facilius violari & difficilius obsistere possint. An quia capitalis est inter serpentem & Mulierem antipathia, ut S. literis (*a*) docemur: id enim ex eo maximè perspicitur, quòd etiam in turba frequentissima virorum, Serpens unius Mulieris, etiamsi sola fuerit, calcibus insidiari consuevit.

Illud quoque admirabile est, quod Ursa prægnantem mulierem, non solum uteri gravitate notam, sed eam etiam, quæ pridie conceperit, solam ex omni turbâ insectatur: id autem experientia sæpissimè comprobari solet, ubi Ursorum Venatio publicè exhibetur, ut in Anglia sæpè vidimus. (*b*)

a) *Genes. c. 3. v. 15.* b) *Bodin. lib. 3. theat. nat. p. 316. 350. & 406.*

IX.

Cerva cornigera Regi Galliarum augurium uxorium.

Cùm cervam cornigeram Ludovicus XII. Dux Gal-

Gallorum in venatione cepisset, ejus figuram in porticu Blesensi collocari jussit: augures palatini malum optimo parenti auguriū denunciarunt, quod duxisset Annam Britannicam, altioris spiritus fœminam, quàm ut imperia mariti ferre posset: Cumque illa miraretur cervam cornigeram, Rex urbanè reposuit, initio quidem cervas omnes cornigeras extitisse, sed quòd illis abuterentur, ab Opifice cornua detracta fuisse.

Bodin. l. 3. theat. nat. p. 358.

X.

Caput, quod nostri, primum in partu initium capiat, dictum.

Caput dictum, quod inde corpus aut Homo initium capiat. Dubitas? parturiginem intuere, videbis capite primum excludi corpus. Postremo sequi cum cruribus pedes, naturalis si sit parturitio. (*a*) Inde namque nata olim, quam & hodiè sequimur, consuetudo, defunctos pedibus primùm efferendi. (*b*) eò respicit Persius (*c*)

—— —— tandemq; beatulus alto
Compositus lecto, crassisq; lutatus amomis
in portam rigidos calces extendit ——

A Capite itaque initium capit Homo, nec abs re, cùm capite illud contineatur viscus, nominis dignitatem Homini quod tribuit, cerebrum inquam, Rationis author. (*d*) Quid enim sine capite est homo? Jacet me hercle sine nomine, sine honore, quasi truncus ignobilis. Sola Principum capita, auro, ære vel marmore sculpta in precio sunt; per caput jurabant veteres, capitis nutu pacta confirmabant. (*e*)

a. d.)

a.d.) *P.Pavv. part.1.osteol.c.6.* b) *Plin.l.7.c.8.* c) *satyr.3.*e.) *Laurent.l.4.anat.c.8.*

XI.

De vertice humano & ejus officulo, varia notatu digna.

Vertex est inter frontem ac occiput locus medius; à vertendo (capilli namque hoc loco in gyrum se vertunt) sic dictus, indeque ἀπὸ τοῦ πολεῖν πόλον vocarunt Græci. Est in primùm natis apertus, seu osse vacuus hic locus: palpitantem ostendens verticem, apertusque aliquamdiu madens, inde natum, quod frontem capitis hunc vocent locum obstetrices. βρέγμα dicitur, ἀπὸ τοῦ βρέχεσθαι à mollitie. Ossiculum, quô hanc hiaturam postmodum claudit Natura, reliquis ossibus capitis nunquam similem postmodum induit crassitudinem, nec soliditatem, lumini objectam si intuearis calvam, transparentem hunc ut plurimum cernes locum, hæcque causa, quòd Medici periti, huic loco apprimi cauteria, ad catharri in pulmonem ruentis cohibendam ferociam consulant; in hunc fieri perfusiones, irrigationes, inunctiones, & quicquid deniq; est topicorum, quæ subjectum exigit cerebrum, utpote eorũ efficaciâ per ossis hujus tenuitatem facilius se trajiciente. Non desunt hujus ævi scriptores, qui ossiculum hoc in pollinem conversum, in Epilepsiâ singulariter commendent. Hic is locus, quem singulari notat studio Hippocrates *(a)* asseverans, nullum in toto capite locum periculosè adeò, uti huncce lædi. Etenim infirmum hoc ossiculum à levi causa pertunditur facilè, nec hoc solùm, verùm insuper & eâ de causâ, quòd perpendicularis cerebro,

 imò

imò univerſo corpori hic cùm ſit locus, omnes eum ferientes ictus rectilinei ſint, ac in ſe recurrentes: undè major longè cerebri concuſſio, commotio ac perturbatio: recurrens namque in ſe ictuum vis, majorem dat effectum. Pilam vide, quam rectâ lineâ terræ ſi allidas, altius reſiliet, quàm obliquus ſi fuerit ictus. Solares idem docent radii, qui quod æſtate efficacius agant, quis cauſam nocit aliam, quàm rectilinei magis tùm quod ſint, eorum vis in ſe recurrat efficacius: idem hic fit, adeò ut præ illâ commotione interioribus cerebri vaſculis non rarò diſruptis, effuſus ſanguis mortem adferat. *(b)*

a) *de vu.n.cap.* b) *P. Paavv. part. 1. oſt. c. 7. vide cent. 2. memor. part. 42.*

XII.

Cerebri humani moles & pondus unde.

Homo cæterorum animalium (*a*) comparatione cerebri plurimum habet: Ita ut unius hominis cerebrum duorum Boum quantitate ſuperet, 1. ob animalium functionum varietatem & perfectionem cæteris animantibus denegatam: nam cùm rationis inſtrumentum eſſe debuerit, ut magnam ſpirituum copiam & elaboraret & caperet, neceſſe fuit: at multus ſpiritus, non niſi à copioſo ſanguine generari poteſt, copioſus autem ſanguis in parvo corpore contineri non poteſt. Dein, ne ſpiritus animales ob inſignem tenuitatem evaneſcant, ſed per proprios ductus in omne corpus ducantur, magna, humida, denſa ac glutinoſa cerebri moles requirebatur. Verùm illius magnitudo longitudine, latitudine & altitudine tanta eſt, quanta eſt calvæ capacitas, ita ut longitudine

dine palmũ æquet,in latitudine verò&altitudine minor existit. Ipsā verò scultellā, seu cavitatem(*a*) antè, retrò,in occipitio&à lateribus cũ suis mēbranis,glandulâ pituitariâ & vasis ascendentibus implet, spacio ad ipsius naturalem motum, diastolen scilicet ac systolem, tantùm relicto. Tantæ molis est,ut aliquando in publicâ Anatome ponderanti,libras 4. &aliquando 5.æquare apparuerit: majorum enim hominum cerebrum grandius & ponderosius est, quamvis & pueri, præ pondere cerebri, quod in ipsis humidissimum est, longo tempore(*c*)caput sustinere nequeant, quibus etiam caput prægrande est. In plenilunio præ humiditate ita cerebrum turgescit, ut totam calvariam impleat.(*d*)

a) *Aristot. l. 2. part. anim. c. 6. & 7.* b) *Id. l. 1. hist. anim. c. 7. 16.* c) *l. 2. de gen. anim. c. 6.* d) *Bauhin, l. 3. th. anat. c. 11. & 12.*

XIII.

Memoriæ encomia.

Antiqui ex tribus quas statuebant Musas in templo Delphico, Mnemen,id est,Memoriam, tanquam imaginationis sacrarium & conceptaculum, maximam posuere. Etenim ruant ac solvantur omnia ingenii ornamenta,necesse est, nisi hæc memoria in præsidiis excubet: nam quibus hæc non arrisit benignâ venâ, hos perpetuis inscitiæ latumiis damnavit Jupiter,hæc enim eruditionis ταμεῖον: & oportet eum qui ad palæstram literariam tendit; potestate retinendi pollere. Necessarium itaque vitæ bonum Memoria & thesaurus scientiæ ac lumen. Attamen res ex omnibus animi partibus maximè fragilis, in quam primum

senectus incurrit, sæpeque, ut Plinius inquit, tentat deficere, vel quieto corpore & valido, somnoque serpente amputatur, ut inanis mens quærat, ubi sit loci. Miranda alioqui hæc splendida homini insita vis memoriæ, quæ revocat atque exhibet vetusta, ac acta puerorum in digitos mittit, hesternorum sæpè oblitis. Quod quærit, altius se sæpè illatebrat & recondit; mox aliud agenti reddit se, atque postliminio ludens se offert. Hanc admirans Tullius, inquit, an sit Animus ignisvè, nescio, nec me pudet, ut istos, nescire, quod nesciam; quicquid sit, jurarem esse divinum. Augustinus dicit memoriam esse animum: modò ventrem vocat animi, cujus aula sit ingens, & opido quàm admirabilis: modo memoriæ cavernas nuncupat, nunc antra, vel etiam sinus. Ita summus Deus variè in hominibus hanc potentiam micare voluit. In sensu enim principe Deus simulachra insevit: princeps autem sensus in quibusdam mollior & dilutior habetur, in quibusdã rigidior: item aliis in motu est, aliis quiescit, ita simulachra in eo condita imitantur ejus conditionem: hinc illa memoriæ varietas.

XIV.

Admonitio ad memoriæ cultores.

Admonitione dignum puto, ad memoriæ stabilimentum mirum in modum facere studiorum moderationem. Nec illis credendum, qui studiis assiduò incumbendum putant, quòd omnia evolvenda sint, ut aliquando optima excerni possint. Addunt vitam brevem esse, infinitam inexhaustamque esse librorum segetem. Ita est, sed hi nos audere hortantur, quod adi-

adipisci non possumus, quodq; assequi nemo potest, sequendum offerunt. Quis quæso, si Nestoris libros legat, tantum Auctorũ cumulum legat, aut meminerit? Multum, non multa legenda, si memoriæ consulendum: alioqui quæ infarseris, quasi per vas Danaiadum effluunt: ne id fiat, meditatio remedio erit, consistit enim memoria in fidâ & stabili imaginum conservatione, quare assiduitas lectionis obest semper, nunquam prodest. Nam animi nostri promptuaria ita sunt expedita, ut alia pars excipiendis imaginibus, alia judicio, alia reservandis iis, quæ recepta sunt, attribuatur. Quoties itaque tanta est imaginum frequentia, ut altera alteri occurset, ut quasi unda undâ propellatur, tunc irritus omnis labor. Certè remissione studia acuuntur, ac vegetius ad remissa studia reditur. Vidistin' ut concertantes sæpè non modò adversarii viribus, sed suopte conatu atterantur? hoc nimium studiis inhiantibus evenire solet. Ego studiis immorandum, non immoriendum suadeo: rerum multitudine opprimitur memoria.

Heüm. aff. cap. 8. 15. p. 167. & 178.

XV.

Pueri tenaciorem cur habeant memoriam, quàm Senes.

Sciendum, duabus de causis, pueros quamvis humido sint cerebro, multorum rectius, quàm adultos meminisse. 1. Causa est Novitas. Cùm enim novitas admirationem pariat; admiratio attentionem; attentio fidelem apprehensionem; fidelis apprehensio firmam memoriam: pueris autem, ut-

pote rerum plerarumque imperitis, plurima, quæ vident, ac audiunt, nova accidant, atque inde ea admirentur, animumque iis attendant: fit, ut fideliter ea memoriæ infigant, atque tenaciter retineant. Adulti verò, cùm talia sæpiùs viderint, ea non multum curant, atque cùm iis animum non attendant, fideliter etiam memoria non comprehendunt ac retinent. II. Causa est, quod pueri cogitationibus curisq; vacant, mentemque minùs, quàm adulti distractam habent: unde etiam ea, quæ obveniunt, firmiùs apprehendunt & retinent.

Sennert. instit. l. 2. part. 3. sect. 2. c. 4. Leon. l. 2. Pract. sect. 1. c. 7. Horst. l. 2. de tu. san. stud. c. 1.

XVI.

Panicus terror à Melancholia est, & quomodo.

Panici terrores fiunt Melancholiâ, aut in toto corporis habitu, aut solis, sive in hypochondriis, sive in cerebri partibus exuperante, semper interim cerebri temperaturam naturalem pervertente, spiritus animales, quin &, atque rationalis Animæ sedem adeò tenebricosam & tetram efficiente, ut sicuti externis tenebris pueri terrentur, ipsa internis ipsa turbetur Anima; (a) quæ enim causæ extra nos consistentes, timorem incutiunt hominibus, illæ, si in nostro corpore fuerint, multò magis terrefaciunt. Neque verum est, quod objiciunt aliqui ex Averroë (b) Principem animam rationalem, ea, quæ in corpore sunt minimè videre, sed externa duntaxat objecta, hæcq; unius solius oculi adminiculo, quomodo namque, si coloratarum rerum in corpore nostro delitescentium spe-

ſpecies, citra oculum Animæ repræſentari nequeant, ei idem Animæ ex abundantia bilis quidem, ignea, pituitæ aquea, ſanguinis lætiſſima, obſervari poterunt inſomnia? (c) quomodo pura plethora in venis conſiſtens, Animam, quin imò totum hominem exhilarare poſſet?

a) *Gal. l. 2. de cauſ. ſympt. c. 7. l. 3. id. l. aff. c. 7.* b) *l. 3. collig. c. 40.* c) *Hippocr. l. de inſomn. Gal. de divin. ex inſomn. Leon. prax. l. 1 ſ. 1. c. 8.* d) *Eman. Stupan. comm. in aph. p. 362.*

XVII.

Iugulum vulneratum citò jugulat.

Στέρνον (pectoris os) parte ſuperiori, quâ radicem ſive initium tangit colli, ipſo ſui medio ſemilunatum oſtendit ſinum, quem utrinque claviculæ claudunt? hic peculiari voce σφαγὴ Græcis, ἀπὸ τοῦ σφάττειν. Græcis, Latinis jugulum: ſic dictum, quòd vulnera hîc incidentia certò jugulent, indeque ſcriptoribus jugulum petere, jugulare, jugulum præbere. (a) Virgil.

Hæc loquitur, juguloq́ haud inſcius accipit enſem (b)

Quur verò lethale adeò ſit hoc loco hominem lædi, is facilè dicet, qui in Anatomicis verſatus, ſciet namque plura vaſa hoc concurrere loco, quæ diſſecta certam perniciem ſecum trahant, neceſſe eſt: oriuntur hîc muſculi maſtoidei capitis, ſterno hyoidei oſſis hyoidis: hîc videre eſt ſextæ conjugationis nervos; Animæ canalem Arteriam aſperam dico; gulam; venas jugulares; carotides arterias; quibus reſectis, ne

ipsa quidem si advolet Salus, nisi miraculum editura, salutem attulerit. (c)

a) *P. Paavv. osseol. part. 3. c. 3. & 5.* b) *l. 10. AEn.*

XVIII.

Ex vulnere in collo, gustus & vocis amissio.

Non sine admiratione spectavi Gulielmum Aurasiorum Principem accepto in collo vulnere sensum gustus amisisse: & militem Gallum consimili vulnere mutum evasisse. Est enim nervus duplex à tertiâ conjugatione manans, qui in laryngibus inseritur: altero quidem ramo lingua sermoni apta redditur, altero sapores percipiuntur: hoc quidem resecto, gustus: illo, sermonis usus amittitur. Quod cùm Aristoteles (a) non perspiceret, pro decreto posuit, nullum animal sine gustu vivere posse: At Princeps Aurasius amisso gustu tamdiu vixit, quoad occideretur: ac tametsi cibos, condimentis acribus, acidis, salsis parari juberet, nihil tamen gustu percipiebat, ut quidem ab illo accepimus: minus quoque mirum est, gustum amisisse, sed amitti sermonem ab eo, qui audiat lingua integrâ, incredibile antea mihi videbatur, nisi experientiâ compertum haberemus, (b)

a) *lib. de hist. animal. l. de ani. & de sens.* b) *Bodin. theat. natur. l. 4. p. 460.*

XIX.

Pulsus arteriæ in unâ horâ quot.

In homine valente, robusto, & perfectæ ætatis, complexionis melancholicæ aut consenescente, ferè singulis secundis minutis existunt singuli pulsus arteriæ, nullo discrimine inter systolen & diastolen, id essent in uno minuto pulsus sexaginta: Sed rara est

tar-

tarditas; vulgariter numerantur 70. in cholericis & fœminis 80. quatuor in ternâ secundâ: breviter in unâ horâ quatuor millia plus minus.

Keppler. epit. Astr. l. 3. part. 3. p. 278.

XX.

Cor animæ prima radix & primum vivens, ab ovo, cui gallina incubat, eruitur.

Ex quâ parte OVI animal fiat experientiam si consulas, ita sese res habet. Si ovum, quod sub incubante Gallina est, secundâ, tertiâ aut quartâ die aperias, atque accuratè intuearis, Cor esse membrum princeps, facilè animadvertitur. Nam fœtum primò formari, & in eo primùm cor, & cor in principio duas venas emittere, post fætus autem generationem membranas fætui inservientes concrescere, manifestè cernitur. Et quidem die octavâ cor non solùm ipsum constat, sed unâ cum venis colore simillimis, rubro nempe, conspicitur & apertè micat seu movetur. Quartâ die membranarum corpora jam confirmata & densiora facta minus perspicua esse incipiunt: septimâ autem propter concretionem omnem ferè fætum obscurant seu contegunt, cor tamen ob colorem rubrum conspicuum, ut vena etiam, atque ob motum videtur. Interea jecur nondum apparet, sed septimo demum die primùm liquor, seu mucor quidam luteus conspicitur cordi subjectus, qui jecoris concrescentis initium est, & sequentibus diebus in jecoris corpus concrescit, quod ad tempus, multum luteum adhuc permanet etiam in exclusis pullis. Atque in hoc jecoris loco totis novem diebus à primâ formatione sanguis nullus videtur: corde tamen interea maximè sanguinis ple-

no, & sanguine affluente ac turgente, ut & vena amplissima, infra cor toto corpore protensa. Ex quibus omnibus clarum evadit, Animam in corde, quasi radice hærere, & cor primum esse, quod vivat, & quasi animalis rationem habeat.

XXI.

Ex quâ parte Ovi pullus fiat.

Verùm, ex qua parte OVI pullus fiat, & ex quo generatus alatur, non ita planum, hoc tamen modo sese res habet. Mediâ vero ovi longitudine, in extremo ovi ambitu, quo luteum cum albo superius committitur, alterâ ab incubatione die consistit initium quoddam albescens, reliquo albo magis concretum, & quasi per vitrum species pulli, tenuissimæ nubis modo, consistere videtur, capite potissimùm conspicuo, & juxta caput puncto rubro, sese identidem dilatante & constringente, diebus proximis ab eo puncto rubro, vena admodum rubra, per totum pulli dorsum in dies longius protenditur: ex quâ deinde venæ ad pelliculas circa luteum ductas procedunt, juxta venam demum jecur luteo colore concrescit. Ex quibus colligere licet, pullum ex albo primùm formari: alimentum vero in sanguinem vertendum à luteo fieri, & per venas ad pelliculas, circa luteum protensas advehi, & in epate confici, quod epar etiam cum luteo similitudinem habet. Si quis tamen statuat, luteum sanguini & partibus sanguineis: album verò albis ex se genitis, & sibi similibus alimentum præbere, donec epar ad id roboris pervenerit, ut omnibus partibus alimentum præbere possit, atque ideò locum conformationis in confinio

finio

finio lutei & albi datum esse, cum eo non pugnaverim.

Sennert. l. 7. epit. scient. natur. c. 10.

XXII.

Vola manus suppurationem promovet, & cruditatibus medetur.

Hominis manus suppurationem in abscessibus promovet, sæpè admota, præsertim si tubercula illis tractentur, quod prin prohibere, cum suppurare non cupimus, solent. *(a)* Expertum quoque est, volam manus hominis expansam & ventri impositam cruditatibus adversari. *(b)*

a) *Plater. d. dol. p. 824. 837.* b) *Leon. Prax. l. 1. sect. 3. c. 13.*

XXIII.

Sanguis & jecur humanum abominanda Medicina.

Illud ex Septimii Florentis apologetico est, in arenâ jugulatorum nocentum sanguinem recentem de jugulo decurrentem, avidâ siti solitum hauriri, quòd sic comitiali morbo remedia quæri opinarentur. Aretæus etiam narrat, nonnullas se vidisse, fiolam subjicientes vulneri jugulati hominis, ac haustum cruorem bibentes: o facinus, grande, inquit, malum, malo piaculo depellere? & num ita ad sanitatem pervenerint, nemo mihi, ait, affirmare potuit. Quin inquit, quendam Auctorem legi, qui humanum jecur epulandum proponebat, quin hoc Scribonius Largus proponit, qui ait, quosdam etiam esse, qui sanguinem ex suâ venâ emissum bibent. Quid diceret ergò, vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra videret Pytha-

thagoras? Crediderim ſanè hæc ex obſcurâ Magorum, obſcænâque ſagarum ſcholâ profecta eſſe nihilque aliud quam aucupia Satanæ ad crudelitatem: ut hâc umbrâ velent magi ſua ſcelera.

Heurn. c. 23. de aff. cap. Vnz. l. 2. de Epil. c. 12.

XXIV.

Genu etymon; ſupplicum & reverentiæ nota, cur Iudæis in cruce frangi ſolitum.

Quod γόνυ Græcis, hoc Latinis ad eorum imitationem Genu vocatur. Græcis, quod flectendo γωνίαν hoc eſt, angulum efficiat, aut uti nonnulli ἀπὸ τοῦ κοινεῖν ab humiliando, cui namq; ſupplices, locum hunc ei flectere ac in genua procidere ſolemus: inde Becanus hunc locum Belgis Knie dictum autumat q. kennnie id eſt, qui ſunt poſitu, totos ſe arbitrio ac poteſtati ejus, cui ſe demittunt, tradere fatentur (*a*) Hinc in ſacris uſitatus hic loquendi modus: in nomine JESU flectetur omne genu. (*b*) Vivo ego, inquit Dominus, quia mihi flectetur omne genu: (*c*) anne hic mos ille tangendi genua, quibus reverentiam exhibere volumus; videtur ſane, anne hoc ævo ſolum in uſu? Veteribus uſitatum notant paſſim ſcriptores: Virgil.

& genua amplectens effatur talia ſupplex (e)

Claudian. de raptu Proſerpinæ;

——genubusq; ſuos cum ſupplice fœtu
admovere manus ——————

evidentiſſimè inſigniq; hanc notat conſuetudinem loco Plinius (f)

Hominis genubus quædam & religio ineſt, obſervatione gentium, hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus

manustendunt: hæc ut aras, adorant fortassis, quia illis inest vitalitas. Nam in ipsa genu utriusque commissura, dextrâ lævâque à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, qua perfossa, ceu jugulo, spiritus fugit. Anne hinc usitatum Judæis crucifragium instituere in iis, qui cruci affixi, cum extinctos eos vellent? & num illis diffracta genua? (g) Scio in historia crucifixionis Salvatoris Christi (h) tibiarum, crurum fieri mentionem; sed an non vocula σκέλη, quâ Evangelista ibi utitur, etiam Genua significat? Jam quid illa Plinii verba volunt? Gemina quædam buccarum inanitas inest? quid buccis cum genubus? dicam: Is embryonis in utero situs, crura complicata uti habent, calcibus nates, genubus genas tangens, nec desunt, ipsos oculorum thalamos ab orbicularibus hisce ossibus in utero effingi qui putent. Certè insignis genubus oculisque intercedit sympatheia, adeò ut in genua provolutis facilimè lachrymæ erumpant, nec desunt à genis, qui genua nomen traxisse existiment. *(i)*

a. d. g. i) *P. Paavv. part. 1. osseol. c. 4. & 9.* b) *D. Paul. ad Phil. c. 2. v. 20. ad Eph. c. 3. v. 14.* c) *Esai. c. 45. v. 23. D. Paul. ad Rom. c. 14. v. 11.* e) *l. 10. Æneid.* f) *lib. 11. cap. 45.* h) *Joan. c. 19. v. 32. 33.*

XXV.

Arthritis inveterata torturâ sanata.

Anno 1596. Nobilis & Magnificus Abrahamus à Grafenried, Reipubl. Bernensis consul vigilantissimus, domi suæ narravit mihi Comissarium quendam Arthriticum, gravium facinorum suspectum, ante annos 20. Bernam adductum, ibique multoties torturæ

turæ subjectum; inque eâ, cùm intrepidè innocentiam suam tueri pergeret, non modò criminis, verum & Arthriticorum dolorum, quibus ante torturam duriter affligebatur, absolutum fuisse.

Sic ego non infimæ sortis quendam 18. ab hinc annis familiariter novi, qui ante annos 16. graviter accusatus, Bernam adductus fuit, ubi cum tortura multis vicibus ipsi rigidissimè adhiberetur, ille verò innocentiam suam constanter affirmaret, tandem absolutus & pristinæ dignitati restitutus est. Hic antea per multos annos podagrâ miserrimè cruciabatur: à torturâ autem, postquam thermis Valesianis usus esset, valetudo ipsius adeò confirmata est, ut usque ad hunc diem superstes nulla doloris arthritici vestigia à torturæ tempore senserit, sed erectus in pedes, quantumvis senex insidere, atque incedere potis sit.

Fabric. observ. chir. cent. 1. obs. 79.

XXVI.

Podagricus insperato nuncio curatus.

Ducebatur ad supplicium, caput amissurus, quadragenarius Podagricus: in medio itinere allatus est de veniâ principis benignitate, misero illi concessâ nuncius planè insperatus. Illo sic affectus est miser ille, ut qui exanimis propè membrorum omnium usu carebat, statim alacri & expedito motu se in pedes dederit: annosque multos postea liber ab omni arthritidis molestiâ vixerit.

Anton. Fatius ad Fabric. l. 1. obs. chir. p. 221.

XXVII.

Mira podagræ curatio.

Decumbebat forte in Urbe Electorali, tetricus, ac

ac maledicus quidam podagrá laborans, qui unà cum corporis morbo, animæ vitia retinens, quantumvis lecto affixus, maledicentiâ tamen incurrebat in omnes. Sensit id quidam homo festivus, qui & ipse Podagrici petulante linguâ læsus fuerat, proinde sub crepusculum vespertinum, cum fortè ægrotus à familiâ solus esset relictus, clam ædes ipsius larvatus Æthiopis instar ingreditur: gradus conscendit: cubiculum aperit: graduque suspenso ad decumbentis lectulum accedit. Hinc ægrotus formâ insolitâ, solitudine, crepusculo ipso perterritus, voce contentiori, quis sit, cur & unde veniat, quærit. Alter, nihil respondens, pede silenti, tardoque lectulum propiùs accedit: tùm brachiis, quæ & ipsa morbo nodoso laborabant, arreptum, dorso injicit, atque itâ pendentem, vociferantemq; extra cubiculum effert, pedes illius gradibus, per quos descensus erat, identidem illidens. Ubi in areæ pavimentum ventum esset, ibi onere deposito, hominem sistit in pedes, nihil locutus, tantum intuens. Mox accurrit, quasi correpturus denuò, atque extra domum elaturus. Ibi, qui prius pedibus insistere præ morbo non poterat, nec in plano quidem ambulare, nedum per gradus ascendere, gradus cursu repetit, superat, ad cubile contendit, & per fenestras clamore totam viciniam excitat: accurritur; ille anhelus metu penè exanimatus commemorat, à spectro se lectulo extractum, extra cubile elatum, tractatum miserrimè, nisi nomen IESU ingeminasset, de se actum omnem fuisse. Factum mirantur omnes, maximè quomodo, qui prius usu pedum privatus fuerat, iisdem insistere, ac per gradus evadere potuerit. Quid fit, qui prius

Poda-

Podagricus, inde convalescit, nec unquam postea Podagrâ fuit tentatus. Res certa atque explorata, at non perinde certum, quænam sanationis hujus causa proxima & per se sit, &c.

Herman. Lignar. in epist 47. Centur. 1. Fabric.

XXVIII.

Causa mirè curata Podagræ.

Timor atque formidatio mortis hîc in causa esse potuit, sæpè enim mihi observare licuit, ut hi, quibus membrum aliquot amputandum, aut dens extrahendus erat, ante & in ipsa operatione dolorem vix perciperent: quandoquidem mens hominis à timore adeò afficitur, ut dolorem minimè discernat. Duobus inquit. Hippocr. *(a)* doloribus simul, nec eundem locum occupantibus, vehementior alterum obfuscat. Vis enim sensibilis tota, teste Galeno *(b)* ad vehementiorem abducitur, distrahiturq;. Nam & hoc nobis in mœroribus solet accidere, qui sunt & ipsi veluti dolores quidam, solius animi sine corpore. Mens itaque sive interna facultas, in iis, qui maximo aliquo timore ac metu corripiuntur, aliquo modo laborat, mirum itaque nemini videri debet, si dolor in externis partibus hinc obscuretur, & ferè non sentiatur, quod idem Hippocr. *(c)* affirmat: Quicunque, inquit, parte aliquâ corporis dolentes, dolorem ferè non sentiunt, iis mens ægrotat. In meticulosis tamen, cùm timor transit, doloris sensus paulatim redit. In historiâ v. proposita, præter timorem, violenta quoque interuenit articulorum extensio, agitatio atque dilatatio. Cæterùm quia propter timorem, spiritus & sanguis, ut Galenus docet, *(d)* intus

intus sese recipiunt, facilè fieri potuit, ut postea copiosè ad articulorum acetabula, jam antea propter concussionem, agitationem dilatata confluxerint, ibique materiam morbificam, quia nondum in tophos compacta fuerat, evacuaverint. *(e)*

a) *l. 2. aph. 46.* b) *in comment. d. aph.* c) *l. 2. aph. 6.* d) *l. 2. de caus. sympt.* e) *Fabric. centur. epist. 48. vide centur. 4. memorab. part. 1.*

XXIX.

Ursus in pedes Podagricum projiciens.

In Germaniæ oppido quodam ad Neccarum sito accidisse audivi, ut Podagricus quidam per angiportum à servis in sella delatus obviam haberet Ursum incitato cursu, iraque frementem, elapsum scilicet ex vinculis & irritatum à persequentibus: ibi præ metu aufugientibus servis, ipse quoque Podagricus consternatus, vires subitò ex terrore & desperatione sumsit, inque pedes se conjecit, quibus antea uti nullo modo poterat, idque convalescentiæ suæ principium habuit. *(a)* quare non immeritò Martialis.

O quantum est subitis casibus ingenium!

a) *Seidel. de caus. morb. incur. p. 101.*

XXX.

Paralyseos extraordinaria cura ex igne ac irâ.

Joannes Berla civis Arelarensis alterius partis resolutione affectus, complures annos miserè degebat, omni ope humana destitutus, ut quem non operosa Medicorum manus, non opportunè adhibita remedia, non cauta victus ratio observata, levare tàm diro morbo potuerant. Casus verò tàm mirificus inter-

S venit,

venit, flagrat igne domus in qua degebat, incenduntur tigna, propeque jam ad cubile in quo decumbebat æger flamma serpebat. Incendio omnia comprehenduntur, quum ecce æger & metu & irâ fremens, gravique timore perculsus, derepente sese erigit, seque summo nixu attollere conatur: mox verò incitatis corporis viribus, atque in unum collectis se è summo ædium præcipitem dat, à suis tamen adjutus, morbo confestim liberatur, restituiturque illi in parte sensus & motus, ita ut qui multos annos immotus constitisset, liberè deinceps absque ullo molestiæ sensu progredi cœperit, obfirmata etiam, in reliquum temporis quoad vixit, valetudine. Quæsitum est de me, quænam curationis ratio, quæ causa fuisset, ut quem ars sedula curare nequiverit, inopinato eventu, metuque & timore iraque occupantibus derepente sanus evaserit, admirando casu. Hæc sanè ea sunt, quæ & raritate suâ & mirifico eventu admirationem hominibus pariant, quorum causæ ut abditæ, in naturæ recessibus habendæ sunt, sic multâ animi intentione inquirendæ, atque etiam in lucem promendæ, quò mira naturæ arcana intelligamus. Cur verò ad hunc inopinatum eventum sanitas subsecuta sit, haud perinde difficile esse arbitror, pathematum animi vires æstimanti, naturæque potentiam penitius contemplanti. Itaque quid metus, timor, iraque simul prorumpentia efficere valeant, quid calor nativus intrò revocatus, moxque subsiliens, quid vis animæ corpori imperantis & ad illius nutum corpus agitantis prius intelligendum, quibus ritè perpensis, manifestum fiet, quibus nam ex causis curatio hæc proficiscatur, quibusque sit meritò adscribenda, &c.

Valleriola l. 2. observat. 4.

XXXI.

XXXI.

Ira & furor, contracti Salus.

Ego mirum quid vidisse me in Consobrino meo Joanne Sobiratio testari plenâ fide possum, qui quum Avenione convulsus annos plurimos constitisset, ita ut contractis poplitibus ingredi nō valeret: repentinâ irâ eâque vehementi percitus, in famulum quem plagis cædere nitebatur, ita corpus exagitasse, ut confestim distentis crurum nervis, poplitibusque emollitis, & sine ullo doloris sensu incedere & erectus stare, quum incurvo corpore annos totos plus minus sex constitisset, posset: deincepsque omnem vitam sanus evasit: ut quem non operosa medentium manus, non accurata Medicorum diligentia, non ulla medicamentorum genera curare potuerant, sola ira naturam exagitans persanavit.

Id. ib. p. 164.

XXXII.

Oleum & aqua fimi humani quid possint.

Oleum quod ex stercore humano elicitur, optimum in ulceribus: *(a)* ejus aqua stillatitia commendatur in fistulis & cicatricibus: *(b)* inter sumta aquam ducit in hydropicis: *(c)* Sed horrendum est, stercora vorare & lotia bibere, qualia multa à Mulo-medicis porriguntur. *(d)*

a) *Plater. de dol. p. 947.* b) *ib. p. 962. de vit. p. 392.* c) *de vit. p. 321.* d) *Libav. l. 3. sing. p. 938. Pansa de purgat, c. 22. Beck: Microcos: med. l. 1. c. 10.*

XXXIII.

Linguæ paralysis, à vena frontis, casu ruptâ, soluta.

Linguæ resolutioni, venæ rectæ in fronte sectio, præ-

 mis-

missis generalibus, confert. Quod fortuitò fuit observatum. Etenim quandam mihi cognatam ex apoplexia balbutientem curabam, quam delapsam per gradus, cùm ex vulnere frontis venâ ruptâ multus sanguis effluxisset, post expeditè loqui animadverti.

Dodon.l.1.prax.c.15.

XXXIV.

Vrsis, hebetudine oculorum laborantibus, ab ictu apium medela.

Oculi Vrsorum hebetantur crebro, quâ maximè causâ favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os, levet sanguine gravedinem illam.

Plin.l.8.c.36.

XXXV.

Corvorum naturalis Diætetice, in alvi fluxu per æstatem.

Corvi, quod æstate ventris fluxu laborare consueverint, fontium, fluviorum aut stagnorum Aquas illo tempore haud quaquam attingunt, nec Arethusæ splendidis, Istri frigidissimis, aut Nili latè stagnantibus lymphis, ut malum suum bibendo majus faciant, impelli se sinunt: non quod ab Hippocrate, Machaone, vel Chirone Diæteticen didicerint, aut ratione utantur, sed à naturâ docti ductique.

Theoph. Simocat. in Phys. Gessn. de avibus: p. 322. Dodon. l. 2 prax. c. 46. & 47.

XXXVI.

Fontium sub terrâ latentium, artificiosa indago.

Fontes subesse terris deprehenditur: vaporibus ante So-

te Solis ortum ſublatis, aut arborum ſubnaſcentium copiâ *(a)* aut vaſe ſub terram condito, cujus fundo annexa ſit lana candida ore deorſum verſo & obturato: nam die ſequenti lana vaporem ac ſaporem fontis indicatura eſt, ſi altius infodiatur: ſæpè tamen Aquæ pluviales fallunt imperitos. *(b)*

Plutarch. in Paul. Æmyl. b) *Bodin. l. 2. theat. nat. p. 203.*

XXXVII.

Mineralium vires, quot modis aquis communicentur.

Duplici modo vires & facultates mineralium Aquis ſubterraneis (ſive illæ per cataractas manifeſtas in terram ſeſe dimiſerint, ſeu paulatim combibitæ undiqúe confluxerint, aut primævâ origine & ſtabili naturæ lege ibi eſſe juſſæ ſint) communicari ſtatuendum cenſeo. Uno, mediantibus fuliginibus ſeu ſpiritibus è metallorum & mineralium matricibus continuò exſpirantibus: altero inter, veniente reali aquarum & mineralium mutuo contactu.

XXXVIII.

I. Modus.

Priori modo aquæ ſubterraneæ medicatæ fiunt, dum Archeus ille ſeu vulcanus ſubterraneus, natura videlicet illa mineralis & metallica, virtute atque influxu corporum cœleſtium, Solis in primis ac reliquorum Planetarum, tùm etiam interno & nativo ipſius terræ calore adjuta, in coctione, maturatione ac perfectione metallorum & mineralium intra terræ receſſus occupatur, opere continuò durante, ubi maxima ſubinde fuliginum & exhalationum copia è mi-

neralium matricibus seu mineris proditus, hinc inde per terræ poros diffunditur, & subtiliores ac magis spirituales mineralium substantiæ, quæ vaporibus & aquis subterraneis adjunctæ, propriis suis virtutibus easdem tingunt. Ingens verò est ejusmodi exhalationum diversitas: interdum enim ex unius duntaxat generis, interdum ex diversi generis mineris prodeuntibus fuliginibus Aquæ tinguntur: hinc etiam unius solummodò mineralis aliquando, nonnunquam plurium vires & facultates, repræsentant, quod potissimum subsequenti tempore in effectuum, quos edunt, diversitate, ac sæpènumero eorundem contrarietate, variè exerunt. Quandoque fuligines omnium subtilissimæ, essentiæ nobilissimæ ac verè spiritales naturæ tantùm è mineris exhalant, aquisque communicantur, sine omni crassioris alicujus fuliginis admistione: unde quoque tales aquæ perpetuò tenues & pellucidæ apparent, nullamque in fundo vasorum faciunt subsidentiam: hinc vires quoque talium Aquarum etsi alioquin efficacissimæ, ob sum̃am tamen spirituum tenuitatem ac fugacitatem, facilè evanescunt præsertim si vel Soli aquæ diutiùs exponantur, vel in aëre non benè coopertis vasis detineantur aut gestentur. Ceu in acidulis quibusdam fieri solet e.g. Schwalbacensibus, quæ propterea, si ex ipso fonte bibantur saluberrimæ & virtuosissimæ deprehenduntur: Si verò per milliaria aliqua ferantur, minus efficaces minusque gratæ sentiuntur, quod potissima earum præstantia & virtus consistat in subtilissimis illis substantiis, seu spiritibus mineralium fugacibus & evanidis, quibus exspirantibus aquæ magnâ ex parte suas & vires & laudes amittunt. Hinc quàm

quàm optimè valetudini ſuæ conſulunt aquarum iſtarum potatores, ſi ad ipſa ſcaturiginum loca profecti ex ipſo fonte aquam viribus ſuis integris conſtantem hauriant potiùs, quàm ſi eandem è longinquis oris ad ſe deferri curent, quod delationis tempore virtutes potiſsimum medicamentoſæ ferè totæ evaneſcant, aut ſaltem plurimum infringantur.

Interdum non elevatur tantùm ſola ſpiritalis ac tenerrima ſubſtantia, ſed cum hoc etiam nonnihil craſſioris fuliginis attollitur, quæ deinceps aquas efficit denſas ac minùs claras, in quibus plerumque ſubſidentia ſuccedens evidens craſſioris ſubſtantiæ argumentum præbet. Tingi verò aquas medicatas virtute mineralium juxta primùm hunc modum, mediantibus nimirum ſpiritibus & fuliginibus, evidenter demonſtratur vel ſolo iſto & quaſi palmario documento, quòd non paucæ dentur aquarum medicatarum ſcaturigines, quæ quidem nullâ ſui ortus aut profluxus parte mineras ipſas, quæ interdum in locis longè diſſitis reperiuntur, attingunt, quod non ſemel comprobatum eſt ab iis, qui ut certiùs conſtitui poſſet de aquis medicatis judicium, loca minerarum fodiendo examinarunt, ubi deprehenſum fuit, neque in ipſo ſcaturiginis loco, neque circa vas & canales, quas aquæ perfluunt, eſſe aliqua mineralia, ſed vel in vicinis montibus, aut aliis locis ſubterraneis circumjacentibus: quis quæſo tales aquas aliunde, quam ab ipſis mineralium exhalationibus terræ poros undique perreptantibus tingi, & medicatas fieri affirmet? ſummam rei ipſius evidentiam augebit ſenſus ipſius teſtimonium, ſi loca adeamus ea, ubi plures ſunt talium aquarum ſcaturigines, maximè ſubterranea, ubi quivis fa-

facilè vaporum & exhalationum præsentiam ac qualitates deprehendet.

XXXIX.

II. Modus.

Priori isto modo, quô metallorum ac mineralium facultates aquis mineralibus imprimi demonstravimus, posito, non tamen alter ille excluditur, etsi paulò crassior, quô nimirùm aquæ subterraneæ loca mineralium alluendo, ob contactum ejusmodi corporalem non tantùm virtutes, sed ipsas quoque mineralium partes arripiunt, à quibus consequenter medicatæ fiunt. Hoc etsi non æquè procedit in omnibus, imprimis maximè solidis, in plerisque tamen mineralium id ipsum evidenter demonstrari posse sole meridiano clarius est. Et ne in re tàm evidenti & planâ prolixus sim, consideremus, quæso, diversa terrarum & bolorum, tàm salium quoque genera, satis, opinor, constabit, etiam tunc posse aquas subterraneas dictorum mineralium virtutes imbibere, si vel in natalibus eorundem locis colligantur, vel rivis suis aliunde deductis ea promeent alluantque. Sic enim aquæ, quæ vitrioli, salis, Nitri gemmei, vel alterius ejus generis aut boli seu terræ cujusdam mineram perfluit, utique illius naturam & facultates non magis à spirituum commixtione, quàm substantiæ vel salinæ vel bolaris reali imbibitione recipiet & continebit.

Horstius de nat therm. E iiii a. & seq. Rimmelin. de ferin. Weltz. p. 4.

XL.

Thermarum calor ex pugnâ contrariarum scaturiginum.

Vero non parùm consentaneum videtur Thermas fieri ex aquis duabus vel pluribus metallicis suâ naturâ ad tactum frigidis, concursu verò ob spirituum repugnantiam incalescentibus. Cujus rei exemplum præbet, spiritus vitrioli & oleum vel sal tartari; item aqua fortis & tartarum, butyrum antimonii & spiritus nitri: quæ etsi ad tactum sunt frigida: tamen si misceantur, incalescunt; & quidem ita, ut si repente aquæ forti, in quâ ferrum solutum est, oleum tartari infundatur, non solùm ebulliat, sed & flammam mistura concipiat: quòd etiam accidit, si butyro antimonii dicto confertim Spiritus Nitri infundatur. Itaque absurdum non videtur, si duæ scaturigines, repugnantium talium spirituum mistura constantes, in concursu misceantur, Aquam inde incalescere.

Sennert. l. 4. epit. sci. natur. c. 10.

XLI.

De Thermarum calore, alia opino.

Thermarum causam efficientem ignem ipsum vel actuarium subterraneum esse puto; nam 1. hujus proprium, res in intenso caloris gradu collocare 2. ut terræ anfractus & cavernæ passim plenæ sunt, heic aqua, ibi aëre, ita alibi igne: quum multis in terris videamus caminos igne perspicuos, & evidétes effectus, fumum, flammam, fervorem locorum, incendia, ferventes aquas. Atque ita terra nonnullis in locis quasi

æterno quodam igne prægnans eſt. Et ſicut ignis per varios terrarum tractus, eosque aliquando longiſſimos, ad milliaria multa permeat, donec alicubi exhalet hoc vel illo modo pro loci conditione: ita cuniculos aliquando etiam intrat indubiè cum aquis, easque pro virtute igneâ, quam obtinuit, aut fervidas reddit, aut calidas, aut tepidas. Perſpicuum tale actualis ignis ac incurrentium ſimul aquarum exemplum habetur inter Puteolos, & Neapolim, in campo vulcanio, qui Sulphuraria dicitur, item aliis in locis. Adeò ut ignis non tantùm quaſi ſubjectus canalibus aquarum calefaciat eos, ceu voluit Empedocles, verum etiam ipſum ignem canales in alveo contineant.

Bartolin. l. 2. de aq. c. 8.

XLII.

III. Opinio.

Notandum loca ſubterranea non tantùm frigida, ſed etiam calida reperiri, quod ejusque obſervatum fuit ab iis, qui refoſſos ad viſcera terræ cuniculos ingrediuntur, ut venas metallorum diſcurrentes tangentibus calidas, omni actuali igne deſtitutas invenerint. Hunc calorem nec à Sole remotiſſimo, nec igne vel flamma productum, ſed nativum terræ calorem agnoſcimus, quam ob cauſam igneâ flammâ negatâ calorem actualem nihilominùs concedimus, per quem nihil aliud intelligimus, quàm ſpiritum quendam calidum, ſeu calidas exhalationes terræ ſingulari providentiâ conceſſas; quis enim terram niſi per abſtractionem, quatenus ut purum elementum conſideratur, merè frigidam ſibi poteſt imagina-

ginari, cùm ex mandato divino,(a) Herbam virentem, semen facientem & lignum fructiferum, cujus semen in semetipso sit, juxta genus suum, germinare debeat? his calidis spiritibus & exhalationibus, non violento motu, sed naturâ calefacientibus, in quibusdam locis terræ meatus calefiunt, ut parietibus concavitatum ejusmodi fervor communicetur, cujus ratione calor sufficiens & perpetuus ipsis thermis communicari possit, quemadmodum ex clibano calefacto, flammâ omni remotâ, panem nihilominus sufficienter assari, concoqui & maturari videmus, &c.

a) *Genes. cap. 1. vers. 11.* b) *Horstius de nat. therm. C. iii. b.*

XLIII.

Imbres non semper à vaporibus, sed & ab Aquis supra cælestibus.

Imbres non semper à vaporibus sursum elatis decidunt, ut Aristoteli placuit, quia si vapores illi tenuissimi, quibus nubes cogi & coactas liquari videmus, ad imbrium tantam copiam, quanta assiduè funditur, sufficerent, aquarum ascensus ac descensus semper circularis esset, nec quicquam humoris à terræ siccitate, nihil ab æstivis ardoribus, nihil ab alimentis stirpium & animantium hauriretur: quæ si absurda sunt, sequitur Aquarum Elementarium detrimenta ab Aquis supra cœlestibus sarciri, alioquin partium assidua detractio, tandem aquas omnes absorberet.

Bodin. theat. nat. l. 2. p. 213.

XLIV.

XLIV.

Mira salsarum Aquarum, præ dulcibus, in ferendis oneribus proprietas.

Aqua una aliâ gravior est, prout in se plus vel minus terrestreitatis, vel terrestrium partium habet. Verbi gratiâ: aqua marina est crassior & corpulentior, ob salsæ & terrestris materiæ admistionem, quàm fluvialis; ideò in illâ, quam in hac facilior est natatio, & graviorum ponderum sustentatio, adeòque onustæ naves dulcibus aquis faciliùs immerguntur quàm salsis. Hinc ovum, quod in aquâ dulci mergitur, aquæ salsæ innatat; imò Mare non tantùm invecta magis sustinet, sed & dulces ipsas aquas, tanquam leviores in se fluitare patitur, quam ob causam, accedente magno impetu, Danubius in Euxinum mare excurrens plus 40000. passuum supra marinas vehitur. Hinc illud accidit in Palestinæ lacu vehementer salso accrasso, si injiciatur vel homo, vel bellua aliqua, etiam revinctis membris omnibus, nunquam demergetur, sed supernatabit perpetuò; ita in Africæ lacu Aposcidamo omnia fluitant, nihil immergitur.

Bartholin. l. 1. de Aquis cap. 3.

XLV.

Affluxus & refluxus Maris, Causa.

Affluxus & refluxus, est Maris motus, à seipso non nisi majore atque minore differens, & horarum & temporum intervallis. Hic autem motus omnis, cùm duplex sit, & quamvis conjunctus, tamen alter alteri con-

contrarius eſt, à contrariis duabus neceſſe eſt fieri cauſis utrumque, ſicuti contrarii ſunt effectus, tumor & depreſſio. Affluxus enim non ſine tumore aquæ fieri poteſt, refluxus non ſine aquæ depreſſione. Dum ergò intumeſcit, altior aqua fit: dum detumeſcit, aqua fit demiſſior. At quâ causâ, quâve ratione aqua altior fieri & attolli poteſt? Eâ nimirùm, quã quotidiè experientia oſtendit, ad focum, dum ollæ lebetesque bulliunt. Bulliunt autẽ quia fervent. Fervent à calore ſuppoſiti vel appoſiti ignis. Et niſi calerent, non ferverent, nec bullirent, nec attollerentur. Dum verò bulliunt, & attolluntur, neceſſariò rareſcunt. Ergò per rarefactionem, quæ attolluntur aquæ, altiores ſeipſis fiunt. Rarefactio autem fit partibus aquæ dilatatis & majoribus redditis: à calore nimirum partes aquæ in vapores ſolutæ. Eodem modo hoc (nullum enim alium experientia oſtendit) neceſſe eſt Mare intumeſcere, ob poros ejus rarefactos, & in vapores aquæ parte actâ, ab inſito maris calore, à Sole interdiu, à Luna etiam noctu ſideribusque concalefacto, per quem calorem quaſi animi ſui, ſpiritusque inſtrumentum quaſi vivens, neque ſcit, neque vult, neque poteſt. Cùmque planum jaceat, & fit æquor & aqua ejus æqua, quò nam motum ſuum tendat non habet, præterquam in ſeipſum, & littora, vel circumſtantia, vel adſtantia, vel appoſita. In ſuppoſita in quam. Nam plurimis in locis in fundo maris ſunt voragines ingentes, quæ Maris ingentem vim, tàm abſorbent, tàm regurgitant. Cùm ergò omnibus in maribus, ubi calor hic, & ſpiritus concitantur, & mare rarius reddant, & in omnibus maris partibus raritatem efficiant, neceſſario inflantur omnes & altiores

fa-

factæ, impetum quò possunt capiunt & sibi invicem mutuas tradunt operas, & impediunt & eo conflictu variè agitantur neque omnes horâ eadem. Atq; hinc est varietas illa horarum, prout affluxus ad littora à littoribus parum aut multum distant. Sic statis horis 6. affluxus accedit, totidemque recedit. Quoniam eædem vires, quæ affluxum operantur rarefactione, nullâ re vel diminutâ vel impeditâ, operantur & refluxum densatione. Et quia illa inflat Mare 6. horis, horis 6. aliis æqualis eadem illa deflat. Seu, quod 6. horis proprio loco abierat, vigentibus iisdem viribus locum eum repetit, & quasi in circuitum mare sese in se circumvolvit, &c.

Cassman. l. 2. probl. marin. q. 11.

XLVI.

Fontes è mari ortum habent.

Etsi concedamus aliquam ex vaporibus in terræ cavernis condensatis aquam generari posse & hanc fortasse fonti cuidam originem præbere: tamen aquarum copiam ex iis generari, quantâ quotidie tot fontes & flumina decurrere videmus, persuaderi non possumus. Quapropter eam potiùs amplectamur sententiam, quæ & omnium antiquissima est, quâ Ecclesiastes(a) his verbis comprehendit: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant; statuamusque cum plurimis doctissimis viris (b) fontes ut in Mare fluunt, sic etiam è Mari ortum habere. Quoniam alio modo perennitas fluviorum explicari non potest, nec causa reddi, cur Mare tot flumina recipiens, non exundet: aut cur fontes ex altissimis mon-

montium jugis oriantur. Et nisi flumina è Mari ortum haberent, fieri non posset, quin Mare nimium augeretur. Neque enim nullam proportionem habent flumina ad Maris molem, cùm quædam validissimo impetu tantâ copiâ in Mare infundantur, ut ad multorum milliarium intervallum, in continente, dulces aquas inter marinas Nautis præbeant. (c)

a) *Cap. 1. v. 7. Sirac. c. 41. v. 11.* b) *Cassman. l. 1. probl. marin. quæst. 4. Bodin. l. 2. theat. nat. p. 191. Plin. l. 2. c. 66. 67. & 108.* c) *Sennert. l. 4. epit. sci. nat. c. 10.*

XLVII.

Fontium in altissimis montium jugis scaturientium origo.

Atque hinc facilè causa reddi potest, cur fontes ex altissimis montium cacuminibus oriantur, cùm enim globus terræ sit rotundus & marinæ aquæ magna sit copia magnumque pondus, facilè etiam potest aquam per terræ venas fluentem, in altissimos montes ponderè suo protrudere.

Sennert. l. c.

XLVIII.

Aquæ & Aëris circulatio ad inhibendum vacuum.

Aqua non recto tramite ad montium culmina sursum scandit, sed per varios flexuosósque anfractus, & utut rectiore itinere ascenderet, tamen facto primo exsultu fontium, à DEO, necessariò continuatâ & non interruptâ fluxione labetur aqua à Mari usque ad locum fontis: aliàs daretur vacuum, inter aquas inter-

interruptas,quod Natura non admittit. Neque enim ibi ſtatim in promtu Aër, qui vacuum impleat,aut ubi eſt,aquæ ſe jungit & aliam ſalire alicubi facit urgente flatu; & certè faciliùs Aqua vicina priorem ſequitur, quam aër in terræ viſcera ſe inſinuare poſſet. Patet hoc experimento: ſi quis fiſtulam ad angulum obtuſum compoſitam, unâ parte in aquam demittat,alterâ autem in aërem, deinde Aquam exſugat, faciet Aquam aſcendere, quæ deinde continuo lapſu fluitabit inſtar fontis.

Bartholin. l. 2. de aq. c. 3.

XLIX.

Aqua glaciei & Nivis cur inſaluberrima.

Ex Glacie & Nive Aqua inſaluberrima eſt,quia frigus concretum in glacie & nive ſimul cum terrena ſubſtantia manet, non eliquatum extractúmque vi & calore Solari: imò vi frigoris coagulationem perpeſſa, meliorem partem, nimirum levitatis, dulcedinis & ſplendoris amiſit, teſte Hippocrat. cujus verba ſunt hæc *(a)* pravæ omnes aquæ, quæ ex nive & glacie fiunt, ubi enim ſemel concreverint, non ampliùs ad priſtinam naturam redeunt: Sed quod in his quidem ſplendidum, leve & dulce excernitur, & evaneſcit, remanet verò quod turbidiſſimum & ponderoſiſſimum: τὸ θολοδέστατον καὶ σταθμωδέστατον. *(b)* Relinquitur enim ſeipſo craſſius miſtum, à quo aufertur tenuius, quod craſſius à frigido ſeipſo fit crudius. *(c)* Quod hac ratione deprehendas: ſi enim hyemis tempore vaſculum, certâ aquæ menſurâ affusâ; ſub dio exponere voles, uti maxime congeletur, deinde poſtridiè in locum calidum delatum, ubi glacies maximè

mè liquéſcat, cumque ſoluta fuerit, iterum aquam metiaris, aquam multò pauciorem reperies. Hoc certè indicio cognoſces, quod congelatione, id, quod eſt leviſſimum & tenuiſſimum, evaneſcit & expirat, non quod graviſſimum & craſſiſſimum; itaque nivoſas & glaciatas Aquas deterrimis annumerandas eſſe, quis eſt, qui contradicat? Cùm enim Aqua, ratione naturalis ſuæ frigiditatis, quantumvis ſaluberrima, diutiſſimè moretur in præcordiis, & in flatus mutetur ac corrumpatur, ventriculi robur diſſolvendo, quid non tentabit Aqua pejorem aliquam aſciſcens qualitatem? hinc craſſa, turbida, fætida, contumaciores obſtructiones viſcerum, ipſumque calculum progenerabit, ac forſan febrium malignarum cauſa exiſtet, aut alio quodam modo naturam de ſtatu ſuo ſalubri dejiciet. *(d)* Quarè non immeritò Plinius: heu ventris prodigia; hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in gulæ voluptatem vertunt. *(e)*

a) *l. de aër. aq. & loc. 6.* d) *Panſa l. 2. pract. de pror. vit. c. 16.* c) *Oberndorf. d. l. Ungar. c. 13. Bartholin. l. 1. de aq. c. 8.* e) *lib. 31. c. 10.*

L.

Aqua egelida peſtilens.

Aqua ob frigiditatem inſignis, æſtuanti cane pejus & angue fugienda, cum enim epota interdum hauſtu primo interficit. Tum enim aqua ſe recipiens ex parte in pulmones hiantes cor petit, ejusque viciniam, ubi nativum calorem ſubito nimioque frigore perimit. *Bartolin. l. 2. de aq. c. 7.*

LI

Ex aquæ frigidæ potu mortui.

Antonius Parmensis juvenis quidam robustus, cùm sub feruentissimo Sole & magni æstus tempestate pluribus diebus in itinere fuisset, ardentissimâ tandem febre correptus est: quare cùm vehemens eum sitis urgeret, frigidissimâ aquâ epotâ, mortuus est. *(a)* Ita quoque Valerius Cordus, juvenis doctissimus, magnæ spei adolescens (ut ejus scripta adhuc hodie demonstrant) consodalis & familiaris amicus noster, cùm equo Romam iret cum Cornelio Sittardo juvene, amico etiam nostro carissimo, quos & ego paulò post, Bononiâ discedens, sequens, Romam veni pedestri itinere. Illi verò circa dies caniculares tempore admodum fervido in montibus Florentinis cum plurimas herbas collegissent: Valerius deinde siti validâ cum premeretur, gelidamque subinde bibisset aquam, quâ cruditate obortâ & obstructione, tandem Romam veniens febre ardentissimâ correptus est, quâ illustrium Medicorum ope, cum restitui non posset, eâ nocte, cùm illi assistens eram, vitam cum morte finivit. *(b)* An. 1544. d. 25. Sept. æt. 29. *(c)*

a) *Benivven. de abd. morb. caus. c. 16.* b) *Forest. in præf. obs. de febr. ephem. l. 1. de febr. schol. ad observ. 13.* c) *Bucholtz. in ind. chron. p. 562.*

LII.

Una visio à duobus oculis quî fiat.

Quî fit, cum duo sint oculi, quod una duntaxat, & non duæ objecti visibilis imagines percipiuntur? Resp. quòd una duntaxat duobus oculis imago percipitur, in causâ est primum sensorium, idque numero unum,

in

in quo omnis actu fit sensatio: propter eandem rationem, geminis auribus unica tantùm vox auditur.

Breitbis. disp. 5. somatol thes. 2.

vide part. 65. centur. nostr. 2. memorab.

LIII.

Specilla non per se, sed à lumine concentrante, visum acuunt.

Faciunt ne Specilla, ut meliùs videamus? respondeo, quod per se non: Sed hoc præstant, ut plus luminis recipiant oculi, & ita meliùs etiam recipiant colores. Oculi senum propter siccitatem terrestrem minus recipiunt luminis: ideoque adjumento opus habent specillorum, in quibus ob vitri cavitatem unitur, & quasi concentratur lumen in puncto, & ita unitum ac validum oculos penetrando lucidiores reddit, aptioresque ad colorum meliorem receptionem.

Goglen. p 65. in synops. Geometr. & opt.

vide cent. 2. nostr. memor. part. 58. 59. & 60.

LIV.

Radius reflexus fortior est unito.

Radius reflexus semper fortior est incidente: nam reflexio auget & multiplicat calorem, uniendo plures radios, qui ex pluribus punctis in unum concurrunt, facientes pyramidem radiosam: unde plures radii ex diversis corporis radiantis, ut Solis, locis, in unum coacti & concurrentes, tantùm calorem excitant, ut admota materia combustibili (stupâ) ea ignescat & accendatur, sicut in speculis fit concavis, Soli oppositis, quod docet experientia, ob radios infinitos in centro speculi concurrentes.

Goglen. in synopſ. Geom. p. 52. & 58. Thurneiſſ. l. 7. c. 37. de aq. calid. & min.

LV.

Color cœli cæruleus eſt ab aëre & ſole.

Color ille, qui ſudo cœlo matutinis horis oculos noſtros incurrit cæruleus (oculorum indicio Himmelblaw) non eſt color ætheris, ſed Aëris, à Solis radiis transverſim illuminati: 1. Si enim in cœlo eſſet, etiam de nocte cerneretur, cælum enim, quippe longè altius umbrâ terræ, eſt etiam de nocte in Solis radiis. 2. quia montana remotiora, per aërem etiam puriſſimum translucentia, pingunt ſe ſuper papyro, colore cæruleo, tanto magis ſaturo & obſcuro, quantò longius eſt intervallum.

Keppler. Aſtron. l. 1. part. 3. p. 54.

LVI.

Caloris & Frigoris cauſa.

Longitudo diei, quæ eſt æſtate, eſt quidem inter cauſas caloris, non eſt tamen plenaria & genuina causâ. Nam longiores ſunt dies in Zonis frigidis, quàm vel in temperatis vel in torrida, æſtus tamen major eſt in torridâ. Appropinquatio autem Solis ad verticem, temporibus meridianis, eſt cauſa æſtatis, & receſſus ejus à vertice in horis meridianis, quando omnium proximus eſſe poteſt vertici, eſt cauſa hyemis. Quantò autem altior & vertici propinquior, tantò rectiori radio ferit planitiem telluris, tanto igitur fortius. Humilis verò & horizonti approximans ex obliquo terras illuminat, quæ irradiatio, ut alias in ictibus, ob declivitatem irrita & imbecillis efficitur. Solis quoque hæ cauſæ cæleſtes, non efficiunt æſti-

æstivos menses calidos à 12. 22. Iunii in 13. 23. Septembris, sed plurimum hîc potest materiæ tarditas. Nam etsi sol æquè altus est, in medio Tauri & in medio Leonis: at crassum Terræ corpus demum incipit calefieri, Sole in Tauro versante: at in Leonem Sole transgresso, calor jam tres menses duravit, & Terræ jam antea fervefactæ, novus quotidie calor super ingeritur, caloresque hærentes aliquamdiu in materia accumulantur. Hæc etiam causa est, cur dies ferventior sit duabus horis post meridiem, quàm ipsâ horâ meridianâ.

De Hyeme judicium idem esto. Nam etsi quadrantes: Autumnalis & Hyemalis, humilitate Solis æquales sunt per Autumnum tamen calor est aliquis, Hyeme merum frigus: Quia Sole post æquinoctium paulatim discedente à nostro Hemisphærio, terra caloris aliquid ex æstâte retinens, tempore opus habet, ut refrigeretur: Hyeme verò terra jam satis frigefacta, nivibusque & glaciei crustis obtecta, non ita facilè à solis radiis nudari, refocillari & calefieri potest, etsi sol sese paulatim à puncto Eclipticæ humilimo, per eosdem gradus altitudinis, quos habuit in Autumnali quadrante, sustollit.

Keppl. l. 3. Astron. part. 4. p. 316. & seqq. Tert. interven. prop. 23.

LVII.

Motus caloris utriusque in nobis tutor.

Motu æquè ut cælestis calor, sic noster implantatus actionum opifex omnium, conservatur. Gaudet enim motu, cujus principium est Natura, languent quiete cuncta. Ita, intempestivum otium nobis de-

trimentosum, calorem enecat, meatus obstruit, alimenti distributionem & spirituum progressum impedit, excrementa congregat, inprimis fuliginosum illud, quali suffocari ignes cernimus nulla aura ventilatos. Sed contra justæ commotiones fructuosissimæ. Præter quod enim sanguinis agitatu, excrementum flatulentum crebriori expiratione, & simul quæ cuti insunt superflua expelluntur, etiam caro incalescens universa, & distenta, nutrimentum attrahit & admittit quoquo versum, imò inanitis visceribus refectionis excitat desiderium. Sicut autem in Natura motum quies excipit, ita vigilia, quæ actio, in somnum, qui cessatio, desinat. Quas vicissitudines Natura ob duplicem calidi innati motum sic dispensavit. Nam, quemadmodum candelarum flamma, nunc foras sese proripiendo, nunc verò intrò remeando, perseverat: aliàs si tota intro commearet, majori flamma seipsam consumtura, foras verò longiùs sese efferens, ad evanescentiam usque dispersura: ita easdem quoque vices noster obit calor, ne secus, vel assiduis vigiliis dissipetur, vel longiore somno suffocetur. Quemadmodum autem morte vita præstantior; sic somno vigilia, ita ut esse dubium nemini debeat, primam & potissimam caloris ingeniti commotionem, eam à natura institutam, ut se foras ad agendum conciliet; secundariò verò alteram, ut alimenti causa intrò agatur.

Jessen. consil. adv. pest. p. 25. 26.

LVIII.

Hæmodiæ ab acutè stridentibus causa.

Si interroges, cur hæmodia aliquando excitetur

strido-

ſtridore, veluti cum vitrei orbes raduntur, aut rotæ ſiccæ ſtrepunt acutum quid, dum verſantur, vel cultellus cultello affricatur, vel exterguntur gladii aliqua radulâ, ut ſonus fiat acutus, reſpondeo, hæmodiam fieri, ob cognationem nervi auditivi, cum his, qui dentibus inſeruntur, arbitramur. Eſt enim hæmodia quædam dentium *ἀπονία* ſeu imbecillitas ex ſpiritus, calorisque atque etiam nervi debilitate, ſive ab ortu, ſive poſtea ab acidis, frigidis, ſimilibusque adducta. Quibus catarrhi in dentes frigidi incumbunt, his familiaris eſt ea affectio, nec ab acidis tantùm ſuccis, ſed & frigido aëre, unde ita obſtupeſcunt, ut in mandendo poſtea vix præſtent officium. *(a)* Cognationem verò nervi auditivi cum eo qui ad dentes diſſeminatur, ita explicat Aluerda Anatomicus, craſſior tertii paris (nervorum cerebri) ramus paulo anterius originem nanciſcitur. At ex cerebri pariter lateribus, perque ſeptimum & octavum cuneiformis oſſis foramen emergit, ramum ilicò, qui inſtar capreolorum vitis, aut cucurbitæ, in orbes convolvitur, durior ſenſim evadens, donec duabus quinti paris propaginibus conjugatur, quibus commiſtus in temporalem muſculum, in molitorem, cæterosque omnes faciei muſculos & in ipſius cutem digeritur. Ubi hunc expromſit ramum, deorſum nonnihil magis fertur, ſurculumque alium in dentium gingivas effundit. *(b)*

a) *Libav. l. 2. ſing. p. 144.* b) *l. 7. anat. c. 6. & 7.*

LIX.

Odoris & Saporis cognatio & diſcrimen.

Odoris & ſaporis ea eſt cognatio, ut omne ſapidum odoratum ſit, & omne inſipidum odore deſtitua-

tuatur. In eo tamen differunt, quòd in ſapore humiditas, in odore ſiccitas prævalet. Hinc nitrum eſt odoratius Sale, & Sal ſapidius nitro, quia in nitro plus ſicci, in Sale plus humidi eſt: & res odoratæ, ſi nimis humectentur, odorem amittunt. Eâdem de cauſa, ſi poſt ſiccitatem pluvia decidat, in principio odor quidam percipitur: quia ſiccum cum humido permiſcetur: tamdiu verò ſaltem odor durat, quamdiu ſiccitas humiditatem ſuperat, ſi verò pluvia diu continuetur, ut ab humiditate ſiccitas vincatur, odor etiam ceſſat.

Sennert. l. 7. epit. ſcient. nat. c. 5.

LX.

Putrefactio & corruptio diverſa.

Non idem eſt putrefactio, & corruptio, hæc, mutatio eſt, rei ab eſſe, ad non eſſe, inducit privationem formæ, ut acquirat aliam: illa eſt præparatio & via, quæ ducit mixtum ad corruptionem. Hæc finis eſt, ad quem res mixtæ tendunt, illa principium eſt, quod ducit ad finem. Hæc relinquit continuò ſemina producendi ſimilem effectum, illa, dum manet in latitudine ſuæ naturæ, non producit ulla ſemina infectionis; Hæc nullo unquam tempore recuperare priorem formam poteſt, vel natura vel arte: illa poteſt externo auxilio, vel ex ſeipſa redire ad priorem ſuum ſtatum.

Augen. lib. 1. c. 4. de peſte.

LXI.

Qualitatum in mixtis harmonia inſignis.

Ut Elementa mixtis inſunt, ita etiam qualitates, nem-

nempe potentiâ: Summæ proinde in ſuo genere, ſed contrariorum compoſitione veluti refractæ, Calidum & Frigidum activæ ſunt, Humidum & Siccum paſſivæ qualitates. Calidi eſt movere, ergò Frigidi motum impedire. Humidi eſt nutrire: Ergò Sicci nutrimentum inhibere. Sed quia eſſe in Calido & Humido ſubſiſtit, hæc inter ſe proportionata eſſe oportet, ut Calidum quidem moveat Humidum: hoc nutriat Calidum: Succenturiatæ adſint reliquæ duæ, ſcilicet ut Frigidum defenſet Humidum, ne à Calido diſſipetur, & Siccum adſit ipſi Calido, ne ab Humido obruatur.

Zwing.phyſ.l.2.c.29.p.442.

LXII.

Elementorum harmonia vocalis.

Apta colligatio Elementorum facit, ut tantâ contrarietate inter ſe diſſidentia tot ſeculis Mundi concordiâ tueantur; Ignis ſc. calidiſſimus, cum Aëre frigidiſſimo, utrumque utriq; tenuitate ac ſiccitate congruẽs: Aëris frigidiſſimi cũ Aqua humidiſſimâ, & utrique congruens frigiditas: Aquæ humidiſsimæ cũ Terrâ ſicciſſimâ & utriq; congruens gravitas: ſine quâ humiditate, terræ partes in atomos ac pulveres diſſiparentur, ac ſterilitate penitus exareſcerent, ab humore verò colligantur & fœcunditas ingeneratur. Finge enim tibi quatuor voces, acutiſſimam, quæ ignem ſubtiliſſimum & ardua quæque loca petentem referat: graviſſimam, quæ Terram: medias autem voces Aërem & Aquam, eâ tamen proportione, ut quæ ratio eſt Terræ ad Aërem, eadem ſit Aquæ ad Ignem; id eſt, utrobique dupla ſive diapaſon. Terræ verò

 ad

ad Aquam, & Aëris ad Ignem ſeſquialtera, ſeu diapente: Poſtrema Aquæ ad Aërem ſeſquitertia ſeu diateſaron. Unde ſuaviſſimus Elementorum perinde ut vocum proportione conſentanea diſcretarum exiſtit concentus: ac tantùm abeſt, ut hæc Elementorum contrarietas Mundi everſionem moliatur, ut eâ ſublatâ, Mundus ruiturus ſit; non aliter, quam acutarum & gravium vocum ſublata copulatione, harmonia omnium ſit peritura, enaut n. voraciſſimus Ignis omnia conſumeret, aut Aquis omnia inundarent, aut gelidiſſimis frigoribus omnia rigerent; aut terrarum ariditate ſtirpes & animantia interirent.

Bodin. theat. natur. l. 2. p. 142.

LXIII.

Aër Elementorum omnium frigidiſſimus.

Aër Elementorum omnium frigidiſſimus eſt. Id enim maximè frigidum eſt, cujus vi & poteſtate cætera frigeſiunt, rigent & gelu concreſcunt: Aëris autem vi ac poteſtate cætera frigeſiunt, rigent & concreſcunt: igitur Aër omnium maximè frigidus eſt. Nives etenim, grandines, metalla Aëris vi concreſcunt, maximè tamen aquarum ſuperficies in ſtagnis, paludibus & fluminibus, quâ patent Aëri, non autem in fundo: quia ſpirantibus ab aquilone ventis, cum omnia gelu obriguére, vada interiora fluminum ab aëris contactu & ventis omnibus libera nunquam gelu concreſcunt, id enim certiſſimum toti piſcium generi exitium afferret, tunc enim vada calentia petunt, quibus hyeme foventur.

Bo-

Bodin. l. 2. th. natur. p. 155. 158. 159. 229: l. 3. p. 381. Keppl. tert. interv. prop. 128.

LXIV.

Montes quidam nubibus altiores.

Nubes non ita longè à Terrâ distare, ut nonnulli credunt, experientia testatur. Montes enim nonnulli cacuminibus suis nubes excedunt. Nam Olympus & Athos montes tam alti sunt, ut in eorum cacuminibus relicti cineres toto anno, nec ventis difflentur, nec imbribus eluantur. Et in Vesuvii vertice consistentes proximas quasdam nubes pari cum monte altitudine distare à terrâ animadvertisse, nonnullas etiam ex alto despicere potuisse referunt. *(a)* Cui suffragatur illud, quod scribit Zabarella: Ascendi, inquit, ad summitatem usque montis veneris, qui in agro Patavino omnium altissimus est, ibiq; per totum diem habui aërem serenissimum, sed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me visione vallium prohibebant. Vesperi autem postquam de illo monte descendi, inveni factam eo die in inferâ parte magnam pluviam, cum in montis cacumine nihil pluisset. *(b)* Idem testatur Fr. Piccolom. qui homines in sublimibus montibus degentes vel per eos iter facientes, infra se in convallibus inspicere pluvias scribit: cum ipsi in sereno aëre sint; idque sibi ipsi per Alpes & Apenninum iter facienti contigisse. *(b)*

a) *Sennert. l. 4. epit. sci. nat. c. 5. Keppler. l. 1. Astron. part. 3. pag. 69. & 70. Bodin. th. natur. l. 2. p. 169. Bartol. Phys. spec. part. 1. cap. 9.* b) *de reg. aër. c. 8.* c) *de meteor. cap. 11.*

LXV.

Virtus unita fortior, documento sacculorum & ventriculi arctatorum.

Videmus sacculos quoscunque, quibus aliquid intenditur, in suprema parte arctius posse constringi, si spacium quoddam superius relinquatur, imò eosdem saccos gestari posse commodius, si ea quæ intrusa & coarctata sunt, à se invicem non divellantur, sed associata & conglobata intus cohæreant, nec hinc inde diffluant. Eodem modo ventriculus ingesta perfectius elaborabit, si instar loculi accuratius claudatur, virtutes ejus colligantur ac congregantur: quod ut commodius fiat, depressione ciborum opus est.

Pansa theor. spec. c. 30.

LXVI.

Corpus ex cacochymiâ morbosum, rimosa & concussa navis est.

Quemadmodum rimosæ concussæque naves citius tempestate succumbunt ac penitus dilacerantur: sic morbosa corpora, cruditatibus infarcta, quæque aliàs vacillanti sunt ac dubiâ valetudine, omnibus exposita injuriis, ita ut vel levissima intemperies ingruens, morbum provocare posit.

Pansa theor. spec. de pror. vit. c. 27.

LXVII.

Fuligo interior cor strangulans.

Ut in cænaculo, fumo forsan oborto, nauseam persentiscunt convivæ, & dolorem in oculis: imò si idem

idem fumus invalescat & magis incrudescat, quendã caloris suffocationem percipiunt, nisi reseratis ostiis, ac patefactis fenestris vapores fuliginosi dissipentur, atq; in auras diffusi evanescant: sic quoq; in humano corpore Cor strangulari videtur ex humorum caligine, densisque fumis inde promanantibus, nisi spiraculis cutis relaxatis fuligo prohibibita liberè transeat. *Pansa theor. spec. c. 38.*

LXVIII.

Ignis in materiâ crassiore robustior, non putrescit.

Quod ignis noster urit, in causâ est, quòd condensatur & inhæret crassæ materiæ, unde partes ejus condensatæ & coarctatæ majorem vim habent. *(a)* Seu ut Scaliger loquitur, urendi vim habet à partium propinquitate, frequentia, coagmentatione, cohæsione, unione. *(e)* Cujus rei documentum esse potest ferrum ignitum, in quo ignis vis, ob partium condensationem, major est, quàm in stipulis, quæ constant ex rariore materia. (Sed non est calidior in ferro candente, illo, qui est in stipulis, majus saltem agendi robur habet. Virtus enim unita fortior est dispersa, & agens quantò propius est patienti, tanto magis agit in ipsum) Idem patet si spiritus vini incendatur. Nam per eum, sine aliquâ læsione, ut & per supremam flamæ partem, digitum transmittere possumus, quod in ferro candenti non licet. Idem Ignis per se non conspicitur, ut nec Aër: nec lucet, nisi in materia densa excipiatur. *(c)* Omne quod nascitur, ignis gignit, ideò calet, ut qui denascitur, ignem amittit & frigescit. *(d)* Quare à Scaligero justo Regi comparatur, qui suum cuique reddit, hercifcens familias, & fini-

finium regundorum iniens rationem: prudentique œconomo, qui sibi, quantum satis est, sumit. Ex ligno enim terræ cineres, aquæ humorem, aëri halitum distribuit: Sibi, quod vulgi oculos fallit, animos haud latet sapientum, sumit ac servat. (*e*) Ignis solus non putrescit, quod nihil ipso sit calidius, quod ejus calorem corrumpere & evocare possit.

a. c. f.) *Sennert. l. 2. epit. sci. nat. c. 3. Bodin. l. 2. theat. nat. p. 153. Sennert. l. 3. c. 2. & 3.* b) *exerc. 2. s. 2.* d) *Varrol. 2. de lat. ling.* e) *exerc 9.*

LXIX.

Solis adspectus & occæcat & visum acuit, ejus Eclipsis ut sine noxâ spectetur.

Solis adspectus, ac multo magis etiam reflexio oculorum in pelvi, aut concavo speculo ferri splendentis cæcitatem infert: Si tamen triplicato vitro nitidissimo, ac densiore in aqua atramento infecta conspiciatur, oculos juvat ac visum fovet. Quia omne objectum sensibile ac violentum, sensum lædit, moderatum delectat. At radii in concavo speculo vel pelui multiplicantur & in conoidem reflexi violentissimè oculos feriunt & urunt, perinde ut ignis admotus. Igitur Solis splendorem primum intueri oportet in terrâ: deinde objectu nubium, post etiam trans corpus diaphanum valdè solidum vel multiplex, aut vitro viridi: tunc enim juvat ac fovet visum levis radiorum ad oculos appulsus: Eclipses tamen Solis in aquâ atramento confusa præstat intueri, aut conclusis fenestris, aut foramine obliquo pugione

vel

vel ſubulâ facto, facillimè ſine ullo viſus periculo Solis Eclipſin intueri licebit.

Bodin. theat. nat. l. 3. p. 453. & l. 5. p. 480.

LXX.

Plantarum nomina maris & fœminæ, quo ſenſu habenda.

Sunt in Plantis maris ac fœminæ confuſa principia, idque optimo naturæ conſilio. Cùm etenim generatio ſit ab agente in patiente: Natura operi ſuo, cui ſimul & motum negaſſet & generationem tribuiſſet, generandi facultates proportionales indidit conjunctim, id quod inde quoque poteſt colligi. Siquidem quarundam ſtirpium è ſemine alio mas, alio fœmina perveniat. Id conſtat è Cannabe, à fructu ſemen quod ferat, fœminam marem ſterilem. Idem in ſpinachis. Ex eodem ſtipite funditur ſemen, quod partim evadat mas, partim fœmina. *(a)* Sed hoc fit hominum verbis abutentium more, fœminas enim appellant eas ſtirpes, quæ aut minutiores ſunt, aut ſteriles, aut frugiferæ quidem, ſed humiliores, aut leviores, aut molliores, aut enodiores, aut candidiores: mares verò fructuoſiores, aut frondibus abundantiores, aut nodoſiores, aut qui difficilius creſcant, aut duriores, aut nigiores: ut olea oleaſter: Ficus caprificus: Pirus piraſter: ſi tamen hæc animantium exemplo definienda ſunt, mares appellari debent, qui plus habent ſeminis, aut virium, aut ſpirituum: Fœminæ quæ plus humoris & ſanguinis. *(b)* Illud tamen ſingulari obſervatione ab ultima antiquitatis memoria proditum eſt, Palmas fœminas ſterileſcere, niſi mares proximè ferantur, aut ſaltem flores marium cum pul-

vere

vere misti fœminis injiciantur: sed mirum est Theophrastum *(c)* Tiliam frugiferam & odoratam apellare fœminam: marem vero sterilem & inodorum, nisi quod nodosior, durior, spinosior mas est, quàm fœmina. Idem statuit de corno mare, ac fœminâ. *(d)*

a) *Scalig. comment. in l. 1. de plant. Arist. p. 136. 128. b.* d) *Bodin. l. 3. th. nat. p. 281.* c) *l. 3. c. 11. 12. & 23. de caus. plantar.*

LXXI.

Fructus quidam erosi vel vulnerati citius maturescunt.

Si vermiculus pomum in arbore eroserit, celerrimè maturescet, quia quasi mortuum animal nihil ampliùs alimenti contrahit, ut etiam vulnerati pepones cito maturescunt. quia mortui vim eliciendi alimenti amiserunt. Ob id etiam caprifici juxta ficus seruntur, quoniam culicum examina prodeunt è caprificis: à quibus icta poma ficuum humorem oblatum respuunt, ac maturitatem accelerant: sic uva celerius maturescit, cujus pediculus vulneratus est, aut à Sole exsiccatus, aut cujus radix vitis, vermiculum habet, aut quæ senectam attigit.

Bodin. l. 3. th. nat. p. 280.

LXXII.

Ab excisis stirpibus præstantioribus deteriores suppullulascere.

Illud in Naturâ ferè perpetuum est, ut in locis stirpium præstantiorum deteriores subnascantur: Vetustis enim Quercuum & Fagorum arboribus recisis, Acer aut Betula nascitur: mortua verò Betula Ligustrum aut Viburnus, aut quid aliud, ad extremum Juni-

niperus, Filix, Genista, Paliurus: sic etiam post Gladioli radices emortuas, Cicutam aut Chelidoniam, aut quid aliud deterius nasci videmus: quæ commutatio nusquam est à veteribus prodita, sed experientiâ diuturnâ posteritati comprobata: & quemadmodum emortuis animantibus præstantioribus, vermes aut Scarabæi, aut muscarum examina prodeunt, sic etiam in plantis judicandum opinor. Quæ certissima sunt Naturæ paulatim in senectam abeuntis argumenta, cum etiam antiquissimi scriptores continuis historiarum temporibus conquerantur, hominum genus nec robore, nec proceritate, nec vitæ diuturnitate, cum majoribus esse comparandum.

Bodin. l. 3. theat. p. 295.

LXXIII.

Verrucariæ pulvis ad verrucas expertus.

Zacynthæ sive verrucariæ Mathioli, Cichorii verrucarii Gesneri, semen pulverisatum, ad unum cochleare sumtum, decrescente Luna, per tres dies, dissolvit verrucas, in quâcunque parte corporis, quo remedio quidam Chirurgus Patavii aliquando multum pecuniæ collegit.

Camerar. in hort.

LXXIV.

Veronicæ vis contra scabiem à cervo inventa.

Veronicæ usum contra scabiem à Cervo quodam inventum, hominumque posteritati traditum esse creditur. Is enim cum dorsum suum fœda scabie pollutum crebrius volutasset in loco, veronicâ herbâ passim referto, à morbo suo liberatus est.

Pansa theor. gener. l. 1. de pror. vit. c. 2.

LXXV.

Confolidæ majoris & minoris peculiaris facultas.

Confolidæ majoris flores, in vino rubro cocti, bisque in die fumpti, in cruenta urina optimi *(a)* Minoris fuccus bibitus ad uncias 2. lethargicos & caro laborantes excitat,& omnem fomnum profundum removet. *(b)* Carnis frufta, dum cum illis coquitur, non glutinat, ut plerique putant. *(c)*

a) *Camer. in horto* b) *Dom. Leon. l. 2. pract. fect. 1. c. 3* c) *Plater. de dol. p. 901.*

LXXVI.

Corallina in vermibus necandis princeps.

Corallina (mufcus marinus plerifque creditus) ad puerorum vermes necandos, cæteris præftat medicamentis, fiquidem non modò lumbricos interficit, fed eos quoque eadem die expellit, magnâ fæpè cum aftantium admiratione, quod quandoque vifus fit puer, qui ex affumtâ hujus pulveris drachmâ 70. vermes excreverit. *(a)* Sed hanc vim ignorarunt antiquiores, fed pofteriores ita effe comprobarunt, nunc tota Græcia ea pro vermibus utitur: imò qui per plateas & vicos, contritam corallinam vendunt, ita ferè clamat: χολιτοβότανον, χολιτοβότανον q. d. vermes interficiens. *(d)*

a) *Marfiol. l. 4. c. 95 Lemn. l. 3. c. 9. de occ. nat. mir. Mercur. de morb. puer. l. 3. c. 10.* b) *Ant. Muf. in exam. fimplic.*

LXXVII.

Peplus maturè ab acetariis evellendus, ne menfæ noceat.

Peplus fponte nafcitur in areolis, maturè evellendus,

dus, antequam floreat & ſemen, quod citò admodum perficitur, nimis latè ſpargat. Cavendum, præſertim inter acetarias plantas ne creſcat, alioquin facilè fallit legentes, & non ſine periculo menſæ adhibetur: unde olitoribus Teuffelsmilch appellatur. *Camer. in horto.*

LXXVIII.

Thuiæ ſive Thyæ ſemen ut plantandum & rigandum.

Thuia ſive Thya (è Canada, Franciſco I. Galliarum Regi, Arboris vitæ nomine oblata, fortaſſe ab odoris vehementia, vel ob immortalem ejus comam, ſic dicta *(a)* facilè è ſemine naſcitur, & ſurculis propagatur, fertque apud nos per hyemem, parum ſtramine vel ſimili re munita. Seri autem debet in vaſis terra optima & cibrata plenis, ut ſemen quarta parte digiti eâ tegatur. Cum verò rigari opus eſt, terra linteo impoſito irriganda, alioquin ſemina ſurſum aſcendunt, & nudantur, quod etiam in aliis obſervandum. Novellæ plantulæ à Sole meridiano per majores æſtus defendendæ, atque hac ratione plurimas arbuſculas brevi conſequi poſſimus. *(b)*

a) *Bauhin. in pinac. l. 12. ſect. 5. p. 488.* b) *Camer. in horto.*

LXXIX.

Lilii convallii radix; aqua è floribus; & oleum cui uſui.

Lilii convallii radicis, quæ dulcis, aromatica & odorata eſt, pulvis naribus attractus, pituitam elicit & ſternutationes, ſine vehementiâ. *(a)* Floribus vas impletur benè obturatum & in acervum formicarum reconditur, per menſem, liquor inde collectus,

inſtar olei, ſedandis doloribus podagricis, & ſimilibus affectibus externis adhibitus perutilis, *(b)* Oleum peculialiter ad puerorum tormina paratur. *(c)*

a) *Camer. in hort. l. 3. c. 81. herb Germ. Oberndorf. de lue Vng. p. 183.* b) *Camer. ibi.* c) *Plater. de dol. p. 623.*

LXXX.

Braſſicæ nomen, noxa & uſus controverſus.

Braſſica inter olera eſt Theophraſto, *(a)* quæ ἀπὸ τοῦ βρύζειν à vorando, Dioſcoridi κράμβη q. κορράμβλη, quod oculorum pupillas lædat, dicitur, *(a)* κόρη enim Græcis pupilla eſt, iniqui enim ac ſicci eſt ſucci & graveolentis: aqua enim ejus humi effuſa fætet, ſumta, animæ gravitatem facit, promtè aluum movet, comeſta. *(c)* Damnatur, quod melancholiam procreare exiſtimatur, quam tamen ego, ex guſtu judicans, rectè præparatam, bonum ſanguinem, præ cæteris plantis, cum tenera ſit, & ſuavis, potius efficere cenſerem. *(d)* Braſſicæ ſale conditæ integra amphora, tantum ſanguinis aut ſpirituum non gignit, quantum unum ovum, (hoc enim tantum ſanguinis generat, quantum ponderat. *(e)* Si ſemen nimis in calido loco torrefiat, degenerat in Rapum. Braſſicæ folia ex vino rubro vel auſtero incocta utiliter admodum adhiberi in magnis & ſinuoſis vulneribus certum eſt. *(f)* In ambuſtis, appoſita inflammorem reprimunt, reſolvunt & ſimul diſcutiunt. *(g)*

a) *lib. 1. c. 19.* b) *l. 2. c. 14.* c) *Heurn. l. 2. M. c. 19.* d) *Plat. de laſ. ſi. p. 158.* e) *Crato in Conſil. 46.* f) *Coſt. de ſtirp. Camer. in horto. Gal. l. 7. de ſimpl. med. facult.* g) *Plat. de dol. p. 437. 894.*

LXXXI.

LXXXI.

Viſcum non à turdis ſed à ſucci ſemine connaturali.

Veteres arbitrati ſunt (*a*) viſci acinis à turdo comeſtis, quod ad pulpam pertinet concoqui: quod ſeminis eſt, incoctum ab alvo dejici, ſiſtique in arboribus iis, in quibus iſti quieſcere conſueverunt: atque ex eo ſemine plantam novam generari. Verùm, rationi hoc conſentaneum non eſt. Etenim non eſt probabile, ſemen ita cortices duriſſimos findere ac ligna duriſſima ſubire poſſe. Et cur in multo pluribus arboribus non creſcit, in quibus nihilo ſecius aves iſtæ ſtabulantur? neque in ventriculis atque inteſtinis turdorum viſci baccis nutritorum, ullum unquam granum invenitur. Vero igitur magis conſentaneum eſt, viſcum habere ſe q. cornua ex oſſibus animalium prodeuntia, & viſci principia in ſucco ſibi connaturali à calore interno fota, atque à calore externo adjuta, in hanc plantam concreſcere. (*b*).

a) *Theoph. l. 2. cap. 24. Mathiol. in Dioſc. l. 3. c. 68.*
b) *Bauhin. in pinac. Botan. l. 11. ſect. 4. p. 423. Scal. exerc. 168. Sennert. epit. ſci. nat. l. 6. c. 4. Bodin. l. 3. theat. nat. p. 296.*

LXXXII.

Sinapi litteratorum ſolatium.

Sinapi calidum & ſiccum eſt, & vim acrem atque urentem poſſidet, quam ob cauſam potius condimenti, quàm alimenti gratia adhibetur, & iis temperatur, quæ acrimoniam ejus retundunt. Commodè

cùm cibis craſſis atque viſcoſis adſumitur, in primis hyberno tempore. *(a)* Matresfamilias, obſonatricis artis non imperitæ per vendemias muſto id diluunt temperantque, unde adhuc muſtardæ nomen à muſto & ardore retinuiſſe videtur. *(b)* Stomachum firmat, & capiti gratum eſt, pituitam fundens, adeò ut ſtatim lachrymas moveat *(c)* diſſlans, ac ad inferiora deturbat *(d)* proprietate memoriam acuit, *(e)* & viſum juvat, Platero teſte *(f)* aliis contra *(g)* ſaccharo obductum, vel cum melle pro bellariis appoſitum, experimentum tutum ac præſens in defectu ingenii ab humiditate ſtatuitur. *(h)* hoc condimento, laxatus gurgulio citò contrahitur. *(i)* Pythagoras proin Sinapi habuit in honore maximo, quod præter vires, in ſanitate ac valetudine præcipuas, in altum quoque ac ſublime feratur, & in arcem illam divinæ rationis ac mentis ſtationem potenter conſcendat, calefaciens, purgans, diſcutiens, omniaque illic reddens illuſtriora; hujus intinctum ex muſto confectum, cunctis literatis, præſertim hyemis tempore commendo, cum totum corpus calefaciat, venulas meſaraicas aperiat, & deductionem chyli in epar promoveat. Nihil enim capiti ſalubrius, quam ventrem laxum ſibique propitium habere: Hujus conſtipatio mirifice aggravat. *(k)*

a) *Horſt. l. 1. de ſan. ſtud. tu. c. 6.* b) *Gogl. de pror. vit. c. 9. p. 264* c) *Plat. de laſ. funct. p. 50. 51. 369. 375.* d) *Heurn. c. 10. de aff. cap.* e) *Plat. de laſ. f. l. 1. c. 1.* f) *Plat. l. c. p. 262.* g) *Horſt. & Gogl. l. c. Panſa theor. ſpec. de pror. vit. c. 51.* h) *Horſt. l. 2. de ſan. tu. c. 1.* i) *Dodon. l. 2. prax. c. 22. p. 277.* k) *Panſa l. c. c. 50.*

LXXXIII.

Piper, Zingiber & vinum potentiâ calida, non nisi ope ventriculi, in actum producuntur.

Piper, Zingiber & vinum potentiâ calida esse dicuntur, quia tacta statim non calefaciunt, sed in corpus ingesta, & à ventriculi calore dissoluta; quamvis enim multum caloris in se contineant, is tamen ita cum reliquis qualitatibus temperatus est, ut suam vim non exserat, dum in misto, in suo naturali statu constituto, hæret.

Ubi autem quis eadem in ventriculum assumserit, illa harmonia qualitatum à calore ventriculi dissolvitur & turbatur, calorque horum mistorum evocatur, qui amicitiâ, quam prius cum reliquis qualitatibus fovebat ruptâ, liberius & fortius agit, non amplius tanquam calor misti, sed potius ut calor jam separatus & sui juris factus,

Sennert. l.3. epit. sci. nat. c.3.

LXXXIV.

Vis opii narcotica non à frigido est, sed à sulphure.

De qualitatibus opii Medici inter se certant, dum alii frigidum in quarto esse statuunt, ob vim illam Somnum inducendi ac stupefaciendi: alii calidum ob amarorem, & acrimoniam quæ in eo deprehenditur. Verùm, hodiè non solum Chymici, sed & alii docti Medici statuunt, Somnum conciliari & stuporem induci, non tàm à frigore, quàm sulphure quodam narcotico, quod etiam in calidis rebus, ut spiri-

tu vini, deprehenditur, atque à tali spiritu narcotico omnem etiam suam vim habet Opium; amarorem verò à sale amaro. Cujus rei vel hoc indicium est, quod largiùs sumtum veternum inducit, cum pruritu totius corporis, & Turci Mas-lac suo utuntur ad animositatem in præliis conciliandam, eoq; quasi ebrii redduntur.

Sennert. ep. sci. nat. l. 6. c. 5. class. 12.

LXXXV.

Muscæ in Aquis suffocatæ, & Serpentes concisi, ut fiant redivivi.

Muscæ in Aquâ suffocatæ & prorsus extinctæ in vitam redeunt, si conspergantur sale & calori exponantur. Sic Serpentes in minutas portiones dissecti, & occisi, in cucurbitam positi putrescunt, ac novos serpentes, operâ caloris ex novis vermiculis producunt.

Pansa de pror. vit. theor. spec. c. 1.

LXXXVI.

Argenti vivi etyma cum causis.

Ὑδράργυρος Græcis (q. aqueum argentum dicas) quod nimirum aquæ modo fluere videatur: Latinis à motu, quia stare loco nescit, & suo pondere huc illuc fertur, Argentum vivum nominatur: colore quidem argento simile, sed liquidum, fluxile & pellucidum est. *(a)* Aristoteles ἄργυρον χυτὸν hoc est, fusile seu liquidum argentum appellat. *(b)* Chymici Mercurium appellant, quod sicut Mercurius omnibus Planetis, ita hoc omnibus Metallis sese associat, & quod ejus mobilis & versatilis natura est, quæ hacte-

nus

nus multos Chymicorum satis exercuit, nec dum satis cognita est. *(d)*

a) *Fuchs. l. 1. de comp. med. cap. 17.* Weck*i antid. spec. l. 1. sect. 5. Jul. Palm. constant. de morb. contag. lib. 3. cap. 1.* b) *l. 4. Meteor. cap. 8.* c) *Scalig. exerc. 88.* d) *Plater. l. de vit. cap. 4. p. 482. Sennert. epist. scs. natur. l. 5. c. 5.*

LXXXVII.

Argenti vivi species.

Duplex est argentum vivum: fossile & factitium. Naturale, in argenti fodinarum tectis stillatim concretum, vel inter alia metalla invenitur, aut certe ex lapide quodam, qui ex ipsius argenti fodinis eruitur, arte prolicitur, hoc pellucidius, tenuius, purius & præstantius est factitio (quod ex Minio excoquitur, *(a)* vel plumbo. Sunt etiam qui ex eboris scobe, & rebus aliis omnibus Argentũ vivum elici posse (quod rerum omnium semen ac principiũ sit) literis prodiderunt) quod originis suæ nondum immemor, obscurius, impurius, crassius, imbecillius deteriusque ad omnia consistit. (*b*)

a) *Plin. l. 33. c. 8.* b) *I. Palm. Constant. l. c.*

LXXXVIII.

Argenti vivi matrix; cum metallis familiaritas, maximè cum auro.

Argentum vivum constat ex aqua metallica, viscidâ, terrâque sulphureâ exactè mistis: metallisque facillimè miscetur, in primis auro, hinc stanno, plumbo, argento: difficulter cupro & ferro. Inter Mineralia omnium ponderosissimum, & nihil in se demergi finens, nisi aurum (*a*) cupis ejus rei experimentum?

libris 5. vel 6. Mercurii, libram 1. vel 2. ferri, cupri vel argenti impone, videbis supernatare, ut ligna aquæ, injice autem vel granum unicum auri puri, nec sophisticati, subsidebit statim *(b)* an quia Aurum gravius? an ob naturam homogeneam cum Mercurio? *(c)*

a) *Sennert. l. c.* b) *Paracelſ. c. 19. de gen. miner. Unz. l. 1. de Merc. c. 10.* c) *Ruland. l. 2. probl 124.*

LXXXIX.

Argenti vivi uſus innoxius & noxius.

Argenti vivi guttam unam vel alteram, vel scrupulum semis aliqui in vermibus deglutiendam propinant, quod vermes, quibus admodum adversum, citò fugat, potestque innoxiè sumi. Aqua, (vinum vel alius liquor, in quam argenti vivi portio infusa fuerit, in eâque aliâ agitata, si ab eo colata, bibatur, lumbricos mirificè pellit. *(a)* Gorlitienses quoque obstetrices, ubi gravidæ diu in partu laboraverint, ultimo remedio statim argentum vivum scrupuli pondere nullis incommodis potandum exhibent. Quò fit, ut facilè mihi persuaserim, argentum vivum potantes haud necare, nisi pondus aut mensuram excesserit, non tamen crediderim, quòd solum pondere interimat, ut quidam putarunt, Dioscoridem tantum secuti *(b)* Si ergo hydrargyrum impurum & plumbatum non interficit, quid de puro statuendum? Cerebrum & nucham spirituosa humiditate frigiditateque lædit, non veneno; insidet ossibus gravitate & humoribus ducitur. Ex accidente fit Syalismus, quia phlegmatici humores circa cerebrum sunt frequentes, ita fiunt sputa & articulorum luxationes ab eodem, non per

se

ſe omnino, ſed ex accedente humorum affluxu, Natura enim eos deſtinavit ad articulos & glandulas, irrigandi cauſa, cum itaque eò pelluntur copioſius, iſta eveniunt. *(c)*

a) *Plat. l. 2. de vit. c. 13. l. 1. obſ. p. 42. Ant. Muſ. Brav. de nat. ſtirp. c. 28. q. Bapt. Zepata mirab. remed. c. 5. p. Car. Roſenb. animal. & exerc. Med. 36.* b) *Mathiol. comm. in l. 5. Dioſc. cap. 70.* c) *Libav. l. 1. ſing. cap. 11.*

XC.

Argentum vivum unde diaphoreticum.

Quid cedo cauſæ eſt, cur argentum vivum ſudorem ciere poſſit? nonne potius frigidum & repellens remedium cum ſit, corpori affrictum, contrario planè motu, atque hydrotica medicamenta à peripheriâ corporis ad ipſius centrum humores agens ſudoris materiam impellit? Si quis igitur ab illitu ſudor diffluit, eum partim ignis, ad quem inungitur, partim calida olea, quibus cum miſcetur hydrargyrus: partim cubilis calor, non hydrargyrus elicit.

l. Palm. Conſtant. de morb. cont. l. 3. c. 4.

XCI.

Amuleti ex Mercurio, avellanæ vel calamo incluſo, efficacia.

Amuletum ex hydrargyro fit, cum avellanâ rubrâ, & aliquo verme arroſâ, ut foraminis illius beneficio hydrargyro repleri poſſit. Poſtquam verò metallicum illud eſt introductum, foramen ſedulo occludetur & avellana ſerico rubeo, à collo ſuſpendenda, involvatur. Si verò avellana deficiat, illius vicem

vicem calamus supplebit, qui prædicto Mercurio replebitur & è collo suspendetur, ita ut quàm proximè ad regionem cordis admoveatur. Hoc remedium adeo hisce temporibus, ad præcautionem pestis est usitatum, tot illius animadverti experimenta, ut non possim præ cæteris illud non valdè comprobare *(a)* Remedii hoc genus testatur se accepisse P. Droëtus, Medicus Parisiensis, à Medico Illustrissimi Domini Vidami Carnutensis, Principis Chabanei, qui in Metensi obsidione Anno 1566. nullo alio remedio se defendit à peste, quæ tunc maximè sæviebat, neque se solummodo, sed & chirurgum, qui peste infestos invisebat. *(a)* Collo appensæ avellanæ, ita ut ventrem attingat, argento vivo plenæ, & ad præcautionem & curationem colicæ magnas attribuunt vires *(c)*

Quercet. l. 2. pest. alex. c. 5. Plat. d. dol. c. 2. p. 190. Vnz. de merc. l. 1. c. 22. Gloglen. de pest. p. 68. Minder. de pestil. c. 20. b) *Consil. de pest. c. 8.* c) *Plater. de dol. c. 13. p. 625.*

Plura de Mercurio vide cent. nostr. 4. memor. prop. 90. & seqq.

XCII.

Historia Mercurii in Aurum conversi.

Convenerant fortè fortuna Veronæ in hospitium unum idemque Medicus, Secretarius, & Mercator Antverpiensis Joannes Eremita dictus. Dum mensæ assident, quæstio incidit de Alchymiæ veritate, & post ejus nonnullam ventilationem, Medicus infit, si placet Artis experimentum videre certum & indubitatum, ego ostendam, & ne quid subesse fraudis suspicemini, eat alter vestrum, & emat Argentum vivum & catinum fusorium, deinde in superius tabu-

latum adſcendite, & argentum vivum igni imponite & cum fumare incipiet, me advocate. Obtemperatum eſt, acceſſit, & è pixidula, cultri acie extrema depromtum pulviſculum injecit Mercurio, & poſt moram aliquam, edito ſtrepitu, facta eſt, inquit, transmutatio, quam videre deſideráſtis, ite & Aurum hoc Artificibus examinandum tradite, quod & fecerunt & cunctas probatiſſimi auri notas invenerunt. *(a)* Libavius meminit cujusdam Itali Chymici, qui Rotenburgi certa fide ſibi retulerit, ſe à Monacho accepiſſe vix unum granum pulveris rubei, quem ſuper unciam unam Mercurii, in catino calefacti projecerit, quo facto, ſtrepitum fuiſſe exortum, ſtatimque Argentum vivum rubefactum, adhibito autem intenſiori ignis gradu, Argentum vivum elilytum fuiſſe & confluxiſſe, accepta ſoliditate metallica. Cumque Italus credere nollet eſſe metallum, frangere conatum eſſe ſed fruſtra. Miſit ergò illud ad Aurifabros, curavitque examinari cemento Antimonii & cupella, & inventum fuiſſe Aurum probum ac verum. *(b)*

a) *Evvald. Hoghel. in hiſt. tranſm. metall.* b) *in ſyntag. l. 7. c. 8. Unz. de Merc. l. 1. c. 17.*
vide centur. 4. prop. 89.

XCIII.

Fulgur & Fulmen à Sulphuris & Nitri eſt prædominio.

Fulgur & Fulmen nonniſi diſpoſitione & copia Sulphuris ac Nitri differunt. Quò enim Nitrum copioſius & ſubtilius: eò percuſſio fit vehementior: ob Sulphuris verò abundantiam ignis major conſpicitur. Hinc etiam cauſſa reddi poteſt, cur fulguret, nunc

nunc cum tonitru, nunc absque tonitru; non enim hoc fit, quod nubes fit, vel rara vel densa, quæ exhalationi viam, nunc intercludat, nunc liberum exitum concedat. Neque enim tam densæ sunt nubes, ut exitus intercludere fulguri possint: sed quia nunc Nitrum multum, nunc paucum, cum sulphureâ exhalatione conjungitur, accidit, ut nunc tonitru vehemens, nunc nullum vel exiguum audiatur.

Sennert. l. 4. epit. sci. nat. c. 2.

XCIV.

Lapidis fulminei ortus.

Fulmen est spiritus igneus & tenuis, nitro-sulphureus, non lapis, ut vulgo creditur. Nam mira vis & potentia Fulminis, non lapidi, sed corpori longè tenuiori & subtiliori adscribenda est. Quamquam interdum in nubibus, & exhalationibus calore ingenti decoctis & condensatis lapidem quendam solidissimum posse gigni, & cum Fulmine, ut globum è bombardâ ejici, impossibile non sit: rarò tamen id fieri credendum est. Est autem Fulmen Fulgure magis compacta exhalatio, confertim è nubibus magnâ vi magnoque impetu erumpens. Quapropter non semper in aëre dispergitur, ut reliqua ignita meteora pleraque, sed sæpè in terram usque fertur: tum quia vehementi & magno impetu è nube ejicitur, tum quia benè cohærente & compactâ constat materiâ: nunquam tamen quinque pedibus altius descendere in terram, autor est Plinius. l. 25. c. 55.

XCV.

Fulgur ut fiat, & cur celerius oculos, quàm tonitru aures feriat.

Ubi vapores ſulphurei & nitroſi tempore æſtivo, à calore Solis, præcipuè flantibus ventis meridionalibus, inviſibiliter & ſurſum elevantur, & poſtea vel à ventis oppoſitis, vel frigiditate mediæ regionis uniuntur & condenſantur, fit ut ob peculiarem repugnantiam accendantur, atque hinc & ſonus & coruſcatio oriatur. Etſi autem Tonitru, ſeu prius ſit quam Fulgur, ſeu ſimul cum Fulgure, Fulgur tamen prius in oculos incurrit, quam Tonitru auditur, quia nimirum adſpectus celerior eſt, quam auditus, ſpeciesq; viſibiles magis ſpiritales & ad propagationem ſubitam magis idoneæ, quàm audibiles. Cujus rei etiam exemplum eſt in findentibus ligna in ſilvis, ubi ictum prius videmus, quàm audimus ſonum: & è bombardis, ubi priùs videmus ignem quàm ſonitum percipimus.

Sennert. l. c. Bodin. l. 4 th. nat. p. 457.

XCVI.

Finis fulminum, & effectus admirandi.

Proſunt Fulmina πρώτως ad aërem ab halitibus, aliàs noxiis repente expurgandum: ad Dei potentiam ſecuris exaggerandam, impioſque puniendos: δευτέρως alia præſtant admiranda, ut quòd illæſa vagina gladium liquefaciant, loculis integris & illæſis conflent argentum, inviolato ligno ferrum haſtæ reſolvant, quòd ſalva chirotheca manum, ſalvo calceo pedem, ſalvo cortice arboris medullam lædant, & comburant, infantem in utero, ſine matris noxa inter-

interficiant; carne salvâ ossa in animalibus comminuant; Rariora enim & ficciora spiritus innoxiè penetrat: in humidiora verò collectus vehementius operatur. Non rarò salvis internis externa afficiuntur, & pili sine carnis damno, vestes & calcei sine corporis periculo aduruntur, ob debiliorem fumum ficciora tantum & combustibilia corrumpentem. *(a)* Illud etiam de mirâ Fulminis potentiâ annotandum est, ministrum quendam ita subitò ereptum, ex hominum oculis, ictu fulminis, in viâ, quâ Lipsiâ itur Torgam, ut postea nunquam apparuerit. *(b)*

a) *Tandl. d. 4. meteor. th. 36. & 37. vv. Fabr. cent. 3. obs. 26. Plin. l. 2. nat. hist c. 51. Arist. 3. met. c. 1. Senec. l. 2. quæst. nat. c. 31. Sennert. l. c.* b) *Wolfg. Meur. in comment. meteor. p. 140.*

XCVII.

Sanguinis & lactis pluvia non est naturalis, sed his analoga.

Lac & sanguis verus naturaliter per pluvias descendere non possunt, cùm in animalibus tantum generentur: aliquid tamen illis simile delabi absurdum non est; cum scilicet radiis solaribus ex terrâ rubeâ vel albâ vapor in altum attollitur, aut in alto ita percoquitur, ut talem colorem referat, qui postea in pluviam resolutus speciem lactis vel sanguinis exhibet.

Sennert. l. 4. ep. sci. nat. c. 6. Tandl. disp 5. met. probl. 4. Plin. l. 2. nat. hist. cap. 58. & 60.

XCVIII.

Miræ formarum species in grandine.

Quod interdum in grandine miræ imagines appa- rere

rere dicuntur, partim hominum imaginationi adscribendum; qui grandines attentè inspicientes varias in iis imagines, perinde ut in nubibus concipiunt; partim ad Divinam vim referendum, quæ grandibus etiam aliquas imagines imprimat, quibus homines de vitiis non ullis in vitâ & moribus admoneantur. *Sennert. l. c. 7.*

XCIX.

Pruina est à perurendo, quod vites, aristas in nigrorem exurat.

Pruinam Latini optimè à perurendo derivarunt. *(a)* quia οἷον πῦρ penitus adurit, & in cineres aridissimos, gemmas vitium & arborum teneras redigit: calamos etiam & aristas, ipsumque frumentum nigerrimo colore sic inficit, ut carbonum pulvis esse videatur. Paulò autem minus gelida est, quàm Nix, non tamen minus ardenter urit, qàum Ignis. Caussam verò mè penitus ignorare profiteor, *(b)* & quidem in abditis Divinorum arcanorum thesauris latere mihi videtur: ac pro mirando stupendo in laudationibus divinis positum est; Nivem divinitus dari pro lanâ calidâ, pruinam verò *(c)* pro favilla seu cinere ardenti. *(d)* Græcis πάχνη ἀπὸ τοῦ παχνοῦν à condensando indigitatur. *(e)*

a) *Isidor. l. 13. etym. c. 10. Festus in verbo Pruina.* b. d) *Bauhin. th. nat. l. 2. p. 205.* c) *Psalm. 147. v. 16.* e) *Tandl. disp. 6. meteor. th. 33.*

C.

Pulli Corvorum deserti unde nutriantur.

Inter alia Divinæ providentiæ testimonia & hoc

reponitur, quòd pulli Corvorum implumes, & à parentibus, vel propter oblivionem, vel quòd ob albedinem suos esse, diffidant, derelicti, & ad Deum clamitantes Divinitus alantur, quemadmodum Iobi c. 38. v. 3. & Psal. 147. v. 9. scriptum relinquitur. At unde talis cibatus ipsis contingat, non ita est expeditum. Quidam hoc vermiculis in nido genitis adscribunt, at hoc divino codici non satisfacit. Vagantes enim & jam nido ejectos ali Scriptura profitetur. Quidam hos à prætervolantibus muscis exsaturari putant.

Sed unde nondum volare potentibus & venandi imperitis tanta muscarum arripiendarum sagacitas? Rectius igitur ut opinor, hos in firmos & ob famē querulos cælesti rore pasci, statuimus, ut exemplo despicatissimarum volucrum ad paternam DEI erga nos affectionem confirmemur.

Tandler. disp. 6. meteor. probl. 5. C. Gessn. de avibus p. 323. vide abs. Bodin. l. 3. th. nat. p. 373.



CEN-



CENTURIÆ VI.

Particula I.

Methodus Analytica, de Natura & Viribus, Fontis acidi, ad Göppingam Oppidum, in Ducatu Wirtembergensi.

Quæstio.

An Aquæ Göppingenses acidæ sint: propter calcanthum?

Conclusio I.

UT in Corporibus animantium varii gignuntur humores, ita etiam Aquas diversis qualitatibus præditas Terra gignit.

2. Qualitates omnes in aquis, ex rebus immixtis fiunt.

3. Materiæ quæ aquas inficiunt sunt Succi, Terra, Metallum, Lapis & Halitus, & quod ex horum quibusdam vel omnibus his mixtum est.

4. Unde pro naturâ subterraneorum corporum, quibus Aquæ miscentur, sapores, odores, colores, & facultates deniquè diversæ in Aquas transmittuntur.

5. Succi crassitie differunt ab Aquis, nam Aqua tenuis est, & ferè simplex; succus verò crassus & mixtus semper.

6. Generantur succi variis modis, aut quia calor rem siccam immiscet humido, & mistionem coquit; aut cum Aquæ lambentes terram, aliquantulum crassę

efficiuntur: aut cum humor inclusus metallicam materiam corrodit, aut denique à vi caloris exprimuntur.

7. Perpetuò verò generantur & conservantur succi in locis subterraneis, ut perpetuò etiam Aquis commisceantur. Sed ut differentias distinctas habent in tactu, colore, sapore, odore, crassitudine, ita varias vires Aquis impertiri solent.

8. Sunt autem hi potissimum, Sal, Nitrum, Bitumen, Sulphur, Alumen, Calcanthum, quorum aliqui liquidi, aliqui concreti dicuntur.

9. At succis inde sapor ineſt, quòd Aquæ ex quibus conspissatis gignuntur, ejusmodi fuerint saporis: vel quod calor Aquas cum terra permistas coxerit, quod, quia diversis fit modis, varietate saporis distinguuntur.

10. Aquæ verò saporem sibi acquirunt, quod vel mistæ cum terra insipida aliquantum à calore coquantur, vel quòd lambant terram insigni aliquo sapore præditam, aut succum concretum, aut lapidem, aut metallum, vel quòd combibant succum liquidum, cujuscunque tandem saporis; vel quod expirationibus inficiantur.

11. Sapor enim ex mistione oritur, cum vel corpus terrenum miscetur humido, aut contra humidum terreno, ut nunc hoc, nunc illud mole vincat alterum.

12. Ergo quia materia saporis est Terra & Aqua. Effectrix verò causa calor subterraneus, qui eas coquit, mutat & fingit, necessario pro mistionis ratione & modo, Aquarum & succorum sapores oriuntur.

13. Nam

13. Nam ubi Terra multæ Aquæ permiſcetur, nec calor eam probè concoquit, ſed frigiditas tanquam victrix in humore permanet, in ea miſtione ſequitur ſapor, qui ὀξὺς Græcis, à noſtris, acidus dicitur.

14. Unde ſapor acidus indicat ſubſtantiam terreſtrem non adhuc excoctam à calore, quadamtenus tamen extenuatam, quæ plurimo humori aqueo ſit admixta.

15. Terra quoque præter alias qualitates varios ſapores recipit, inſipida enim, ſalſa, amara, acris, acerba & acida reperitur, ac pro ratione materiæ, quâ infecta eſt, diverſum ſaporem Aquis tribuit.

16. Efficitur autem acida, vel quia Aquis madefactam terram, priusquam calor eam multum coxerit, & ad perfectam mixtionem deduxerit, frigiditas vi ſua adſtringit, vel quia ſuccum acidum (quicunque is ſit) per eam perpetuò emanantem potat, & ſic aqua ex terrâ, per quam tranſit, ſaporem acidum aſſumit.

17. Metallo temperantur & miſtæ quoq; redduntur Aquæ, ſed parum ex iis aſſumunt, eò quod omnia benè ſunt compacta corpora, quæ præter facultates vix aliquid dimittant. Et ſunt Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Plumbum.

18. Metalla verò non ſine ſapore eſſe, indicio eſt Æs, nam ærea vaſa amaritudine multum inficiunt liquores in ipſa infuſos, ab æris amaritudine non multum abeſt Ferrum, amaritudinis verò cauſa eſt, Terra aduſta, quam ea metalla participant.

19. Non pauci ergò ſapores in Aquis gigni viden-

 tur,

tur, quæ per hujusmodi metalla fluunt. Ferè tamen nunquam solum metallum in visceribus terræ reperitur, quo aqua profluat infecta, sed vel terræ, vel succis, aut lapidibus, aut omnibus his admixtum est.

20. Nam cum aqua corroserit Pyriten ærosum & friabilem, fit succus acerbus & acris, ex quo oritur Calcanthum. Hinc àqua Calcantho liquido infecta recipit saporem acerbum & acrem.

21. Non minus Lapidum qualitates, quàm Metallorũ possunt Aquis inesse, reperitur enim lapis calcarius & marmor in Aquis medicatis, imò omnes cineres & calcos, qui reperiuntur in aquis, rediguntur vel ad lapidem, vel ad ramenta marmoris. Unde aquæ ex lapidibus, quos eluunt, quid medicamentosum in se recipiunt.

22. Præter has mistionum rationes, Aquæ aliquando expirationibus inficiuntur, ut fit in quibusdam locis ardentibus: unde & vapores bituminosi, sulphurei cum aquis miscentur, ratione quorum varii effectus sequuntur.

23. Sunt itaque variæ res subterraneæ, quibus aquæ imbutæ, medicatæ profluunt, rarius tamen unâ sola re, sed pluribus, nec æquâ tamen portione miscentur, unde à vincente in ipsis materia denominantur.

24. Quia ergo sapor acidus variis de causis in Aquis gigni videtur, quæritur: num AQUÆ GOPPINGENSES, propter Calcanthum, an alterius mistionis & temperationis ratione acidæ proveniant?

25. Ju-

25. Judicatur quæſtio, aut ſenſu cum ratione conjuncta, aut effectibus, qui rei proprietatem ſequuntur: his enim duobus veluti inſtrumentis, medicatarum Aquarum qualitates & differentiæ ad amuſſim diſtinguuntur & explicantur.

26. Percipitur Aquæ minera ſenſibus, ſapore, colore, odore & tactu, ex quibus ſenſus guſtus non infimas partes occupat.

27. Sapor, quem in aquâ Göppingenſi guſtamus acidus & parum acris perſentitur, qui nec valdè adſtringit, nec linguam multum exaſperat. At ſapor calcanthi, (ut teſtatur Agricola, qui præclarè de rebus ſubterraneis ſcripſit) eſt acerbus & valdè acris, & multum adſtringens. Talem acerbitatem conjunctam acrimoniæ habent Aquæ, quæ Sori, Myſi, Calcitide aut Melanteria miſtæ ſunt. Sapor verò acerbus, naturâ & viribus ab acido differt.

28. Odor nullus in hac aquâ experitur, neq; in effluxu, neq; dum calefit, cum abominandus & virulentus odor peculiaris ſit calcantho.

29. Præterea omnis coloris, ut ſimplex Aqua, expers reperitur, nec viridis ille color ex calcantho inductus cernitur, unde nec linteamina hac aquâ elota, & poſtea exſiccata, ulla ferrugine infecta conſpicimus.

30. Frigida hæc aqua limpidiſſima quoque eſt, nec quicquam in ſe continet, quod tamen fieri videmus in aquis, terrâ vel ſaxis. vel ſuccis infectis, in quibus pro ratione materiæ ſubſident fæces.

31. Nec poſtquam excocta aut deſtillata eſt, ſedimentum remanet, quod ſapore vel colore Calcanthi in-

indicium præbeat. Quod ſi vaſis lateribus, in quo decoquitur, aliqua adnata ſunt, aut in ejus fundo ſubſident, quæ parùm quid acrimoniæ linguæ exhibeat, id coctionis ratione evenire putandum eſt.

32. Adde, quòd nec in iis locis, quibus ſcaturit Aqua hæc, nec in vicinis, nec ex parietibus ductuum ulla materia, quæ calcanthum exprimat, effluat, quæ deinde depurata, atque in ahenis decocta, ſutorium atramentum conficiat. Artifices enim imitantur naturam, atq; aquas ſuccis imbutas ad ſpiſſitudinem decoquunt, unde ex aquâ ſalſa conficiunt ſalem, ex Aluminoſa, alumen; ex eâ, quæ calcantho infecta eſt, atramentum ſutorium.

33. Tactus quoque aliquid in hac re valet, nam licet aqua hæc, ſubaſtringentem quendam ſaporem habeat, non tamen exaſperat, & inæqualem reddit cutem, quemadmodum facit Calcanthum & Alumen.

34. Cum itaque aqua hæc pura ſit, limpida, neque odore, neque ſapore; neque colore calcanthum ullo unquam tempore exhibens, ſequitur neceſſario, eam alia de cauſa acidam eſſe, neque naturam rerum omnium parentem, ad tantam inopiam, (Chymiſtarum more) aſtringi debere, ut ex calcanthi tantùm ſucco acida proveniat, quòd facilè intelliget is, qui ſaporum differentias, ac ſubterranearum rerum commiſtiones intelligit.

35. Et cum in rerũ naturâ ſpecies rerũ non ceſſent, nec materia idonea, nec cauſa efficiens, ad ſuccorum generationem deſinant, præter rationem non erit, alium

alium quendam fuccum liquidum in viſceribus terræ conſtituere, qui acidus ſit, & aquis commiſceatur.

36. Is tamen ſimplex non eſt, ſed acri ſapori jungitur, hinc plures reperiuntur aquæ, habentes hujusmodi ſuccum acidum & acrem, ut aliquæ ſint acidæ, & valdæ acres ad potum ineptæ, aliquando minus acres, ut in potum aſſumantur.

37. Ac licet ſucci toti in Aquis diſſolvantur & contemperentur, ex cæterorum metallorum ſubſtantia, parum aut nihil, ut ea ratione facilè totum contemperetur & immutetur: attamen hic ſuccus nullam præter aciditatem aquæ qualitatem exhibet, cæteri non item, unde & limpida, pura, ſine tetro aliquo odore, ac obſcuro colore conſpicitur.

38. At quum ab effectibus quoque de rebus ſubterraneis quæ aquis miſcentur, judicium fieri debeat, effectus vero certi procedant à facultate certa, facultas autem certa & determinata à tali temperamento naſcatur, ac temperamentum tale ex hujusmodi rerum commiſtione reſultet, & in eâ exiſtat, certum eſt, quod effectus talis, à tali rerum commiſtione fiat & producatur.

39. Quia autem ſapor hic mixtus in tenui ſubſtantia conſiſtit, acidus quidem in aqueâ frigidâ. Acris verò in terreâ calidâ, ideo quæ ex tali miſtione oritur Aqua, nec ſummè refrigabit, nec calefaciet, quæ operationes cum oppoſitæ ſint, altera efficacior & debilior erit, pro ut magis vel minus àlter ſaporum dominatur in Aqua; verùm ubi opus eſt, plus refrigerat, quàm calefacit.

40. Deinde præter facultates istas habebit vim corroborandi & astringendi levem: inde propter substantiam terream paucam non benè ad calore excoctam, refrigerabit, contrahet & adstringet superficiem corporis: sed propter plurimum aqueum humorem illi admixtum ad profundum penetrabit, incidet & attenuabit, quam penetrationem postea adjuvat, sapor acris adjunctus à copia caloris factus.

41. Hinc epota sitim extinguit, cibi appetentiam præstat, jecur & renes excalefactos refrigerat, viscerum obstructiones reserat, membra nutritionis corroborat atq; unit, neque tamen frigido ventriculo multum prodest, ut quotidiana experientia, rerum omniũ Magistra, testatur. Ipsi ergò viderint, qui eâ intempestivè utuntur.

42. Decipiuntur ergo meâ sententiâ, qui Aquam Göppingensem propter Calcanthum vim calefaciendi habere arbitrantur, non n. possunt ex veris principiis causam & temperationem hujus Aquæ intelligere.

43. Nec minori errore ducuntur, qui Calcanthi acerbitatem largâ aquâ obtundi & imminui, & sic acidum saporem exurgere credunt, nam ex succo acerbo quocunq; modo Aqua diluatur, non nisi acerbus sapor pervenit.

44. Deinde quod dicunt, oleum ex calcantho multa aqua dilutum, saporem acidum efficere, & naturam servare ejus, unde acidæ Aquæ originem sumunt, eo modo, quo ex frigidâ materiâ, frigidum ferè elicitur quemadmodum ex calida calidum, salsum è salsa, & ita in cæteris. Verùm cum ita ratiocinantur, rei na-

turam non assequuntur, nam simile ex simili educitur ferè, si rerum substantia per omnia eadem sit, ac constitutio æqualis existat; at succus iste acidus & calcanthi oleum diversarum naturarum sunt, & diverso modo à calore generantur, quare claudicat similitudo.

45. Falluntur quoque, quòd oleum calcanthi in Aqua saporem acidum efficere existimant, cum gustanti non verè acidus, sed austerus sit: & vehementer acutus, à calore exquisito concoctus, & penè ad naturam ignis conversus. Acidus verò sapor debilior est austero, & his omnibus efficacior acerbus.

Lucas Stenglius, Augustanus Medicus.

vide. centur. 5. mem. part. 37.

II.

Vitrioli nomen, natura, species, Spiritus appetitus Magister.

Χαλκάνθον, Latini atramentum appellant, quòd eò pelles nigro colore inficiantur; item Vitriolum, à vitri colore. Est mirabilis & igneæ plane naturæ, & sulphur ardens in se continet: inde in metallis solvendis, tingendis & generandis plus præstat, quàm alii sales, spiritusque ejus ferrum in Cuprum mutat. Continet autem in se duos spiritus. 1. album, magni & notissimi in Medicina usus, 2. alium adhuc rubrum. Aliud enim nativum in terræ cavernis concretum, aut destillans ex iis; aliud factitium, quod ex lapidibus quibusdam calcantho fis aut terra rubiginosa & æruginosa, aut cinerea maculis viridibus ac rubris interstincta coquitur, quæ tamen

men res essentiæ parvam facit differentiam. Calefacit & adstringit, humiditatem absumit, carnemque contrahit, exsiccat, humidasque carnes à corruptione præservat. Antiqui etiam intra corpus, drachmæ unius pondere exhibebant, ad vermes necandos & adversus venena fungorum. Verùm hodiè spiritus inde elicitur, qui tutius exhibetur, insignemque siccandi & putredinem sistendi vim habet, unde ad febres putridas & pestilentes utiliter adhibetur. (a) In appetitu quoque dejecto, plurimum præstare quotidie experimur, tunc temporis potissimum, ubi fecibus pituitosis & mucilaginosis internæ partes ventriculi quasi obvolvuntur & obstruuntur, ita ut spiritus famem producentes, hoc est innatus ventriculi calor obruatur, & ad operationem suam perficiendam ineptus reddatur. Quatenus enim in se continet vim penetrantem, incidentem & mundificantem, eatenus materias & cruditates illas mucilaginosas attenuat, digerit & absumit; unde consequenter spiritus esurientes antea quasi sepultos excitat, qui fructus consuetos in extimulando orificii sensu producunt & generant. *(b)*

a) *Sennert. l. 5. epit. sci. natur. cap. 2. Plin. l. 34. natur. hist. c. 12.* b) *Horst. decad. 5. probl. quæst. 7. part. 7.*

Plura de vitriol. vide Centur. 4. nostr. memorab. part. 79. & seq.

III.

Salis origo & differentiæ.

Quam Sal originem habeat, non ita planum est. Consentaneum autem est, Salem, ut & reliqua mineralia & metallica in prima mundi origine, creatum in

in terra esse, in qua adhuc, vi à creatore indita, sese conservet ac multiplicet. Si enim Elementa simplicia, in tot mutationibus & vicissitudinibus rerum sublunarium se conservant & multiplicant, atque ita à mundi initio adhunc usque diem integra constant, cur hisce corporibus eadem vis denegari debeat, caussam non video. Verù in iis saltem locis generatur, ubi spiritus ille, seu principium seminatium, si ita appellare liceat, præsens est; atque ex hoc salino principio in terræ cavernis, ubi humiditas multa non abundat, sed fossilis, nascitur. Si verò illud Salinum principium cum humiditate plurima & aquis per terræ cavernas labentibus misceatur, fontes salsi, ex quibus Sal excoquitur, inde originem habent. Marinus ex aqua marina fit, solis calore humidum absumente, si tamen calor Solis non sufficiat, igne reliquum perficitur: & ut candidior & purior fiat, solutione & coagulatione purgatur.

Sennert. l. 5. ep. sci. nat. c. 2.

IV.

Salis facultates in genere & specie, tùm ejus necessitas, usus & noxa.

Salis virtus est calefacere, exsiccare, attenuare, obstructiones expedire, dissolvere, discutere, depurare, mansuefacere, cunctasque superfluas humiditates absumere. *(a)* Vnde conditurâ suâ carnes servat & à putredine tuetur, corpora quoque defuncta à putredine vindicat, ut per secula durent, *(b)* appetentiam cibi excitat, (quod & columbæ naturâ duce noverunt, quæ ut languentem pipionum stomachum ex-

excitent, ſalem, aut terram quæ ſalem ſapiat *(e)* illis in os ingerunt) ac, ne in grumos coaguletur cibus, in ventriculo, prohibet; cibis etiam correctionem addit, & quæcunque alimenta non ſufficienti ſalis condimento coſperguntur, ea in ſanguinem phlegmaticum, putrilaginoſum converſa, variis morbis occaſionem ſubminiſtrant. Proinde, omnes homines, niſi juſtâ quantitate ſalis utantur ad alimentorum concoctionem, plerumque ſunt fragiliores, morbisque magis obnoxii, quàm alii, qui ſalis uſum legitimum non negligunt, cum quælibet res, ſive ſit animata, ſive inanimata ab hoc aromate conſervetur. *(d)* Hinc fit, ut inter ſimplicia, ea, quæ copioſiore ſale abundant fortiùs vigeant, & ſtrenuè magis temporum injuriis reluctentur, ut nullis nec rigoribus, nec ardoribus perimi aut vinci poſſint, quo minus virorem ſuum & vegetationem conſervent, quod ſecus aliis, eò minus præditis accidit. Idem videre eſt, in animalium genere, ut inter illa, quæ copioſiorem ſalem naturâ poſſident, ea vivaciora & & diuturnioris ſint vitæ. Quin & partes animalis eo abundantiores, quales ſunt oſſeæ, minus corruptioni obnoxiæ ſint, & ſerius interitum minentur. *(e)* illud quoque obſervatum fuit, eos, qui ad febres putridas diſpoſiti ſunt, cibis paulo liberalius ſale conditis, à febribus præſervari. *(f)* Hinc etiam vaccæ ſal lingentes, plus lactis reddunt, & alia quoque animalia, ſale ſaginata, carnem jucundiorem nobis præbent: imo Caprarum quoque caſei melius ſapiunt, & graveolentiam ſuam deponunt, ſi pabulis ipſarum modicum ſalis admiſceas, id quod ruſtici teſtantur, ipſaque experentia hoc comprobat. *(g)* partes quo-

que

que nimium relaxatas confirmat, humorum copia onuſtas deterget & mirificè extenuat, nimiam ſiquidem humiditatem, quæ totius corporis habitum occupat, tumidumque efficit, reſolvendo & liquefaciendo extenuat & conſumit: cliſteriis quoque & ſuppoſitoriis ſal admiſtus, non ſolùm inteſtina ad excernendum tardiora extimulat, ſed etiam humores, craſſiores & tenaciores colliquefaciendo ad faciliorem excretionem præparat. *(h)* Sic quoque non inconveniens erit, poſt uſum ſolidiorum medicamentorum lenitivorum hauſtum juris gallinacei, vel piſorum brodii, non penitus inſulſi, ſed moderato ſale conditi ſuperbibere, quo non ſolùm vis leniens citius ad actum traducatur, ſed inſuper etiam à ſaburra viſcidorum humorum primæ viæ meliùs & perfectiùs eluatur: ne communem cum multis erremus errorem, qui contra rationem & experientiam cum vulgo & mulierculis nefas eſſe ducunt, ſale conditos exhibere liquores, quia juſculum, ſi temperatè ſaliatur, non modò eluit inteſtina, ſed ſalis vi etiam ad ipſas medicamenti reliquias abſtergendas conveniens redditur. *(i)* Ut autem ad vitæ longævitatem Salis uſus moderatus permultum conducit, humidum conſervantis purum & ab omni putredine liberum: ſic immoderatus eidem ſalſuginoſam qualitatem aſpergit: unde acres & mordaces ſucci per cutim proſiliunt, & moleſtiſſimam ſcabiem, calculum, *(k)* elephantiaſin, aliquaque mala producunt. Quaprópter Literati uſum ſalis nimium poſtponent, ne oculorum acies obtundatur (turbat enim ſanguinem, craſſum & terreſtrem reddit *(l)*) neque ſanguis aduratur, humidum inquinetur, tandemque mordacia & pruriginoſa pro-

ſa proveniant excrementa, quæ humidum naturale tabefaciunt, nutritionem interturbant, deque vita non parùm decerpunt, totumque corpus languidum relinquunt, taceo quod alia incommoda plura valetudini affricentur. *(m)* Sal ſæpè capiti inſperſum amovere capillos creditur. *(n)* A piſcibus ſalitis abraſum, inſperſum humidis ulceribus, valdè illa exſiccat. *(o)* Flos ejus ſanat ſplenes induratos, ſi extrinſecus ipſis in veſicâ apponatur. *(p)* Sal non tantùm, ut Ariſtoteles refert. *(q)* frigore & humore diſſolvitur, & calido & ſicco cogitur, ſed etiam calido & humido eliqueſcit. Nam ſi ſalem raphano inſperſeris, aut raphani, qui naturâ calidus & humidus eſt fruſta, ſalis acervo indideris, ſal totus liqueſcet. (*r*)

a) *Ducan. Bornett. in jatrochym. p. 107. Panſa. l. 2. de pror. vit. c. 12. Querc. l. 1. c. 2. def. Med. Herm.* b) *Goglen de nat. mir. p. 140.* c. f) *Lang. l. 1. epiſt. 28.* d. g) *Panſa. l. c. cap. 23. de ven. ſect. c. 28. pror. vit. lib. germ. c. 19. Plin. l. 31. c. 9. Plutarch. l. de cauſ. nat. 3. Querc. ſect. 3. diat. polih. c. 8. Gal. l. 11. de ſimpl. med. facult. c. 50.* e) *Querc. in tetrad. c. 28.* f) *Mathæus de febr. peſtil. p. 23.* h) *Id. in ſpec. ſanit. p. 92. Agricol. l. 3. foſſil. c. 8* i) *Horſtius de cur. ſcorb. p. 53.* k) *negat. hoc famigeratus ille Panacearius An. Wald. l. germ. p. 35. b. de Pan.* l) *Dom. Leon. l. 4. ſect. 1. c. 3.* m) *de pror. vit. l. 2. c. 12. Math. ſpec. ſan. p. 94. Rhaſ. l. 3. ad Alm. c. 17.* n) *Plater. de vit. p. 46.* o) *Id. de dol. p. 954.* p) *Leon. ſect. 3. l. 3. c. 7.* q) *l. 2. Meteor. vide doctiſſ. comment. Unzeri de Sale praſ. c. 28. & ſeq.* r) *Lang. l. 1. epiſt. 28.*

V.

V.

Etiam sali vis quadam nutriens est.

De sale sentiunt eruditi, quod condimentum medicamentumque sit potius, quàm nutrimentum, quia in mero sale nihil vegetabilium proficit; & putantur etiam herbæ salsæ obiter saporem rapuisse; nec pisces in mari inde ali. Verùm ista sententia de sinceriore duntaxat intelligenda est, & quia tàm parum nutrit, ut nihil hujus facultatis habere sit existimandum; aliquid saltem ejus cum cæteris in substantiam verti, non iverim inficias, cùm videamus, ex nullo non corpore combusto salem extrahi, in quo fuisse necesse est, secundum potentiam, ex radice primæ generationis. Omne alimentum, inquiunt, dulce est, neque enim quicquam nutritur amaro; ideò & sanguinem animalium dulcem judicant. Sed dulce illud non semper ad gustum tale est: sæpeque ex prædominio dulcedinis æstimatur, non quòd planè nihil salsi sit conjunctum. Sæpè exsuctus ex vulneribus & dentibus sanguis subsalsus est. At nutrit. Secedit, inquiunt, Sal per sudores & vesicam & alvum. De superfluo hoc concesserim, sed non de proportione quæ naturæ convenit. Non frustra Deus vino & aliis nutrimentis competentem salem junxit, quod immutari à nostrâ naturâ nequeat; de copiâ excedente donaverim.

Libav. tom. 3. sing. libr. 5. de succin. schol. ad capit. 14.

VI.

Sal Epilepticos excitet cur; lipothymiæ resistit, Lumbricis infensum, & dentibus amicum,

Famulus Pharmacopæi Delfensis, cùm Epilepticus concidisset, nec ullus præsens esset, qui eundem ex paroxysmo excitare posset, ac sciret, forte accessit Sacerdos, qui ad os famuli epileptici jam spumantis, sal adhibuit, quod æger sentiens statim excitabatur, atque hoc modo alios innumeros, labra sale confricando, atque in os ponendo reviviscere fecit. Forte, quia Sal spumam ex ore defluere cogit, cùm & humida coacta sal liquare facit, quemadmodum spectamus, si limaces sale conspergantur, in totum liquescunt: ita & sal ipsum pituitam fundere puto, & hinc Epilepticum excitari: quod Sacerdos experientiâ tantùm cognoverat, at rationem illius ignorans. *(a)* In lipothymia cùm ex resolutione spirituum, tùm eorundem oppressione Sal præstantissimum esse remedium, si labia eò fricentur, aut æger id masticaverit, ausus sum affirmare; millies enim in his, quibus vena incidenda, aut incisa fuerat, cum fructu observavi, neque ullum hactenus remedium inveni, quòd citiùs effectus suos edat. *(b)* Sal, solum vel ore detentum, vel deglutitum, ne in ventriculum ascendant lumbrici, prohibet. *(c)* Sunt qui indies, manè granum Salis ore contentum liquant, inde dentes linguâ sale fuso imbuta perfricant, hocque dealbandis & firmandis dentibus, ac corruptioni præcavendæ opportunissimum esse asseverant. *(d)*

a) *Fore*

a) *For. l. 10. schol. ad obs. 64.* b) *Fabric. cent. 1. ep. 43. For. lib. 7. de febr. schol. ad obs. 14.* c) *Plater. de vit. pag. 975.* d) *Laur. de catarr. cap. 7. Goglen. de mirab. natur. pagin. 140.*

VII.

Sal vino inspersus id depurat, & cur?

Qui hodiè salem poculis inspergunt (utinam verò id fieret crebrius, minus enim tunc noxæ fæculenta vina bibentes contraherent) ideò id factitare intelligo, ut, si vinum sit fæculentum, sal id depuret, non modo enim vini fæculentiam, ob gravitatem suam trahit in fundum, & à corruptione nimiaque æstus ebullitione præservat, sed etiam longè salubrius, quam sulphur efficit. *(a)* Plus autem terræ quàm aëris sali inesse, parvulus ejus grumus, in vino vel aqua subsidens, clarè demonstrat, cùm uter oleo plenus emergat. *(b)*

a) *Gogl. de pror vit. c. 21. Fallop. de med. purg. simpl. c. 16.* b) *Lang. l. 1. ep. 28.*

VIII.

Sal substantiâ compactior, ex aëre copiosiore, quam rarior, ex aquositate, magis crepitans.

Sal omnis, quò compactior, spissior ac siccior existit, eò magis in igne crepitat, propter humoris nimirum paucitatem & aërem copiosum, qui ab igne extenuatus, spirituosam induit naturam, atque ita ex minori quantitate factus major, angustiâ loci non capitur, exitum ergo quærit & ruptis lateribus crepitum excitat, ut loquitur Scalig. (a) cùm ex adverso,

Sales, qui minus compactam naturam habent, sed rari admodum, fluidique sunt, multâq; aquositate adhuc abundant, ii candentibus carbonibus impositi, minus crepant, aut exiliunt, resistente scilicet, effectumque hunc impediente, copiosa humiditate, quâ perfusi sunt. *(b)*

a) *de subtil. exer.24.* b) *Unz. de sale c.15.*

IX.

Sal animale, vegetale & minerale.

An non animale quid est Sal, cùm eo videamus & urinas hominum & brutorum turgere? quando videmus eo tantopere illici, & boves & arietes, cæteraque id genus bruta, qui sal tātopere & instinctu quodā naturali appetunt, tanquā balsamum, quo præservantur, conservantur & vegetantur? appetunt, inquam, appetūt, huicq; inhiant, & vel ex muris, antiquissimisque ruderibus halitu suo exhauriunt & linguâ lingunt; & columbæ, aliæque aves rostro curioso perquirunt etiam in locis fæculentis & hominum excrementis, atque urinis abundantibus. Et quando tàm manifestè appareat, tot genera piscium generari atque nutriri in mari salso, mirum judicia hominum adeò perversa esse, ut non agnoscant, aut agnoscere nolint, admirandos effectus balsami hujus radicalis!

Non autem exutum esse seu privatum facultate vegetativâ, inde dijudicari potest, quòd primum sit in Natura movens, quod crescere facit, multiplicare, adeoq; ad omniū rerum generationem inservit. Magis etiam confirmat hanc sententiam generatio pretiosissimarum Perlarum in conchis, & corallii ex inti-

mis

mis saxis emergentis, & in brachia & ramos instar arboris divaricati. Hi effectus sunt, quos ignis ille naturæ, nempe sal producit, etiam in medio frigidissimæ aquæ. Et quid aliud est impinguatio, quæ efficit, ut granum unicum producat centum, quam stercoratio quædam & expansio fimi atque urinarum à bestiis prodeuntium? Hic est, qui vivificat, qui calorem impertit, qui crescere, qui prata & campos ridere facit, deniq; qui amplissimum universalissimumque illum vigorem producit. Sed quis non hoc in ipso etiam aëre videt, per sublimationes spirituum ejusdem salis Naturæ, qui verno tempore in aërem sublevati roris in speciem decidunt supra frumenta, atque stirpes omnes? Quid, inquam, per hæc ipsa non eosdem vegetationis effectus, quæ fit à sale, manifestè percipit? at Rorem esse spiritum prædicti salis, imò salsum, videlicet invitè, nec sine pudore fateantur, qui se egregios philosophos censent, quando videant à veris philosophis ex rore elici dissolvens corallos atq; perlas: haud secus quam ex sale comuni aut aliis salibus idem paratur in eundem finem.

Sal quoque esse metallicum, seu minerale, notum illud est satis, atq; eò quidem notius illud est cunctis, quòd tàm varia atque diversa genera salium reperiantur in visceribus terræ, cujusmodi sunt alumen, sal gemmæ, sal nitrum, vitriolum &c.

Querc. de med. prisc. phil. 2.

X.

Sal sitis & famis antidotum.

Carolus V. Imperator non tàm feliciter Tunetum urbem obsidione ab Othomannicæ familiæ tyranno

cinctam eripuisset, si artis Medicinæ notitia destitutus hostem aggressus esset. Cùm enim Cæsar vocatus in auxilium potentissimum exercitum ex Hispania in Africam trajiceret, (Sole tùm temporis versante in Leone) ubi propter vehementes ardores & aquarum penuriã milites ardentius sitientes, facilè defecissent, & ad præliandum ineptiores facti fuissent, nisi Cæsar salem distribuere jussisset, ut singuli granum unum atque alterum linguæ supposuissent. Hoc enim cum factum esset, sitim & famem de isto represserunt & animosiores facti, ingentem hostium multitudinem percusserunt, atque sic ovantes urbem ingressi eandem ab obsidione liberarunt.

Bicker. in præf. l. de sanit. const. conserv.

XI.

Nitri solum natale, modus seu forma parandi, ejus & aliorum Mineralium principium seminarium.

Nitrum nascitur in terrâ sui generis, ad muros & petras instarque lanuginis sponte efflorescit, unde & sal petræ appellatur. Arte & coctura ex terris nitrosis conficitur. *(a)* Artifices siquidem terram eligunt convenientem, & ex locis opportunis sibi cognitis, & & aquâ communi calida iteratis vicibus filtratâ, seu transcolatâ, per illam terram, ut fiunt lixivia: fit ut cum ea misceatur salsugo, quod salium omnium est proprium. De quo lixivio, si duæ tertiæ, aut circiter, ad ignem exhalentur, refrigescant, sal condensatur in glaciem, ex quâ artifex nitrarius opus suum perficit, purificatione facta, iteratis dissolutionibus & coagulationibus, ut pinguedinem, (quam vocant) ex-

exuat omnem. Hoc opus commune admodum, & vel vulgo notum, verèque mechanicum, si probè consideretur ac perpendatur, admirationis est plenum. *(b)* Sal autem hic admirandæ naturæ est. Visui enim apparet candidus, tactui frigidus, in se tamen continet spiritum rubicundissimum, calidissimum & maximè inflammabilem, ac planè igneæ naturæ. Etsi autem ex terrâ nitrosâ semel sal coctione extrahatur: tamen ex Matre nitri, quam appellant, novum nitrum regeneratur, idque non semel, sed sæpissimè; id quod Nitri coctoribus hodiè notissimum, imò nec antiquis ignotum fuit. Est enim & metallorum & mineralium forma sui multiplicativa, habetque ista vim & virtutem, ut sic dicam, seminariam, à DEO in prima rerum creatione inditam, in materiâ dispositâ, locoque apto sese multiplicandi. *(c)* Natura etenim cuique speciei pro perpetuâ propagatione perpetuum elargita est seminarium. Ita & sulphur, bitumen, aliæque species mineralium in se continent semen & balsamum æternum inabsumptum ignibus, quod dum per fuliginem, favillam, halitus pingues ex unâ materiâ in aliam susceptivam transfertur, eam iterum fæcundat. *(d)*

a. c) *Sennert. epit. sci. nat. c. 2. & 1.* b) *Querc. de prisc. med. phil. c. 3. And. Bacc. de therm. l. 5. c. 7.* d) *Bartolin. l. 2. de aq. c. 8.*

XII.

Nitri origo seu materia est sui multiplicativum.

Non est sal, in quo plus misteriorum, quàm in Nitro natura reconderit. Ipso Ortu est mirabile. Nam

præterquam, quod ex proprio ſuo ente, ut alia ſalia, creſcat, inſuper etiam ex urinâ animalium, quæ in bonam quandam atque umbroſam terram continuò cadit, procreatur, atque hoc bonitate & viribus differt, ut ipſa animalia. Evulſo ſemel ex terrâ nitro, reſtibile manet ſemen, ſive materia quædam generans, ex quâ communibus elementis innutrita, id renaſcitur atq; augeſcit, ut ad tempus debitum viciſſim poſſit inde erui.

Angel. Sal. vivent ſect. 1. aph. 28.

XIII.

Salis Prunellæ præſtantia & vires in malignis febribus.

Nitrum commune depuratum chymicèque præparatum ac in formam, quam Sal Prunellæ vocant, (a) adductum, etſi qualitatis eſt, ut reliqua ſalia, detergentis atque exſiccantis, nihil tamen hoc impedit, quia evidentiſſimum ſit refrigerium ac ſitis levamentum, nec non ardores immenſos, in febribus ardendentibus, Vngaricis & malignis extinguat, conſopiatque dolores à magnâ inflammatione caloréque interno ortos, plus quam aliud aliquod medicamenmentum. Mirum eſt quid Medicis quibusdam ſcrupuloſioribus, (b) in mentem venerit, ut impulſu levium quarundam rationum, quas ex qualitate nitri ſiccante & detergente exſculpſêre, uſum ſalis prunellæ in dictis morbis formidarent, aliiſque ſupercilioſè interdicerent, jacturam ſuæ authoritatis potiorem æſtimantes, ægrorum ſalute.

a) *Sennert. inſtit. med. l. 5. p. 3. ſect. 3. c. 15. Minderer. med. milit. p. 117. Libav. in def. contra. Scheun. p. 85.* *Apocal.*

Apocal. Herm. part. 1. c. 17. Querc. Pharm. rest. p. 737. de peste p. 401. Iord. de pest. p. 530. Ruland. de l. ung. p. 99. Felix. Wirz. chirurg. germ. p. 290. b) *Ang. Sala sect. 2. aph. 26. notat. Matheum, in exam. simpl. c. 41.*

XIV.

Pulveris bombardici descriptio materia, natura, motus rectus & sonus admirandus.

Pulvis pyrius est naturæ igneæ, quo incenso, globi ex tormentis bellicis magno cum bombo, exploduntur. Materia ex qua hujus pulveris est carbo tiliæ, (vel scapi (*a*) cannabini) sulphur, & sal petræ, (& nonnunquã aqua (*b*) vitæ) carbo tiliæ tanquã subjectum est, continens duo contraria, quæ huic quasi alvo inseruntur videlicet sulphur & sal petræ. In horum commixtione Nitri partes assumuntur plures, carbonum pauciores, sulphuris minimum. Tilia arbor est suâ naturâ calidissima. (*c*) Citissimè enim ascias retundit, ejus igitur carbones facilè concipiunt ignē. Sulphur est summè calidum, pingue & viscosum, ideoque exardescit facilè, tilięque carbonem summâ vi & celeriter totum accendit. *(d)* A nitro autem tota pulveris tormentarii vis provenit, qui à sulphure quidem, ut facilè accendatur, habet: quia tamen sulphur totum in momento quasi non accēditur, sed per partes & successivè deflagrat: Nitrum verò postquam semel flammam concepit, subitò totum cum impetu deflagrat, & quia inflammatum, quo prius concludebatur, loco capi nequit, ac præterea nitrum & sulphur hostes quasi sunt, fulminei istius impetus causa est. *(e)* Pulvis igitur pyrius facilè ignem concipit ob sulphur & carbones tiliaceos, magnamque

habet vim pellendi ratione nitri ; unde parva ejus massa post incensionem, in magnum fumum resolvitur; quare locum nimis angustum habens, in cannâ seu fistula oblonga, appetit majorem. Ne ergò fiat penetratio dimensionum, id est existentia plurium corporum in uno loco seque mutuo penetrantium, quæ est in rebus naturalibus ἀδύνατον, aut rumpit cannam, aut exitum quærit ea parte, quâ facilior est egressus. Cumque globum ibi inveniat obstantem, sed qui faciliùs tamen cedat, quam solidæ machinæ fistula, hoc modo quærens exitum, cum impetu propellit & protrudit globum quamvis magna mole præditum. Egressus globus obvia quæq; prosternit, & in hostes urbesque tanto grassatur impetu, ut terribilius etiam nihil excogitari possit. Præcipua autem emissioni adjuncta sunt motus & sonus, motus quidem rectus valdeque violentus, sonitus verò instar tonitrus aut boatus. Motus autem globi in ejectu est rectus, quia fistula ipsa, unde ejicitur, est recta & oblonga & globus ejectus eandem servat rectitudinem, donec languescente impetu, globique gravitate superante, ipse globus decidat. Quod autem erumpit cum tantâ violentiâ, causa hæc est, quod fumi seu halitus sua natura tendunt sursum & in magnam amplitudinem. Cum igitur in bombarda propter ejus longitudinem cogantur erumpere κατ' εὐθεῖαν, id est, in directum, ne coangustari possint, cum violentia erumpunt, & quo canna est longior, eò fortior est eruptio. Erumpit verò cum sonitu, partim ob angustiam & longitudinem cannæ, partim propter materiam machinæ ferream vel æneam, partim ve-

vehementiam istius impetus, quo unà cùm globo fumi erumpentes aërem frangunt & antevertunt, ut hic cedere nequeat. Quo autem præstantior pulvis est, eò violentior est eruptio & sonitus etiam major. *(f)*

a. b) *Paraus l. 10. oper. p. 329.* c) *Plinius l. 16. c. 40.* d. f) *Goglen. in comm. ad cap. 43. l. 2. Plin.* e) *Sennert. l. 5. sci. nat. c. Querc. de prisca phil. med. c. 3.*

XV.

Pulveris Pyrii usus internus, externus.

Germani Equites sclopo vulnerati pulveris bombardici semunciam in vino dissolutam alacriter haurire, hinc sibi à malignis symptomatibus, quæ vulneribus ejusmodi supervenire solent, immunitatem pollicentes, quod jure an injuria faciant, non statuo, id ipsum & Galli plerique milites, nulla necessitate coacti, tantùm quò alacriores videantur, innoxiè factitant: à plerisq; verò, suporti, ulceribus desiccandis felici successu aspergitur.

Paraus l. 10. chir. p. 329.

XVI.

Pulveris pyrii inventor detestandus, & Bombarda etymon.

Fertur homo (Bertholdus Niger Chymista, & ut quidam volunt *(a)* Monachus Germanus) ad exitium humanum natus, servasse aliquando domi, in mortario pulverem sulphureum, cujusdam Medicinæ faciendæ causa, illudque texisse lapide ac mox contigisse, ut dum ignem ex silice propè excuteret, scintilla intro ceciderit, subitoque, flamma eruperit atque lapidem in altum tulerit; & ille ejus rei casu doctus,

ctus, posteà factâ ferreâ fistulâ & sic pulvere confecto machinam reperisse, ac ejus usum Venetis in illo bello primum ostendisse, quod ad Fossam Clodiam est cum Genuensibus gestum, qui fuit Annus salutis humanæ 1380. Is itaque tam lethiferæ machinæ repertor, pro mercede, opinor, accepit, ut nomen suum perpetuò occultaretur, ne omni tempore à cunctis mortalibus malè audiret, dignus scilicet, qui prior ipse vice Salmonei fulmine flagrasset, quando hæc fulmini, odore, luce, sonitu, impetu simillima est, magnâ enim vi ignis collecti emissis repente aut ferreis, aut lapideis pilis, quicquid obvium offendit, quassat, dissipat, frangit, contundit, adeò ut nullus sanè sit locus, quãvis naturâ munitus, quin facilè expugnetur. Ex quo jam usu venit, ut in ea hoc tempore, omnis fermè vis peditum, omnis equestris splendor, omnis denique bellica virtus indecorè consistat, jaceat, obtorpeat. Hæc bombarda vocatur à bombo, id est sonitu, qui *βόμβος* Græcè dicitur: quidam alii tormentum æneum malunt nuncupare. Ejusmodi fiunt multa genera, quæ variè vulgo nominantur & unum illud minimum, quo nunc pedites utuntur, factitio nomine sclopus vocitatur. Sclopus enim est sonus ille, qui ex buccarum inflatione erumpit. *(b)*

a) *Bucholzer ind. chron. p. 378.* b) *Pol. Vergil. de invent. rer. l. 2. c. 11.*

XVII.

Gemmarum seminale principium & earum forma specifica.

Ut salix, etsi semen non gignat, ut aliæ plantæ, tamen principium seminale per totam arborem disper-

sum

sum habet, & hinc per ramum amputatum propagatur: ita & seminale Gemmarum ac Lapidum principium in materiâ lapidificâ latet, & in hac humanæ mentis caligine ejus essentia nobis ignota est, ut reliquæ formæ omnes, & non nisi ex facultatum & operationum ac qualitatum diversitâte illarum differentia cognoscitur. Habet enim quævis gemma propriam & specificam formam, quæ ab aliis omnibus discernitur, quàm à seminali ut sic dicam, sui generis principio, nanciscitur. Quæ non ex elementorum mistura provenit (a) sed ut rectè Scaliger (b) nominat, Essentia quinta est, à Deo Opt. Max. in prima rerum creatione huic naturalium rerum generi indita.

a) *Sennertus l. 5. ep. sci. nat. c. 4.* b) *sect. 20. exerc. 307.*

XVIII.

Saphiri natura & vires mirabiles.

Saphirus coloris est cyanei vel cærulæi, qualis cœli sereni, (a) (sed hic color summa cum naturæ contumelia ignibus admotis eripitur, cum tamen cælesti colore, nihil ad animi oblectationem, adspectu pulchrius esse (b) videatur) candidior Fœmina vocatur. Venenis resistit, & cor (secundum totius substantiæ (c) proprietatem) roborat. Gestata anthraces nasci prohibet, & super anthracem posita, eum extinguit; ab homine impuro gestata gratiam ac nitorem amittit. (d) Quidam, cui ex itinere redeunti, oculi pulvere repleti, omnem, vi Saphiri, intra horæ spacium, excussit. (e)

a. d) *Sennert. l. 5. epit. sci. nat. c. 4. Alb. Magnus l. 2. c. 17.*

c.17.de reb. metal. b) *Bodin. th. nat. l. 2. p. 231.* c) *Bernet. in jatro-chym. p. 110.* e) *Dodonæus l. 1. prax. c. 21. vid. cent. noſtr. 4. part. 100.*

XIX.

Smaragdi viror. & vires præſtantiſſimæ.

Smaragdus fulgentium Gemmarum maxima eſt, qui aliquando (*a*) quadricubitalis viſus eſt, & his quoque temporibus pedales habentur Genuæ & Magdeburgi. (*b*) Gemma eſt planè elegans & inter virentes, jucunda ſua viriditate oculos recreat. (*c*) Adulterina decuplo gravior eſt naturali, ac ſordes & adipem repentè contrahit, naturalis non item. (*d*) Adverſus peſtilentes febres valet, venena & venenatorum animalium morſus. Imo frangitur, ſi à veneno vincatur, rumpitur quoq; ac quovis illegitimo veneris uſu inquinatur, nitoremque amittit, quo oculorum laſſitudinem demulcere ſolebat. Deperit enim vis inſita, omnisque nitor ſordeſcit. (*e*) Coxæ mulieris alligatus partum promovere, ventri impoſitus retinere dicitur. (*f*) Memoriam roborat, animi affectus ſedat, caſtitatem conciliat. (*g*) Annulo incluſus, aut à collo ſuſpenſus, ſi nudam carnem tangat, ab Apoplexia, (*h*) & morbo comitiali præſervat. (*i*) Dubium enim nullum eſt, inviſibilem latentemque vim gemmas ejaculari atque vibrare. Licet enim ſit res ſolida, calor tamen nativus & confricatio, contactusque vim eliciunt, cordique ac cerebro communicant. Cognitum quoque eſt & compertum, Smaragdum mortui Domini digitis, quibus fuit geſtatus, obſilire. Et innumera poſſunt non tantùm gemmarum, ſed etiam plantarum experimenta coacer-

cervari, quæ si non ubique & semper respondent, non arguenda ideo sunt mendacii: quia non omnia ubique & semper concurrunt, & raritas effectus, seu singularitas affectus non tollit causam in naturâ. Rerum enim miracula perpetrantur per debitam causarum naturalium agentium cum dispositis patientibus applicationem, adeò occultè, ut causa videatur remotissima. *(k)*

a) *Plin. l. 33.* b. d.) *Bodin. l. 2. th. nat. p. 233. 267.* c. f.) *Sennert. l. c.* e. k.) *Goglen. def. magnet. vuln. curat.* g.) *Bicker. de san. defl. orig. schol. ad. c* 7. h.) *Plater. l. 1 de las. f. p. 50.* i) *Ansh. Boët. l. 2. de gemm. c. 53. Mizald. cent. 4. aph. 38. Fr. Rueus l. 2. de gemm. c. 4. Alb. Magn. de mineral. l. 2. tract. 2. c. 17. Unzer. de Epil. l. 2. c. 13.*

XX.

Iaspidis rubicundi vires admirandæ.

Jaspis rubicundus valdè ad sanguinis fluxum è naribus, utero, hæmorrhoidibus, imò etiam vulneribus commendatur; referuntque viri digni, sanguinis & uteri fluxum, qui nullo remedio potuerit sisti, jaspide femori alligato, ut & hæmorragiam narium, aliis remediis incurabilem, jaspide à collo suspenso curatam. *(a)* Multi quoque testantur, si Jaspis super os stomachi alligata, per diem ac noctem ab Epilepticis portetur & æger sudore corripiatur, ægrum à paroxysmo liberari, sin minus fato concedere. *(b)*

a) *Sennert. l. c.* b) *Gabelkov. in annot. ad c. 8.* c) *And. Baec. de gemm.*

XXI.

Cur infantes fontico malo obnoxii.

Infantes ad Epilepsiam maximè proclives sunt, non,

non, quod cerebrum habeant pituitosum. Si enim in nudâ & simplici pituitâ posita esset Epilepsiæ, aut ejus germanæ Apoplexiæ, causa, omnes ei morbo essent obnoxii, cum secus accidat: siquidem multos hydrocephalos videmus ab iis morbis immunes, etsi cerebrum aquosâ humiditate scatens & refertum habeant: sed quod illorum multi lac in ventriculo acescens, & non probè concoctum congerant: cujus corruptio eam naturam induit, ut in æruginosum & viride quoddam virus vitriolatum degeneret, (ut ex eorum rejectionibus ac vomitibus hujusce coloris videre est) unde dolores gravissimos patiantur, & proni ad hunc morbum reddantur.

Querc. in tetrad. c. 11.

XXII.

Cur Florentiæ & in Alverniâ ac Provinciâ Epilepsia plures invadat.

Florentiæ magis est familiaris Epilepsia, quàm in alia Italiæ parte, quod tribus de causis accidere puto: Prima & potissima est substantia cerebri tenuis & valdè sensilis, ob quem sensum facilè hunc morbum incurrunt, ut melancholici dicuntur natura ingeniosi. Quod autem substantiam habeant subtilem, ostendit eorum civium perspicax ingenium & judicium acre. Altera causa esse potest, victus ratio vaporosa & flatulenta. Tertiam esse puto, quòd hic morbus sit hæreditarius. Cum enim multi olim hunc morbum passi sunt, plures liberos ad eum suscipiendum idoneos procreant. Sani etenim sanos & ægri ægros pueros generant. Est & hic morbus frequens in provinciâ, qui ab ejusdē incolis vocatur (la goutete) ut in Alverniâ,

niâ, quod non aliunde accidere puto, quàm ex pravâ victus ratione, & vinorum mixtorum, quæ apud illos sunt, usu. Sunt enim valdè fumosa, cruda, aliis permixta, unde caput vaporibus tentant & implent. Habent etiam cerebrum valdè sensile, quamvis id vinorum usui tribuendum magis existimârim, eò quod, qui illuc commigrant in similem propensionem incidisse observati sint. In aliis regionibus minus frequens est.

Rondelet. l. 1. meth. cur. morb. c. 36. p. 173.

XXIII.

Terror non minus ac Ira, ut bilem concitet.

Terror æquè ac Ira bilem commovere solet, quemadmodum experientia non raro confirmat: *(a)* idque eam ob causam fieri probabile est, quòd in terrore calor ad principium suum confertim recurrens, ansam præbeat humoribus præter naturam collectis, ut regimine caloris nativi quodammodo destituti, plurimum exorbitent, & custode quasi deficiente, præter naturam, partes quasdam afficiant, undè manifestum est, non æquè omnibus, sed iis maximè tales animi subitaneas commotiones nocere, quibus aliàs cacochymia, præsertim biliosa, familiaris est. *(b)*

a) *Plat. obs. p. 402.* b) *Horst. l. 4. obs. schol. ad obs. 2.*

XXIV.

Linguæ ligamentum, (frænulum vocant) in Infantibus, cur, quomodo, & quibus divellendum?

Ligamentum validissimum, membranaceum & latum, medio inferioris linguæ corpori subjicitur, cujus

jus auxilio suffulta linguæ mollities, facilius vibrari ac produci potest. Hujus extremo, versus linguæ mucronem, funiculus adnascitur, quem Linguæ frænulum vocant. (*a*) Hoc in plurimis recens natis adeò totam linguam alligat, ut divelli obstetricis ungue (quod tamen perniciosum nec admittendum) vel nummi acie, (*b*) aut Chirurgi scalpello soleat, ne suctioni vel futuræ loquelæ impedimento sit, & ut liberè volvi atque moveri queat. (*c*) Ceterùm indifferenter omnibus infantibus, etiam citra necessitatem (nunquam satis damnato more) dilacerant & frangunt, doctæ forsan & edoctæ à Medicis illis, qui prætendunt, ejusmodi vinculum in omnibus infantibus, linguam radici nimium vincire, & sine ejusdem resectione loquelam mutilam & mancam fieri. Verùm cum nec Psittaci, nec Picæ, ad suam qualemcunque vocem edendam ejusmodi linguæ vinculi disruptione opus habeant, mirum videretur, si natura sagacissima, in eâ tantùm parte efformandâ defecisset, quæ locutioni, propriæ humanæ speciei, debuerat inservire, nec sine ratione Galenus, (*d*) in hâc etiam particulâ, Naturæ providentiam admiratur, ut quæ neque nimis brevem, neque nimis longam ipsam generaverit. Verùm distinguamus nos & dicamus aliquando fieri, ut quemadmodum aliis in corporis partibus, ita etiam in hoc vinculo Natura ludat, & in excessu quodammodo peccet, quo loco sectio non inutilis, sed necessaria existimanda. At, quòd semper in omnibus illum errorem committat Natura, alma rerum omnium mater, id est, quod nos constanter negamus, cum Clar. Præceptore Patavino, D. D. Salâ, qui testatur plurimos ruptione illâ, seu veriùs dicam, corruptione, suo etiam

etiam consilio & in ipso filiolo suo prætermissa, perfectissimè fuisse locutos, & econtrà plures eadem instituta mortuos esse, excitata à rudi imperitarum muliercularum manu inflammatione, quæ & dolorem effecerit, & lactis suctionem impediverit, ut ob id, si etiam linguæ tarditatem vel depravationem suspicemur, in locutioni destinatum tempus sectionem differre deberemus, hæc enim comodissimè tunc à perito Chirurgo fieri posset. *(e)* Vacat autem omni periculo hæc administratio, dummodo rectè administretur. Præcipuè autem perspiciendum convenit, ne nimis profundè incidatur. Ego elevata lingua, apice forficum ligamentum ut plurimum in duobus, nonnunquam & tribus locis incido, sic enim difficiliùs coalescit iterum, quàm si uno tantummodo in loco incisio facta esset: incido autem tantummodo quicquid nerveum est, ita ut carnem vix attingam, quod si prima vice non satis abscissum, aut iterum annexum fuerit, poterit postea eadem operatio administrari. Inciso ligamento, jubeo ut nutrix sæpissimè digito, melle rosaceo, aut communi madefacto, linguam blandè elevet, sic enim agglutinatio atque consolidatio impeditur. *(f)*

a) *Bauhin. th. anat. l. 3. c. 89. Arant. de fat. hum. Laurent. l. 4. Anat. c. 21.* b) *Iessen., instit. chir. p. 38. b.* c) *Bartolin. inst. anat. l. 3. c. 13. Horst. decad. 4. probl. 9. 1. Forest. l. 14. obs. 30. Alex. Veron. l. 5. c. 12. Aëtius l. 8. c. 36. Paulus l. 6. c. 29.* d) *Fabric. centur. 3. obs. 28. Sennert. l. 5. instit. med. part. 1. sect. 2. c. 7.*

XXV.

Quid ſanguinem in Phlebotomiâ propellat; & cur eundem Syncope ſiſtat.

Diſtenſio vaſorum in cauſâ eſt ſanguinis egreſſus per venam ſectam. Motus enim continuus arteriarum venis adjectarum venas comprimit; venæ autem ſi aperiantur, ſanguis ob non reſiſtentiam egreditur. Quamobrem in ſectione adveniente ſyncope, ceſſat ſanguinis egreſſus, quia ſpiritus vitalis vaſa non amplius diſtendit.

Bartol. probl. phil. & Med. rar. exerc. 10 probl. 5.

XXVI.

Error communis in aperiendâ venâ brachii, Cephalicâ & Baſilicâ.

Nimis ſcrupuloſi ſunt hodierni chirurgi in venarum ſectione, & ex antiquâ quidem conſuetudine & ignorantiâ accuratioris Anatomes. Putârunt enim complures ante hac Anatomici, & vulgus Medicorum ſequitur, Baſilicam inferiori loco ſub axillis oriri à cava; Cephalicam verò ſuperiori: quare in affectibus capitis Medici chirurgi non jecorariam, ſed cephalicam ſecare volunt; unde etiam hæc vena hoc nomen ſortita eſt. In partibus verò, quæ ſub collo ſunt, non niſi Baſilicam aperire ſuſtinent, ac ſi hæc caput deplere non poſſet, & cephalica Epar, aliasque partes inferiores evacuare neſciret, at hoc contra experientiam eſt Anatomicorum. Utraque enim vena, tàm Cephalica, quàm Baſilica, ab uno puncto prodit, atque exordio. Quia ergò pars quæcunque deple-

depletur, & per Cephalicam & Basilicam, ab eodem ramo venientes, non tantus est harum venarum habendus delectus, sed secanda est potius magis conspicua. (*a*) Quare eleganter Horstius, Pæoniæ familiæ Phænix: die Haupt-Median- und Leber-Ader haben all einen Ursprung/ und sind also einer Mutter Kinder. (*b*) In affectibus tamen capitis juvabit nonnihil magis Cephalicæ sectio, quia in hanc inseritur ramulus à jugulari externa accedens, quod non semel in variis cadaveribus observavi. (*c*)

a. c) *Bartol. l. c. probl. 6. lib. de venis c. 2. Fabric. p. 21. de laud. Anat. Bauhin. l. 4. th. anat. c. 23. Fallop. instit. anat. p. 504. obs. anat. p. 447. Vesal. l. 3. c. 8. de hum. corp. fabr.* b) *part. 2. de scorb. c. 8. th. 11.*

XXVII.

Figurarum in vena sectione, recta, transversa, obliqua, quis usus, quæ ratio?

Figuræ sectionis venarum tres sunt: Recta, transversa & obliqua. Recta quidem & obliqua in cubiti, poplitis & pedis flexuris non tàm celeriter, ac transversa conglutinatur, in aliis verò locis contrarium accidit, in quibus transversa sectio tardiùs conjungitur. (*a*) Magnæ autem illæ tres in cubito venæ, transversam postulant sectionem, non longam. Debet enim incisa vena, quoad fieri potest, citissimè consolidari, id quod impediet recta sectio, quòd dilatato brachio & ipsum unà dilatetur vulnus: cum aliàs in manibus & pedibus longa sectio tutior sit. Ubi ergò eodem die iteratu mittere sanguinem constitutum, obliqua utilis sectio est: transversa, quando non amplius de-

trahendus sanguis: recta verò ad plurium dierum facit iterationem. (*b*)

a) *Sennert. inst. Med. l. 5. part. 1. sect. 2. c. 7.* b) *Lessen. inst. chir. sect. 1. c. 2. Horat. Aug. de miss. sang. l. 9. c. 14. Botall. de ven. sect. c. 42. Petraus chirurg. p. 93.*

XXVIII.

In venis brachii secandis cautela notatu digna.

In cubito tres venæ communiter secantur: interna seu basilica; externa seu cephalica, & media, quam medianam vocant, ex utrisque composita. Quæcunque autem secetur, diligenter cavendum, ne arteria aliqua, nervus vel tendo vulneretur. Sub basilicâ enim arteria comes delitescit: sub communi nervus: sub utrisque musculorum tendines plerumque substernitur: Cephalica tutius secatur, cui neque nervus neque arteria subjacet.

Sennert. l. c. Jul. Cæs. Claudin. de ingr. ad infirm. l. 2. s. 3.

XXIX.

Dextra manus agilior sinistrâ, cur.

Dextra manus ut plurimum agilior, & ad motum promptior est sinistra 1. quia in dextro latere homini est vena sine pari, quæ fortè in ambidextris gemina est. 2. quia ossa graviora in scapulis, humero & tota manu dextra esse, aliqui habent pro certo & comperto; quod fieri potest ab impressione uberioris caloris in utero matris, cujus pars dextra calidior. Hinc docet Aristoteles, primum impetum, vel principium motus esse in parte dextrâ; ut homo progressurus prius

prius moveat pedem dextrum, avis volare volens, prius moveat alam dextram.

Bartolin. inst. anat. l. 4. c. 1.

XXX.

Manuum ex aquâ calidâ elutio in vermes facunda.

Manus, cum instrumenta sint, quibus mundantur organa superfluitatum cerebri, aures nimirum, oculi, nares & os, conveniet esse mundas. Lavandæ igitur sunt frigida aquâ, magis quàm calidâ, & hoc quidem, cùm alias ob causas, tùm maximè, quod lotio manuum, in aquâ calidâ, & præcipuè post cibi sumtionem vermes in ventre generet. Quia innatus calor, qui in ventriculo, ac reliquis nutritionis membris concoctionem operatur, per ejusmodi calidæ lotionem ad exteriora retrahitur, itaque imperfecta fit concoctio, quæ potissima generationis vermium causa existit. (a) Frigidâ verò lymphâ lotio calorem ad extremitates dispersum, ad interiora pellit & coctionem promovet. (b)

a) *Avinc. 16. 3. tract. 5. c. 1. Schol. Salern. cum comm. cur. c. 2. & 23.* b) *Bieker. in herm. red. ad c. 10. sect. 1.*

XXXI.

Calor noster eget frigido; & cur pisces pulmonibus non egebant.

Pulmo dum dilatatur (thoracis motu) facit ad caloris ventilationem & refrigerationem: videmus enim calorem nostrum frigido indigere, & absque eo extingui, ut liquet in iis, qui diutius in ferventissimis balneis morantur, sicuti flamma in angusto lo-

co, aëre non ventilata, contabeſcit & perit. Quare pulmo cordis flabellum & ventilabrum dicitur, & piſces in aquâ, quia non indigebant hac refrigeratione, pulmonibus carent. Dum autem conſtringitur, ad vocem facit, quatenus dat ſpiritum ad edendam vocem. Quare animalia pulmonum parenchymate deſtituta, vocem non edunt.

Bartolin. l. 2. inſtit. anat. c. 9.

XXXII.

Strepitus & tumultus paronychiâ laborantibus noxius cur?

Cur Paronychiâ laborantes, non debeant, nec poſſint eſſe prope molas, aquas, ſtrepitusque, ratio non eſt, uti Paracelſus nugatur, *(a)* quòd vermis ſtrepitum illum audiat & ſentiat, indeque quò ſtrepitus major fit, ſæviat; ſed quod præter externam interturbationem & ſtrepitum, ſpiritus menſque hominis ſatis interturbati ex illo tumultu magis interturbentur. *(b)*

a) *cap. 17. de apoſtem.* b) *Glandorp. de paron. c. 13.*

XXXIII.

Melancholia camini parietibus, qui neque ſcopis, neque aliis inſtrumentis abſterguntur, æquiparata.

Sicuti camini parietes ex continuo fumo conquirunt nigredinem, adeò inhærentem, ut ne ſcopis quidem, vel alio inſtrumento poſtea quis amovere poſſit; eodem modo fit in Melancholiâ, ubi enim ſemel humores illi nigri, non ſolùm in corpore, ſed & in

capi-

capite incrementum susceperint, tandem confirmationem acquirunt, non facilè delendam.

Forest. l. 10. obs. 15.

XXXIV.

Mania, casu perrupto cranio, & aquâ effusâ, curata.

Visa est mulier melancholica & maniaca nostro tempore, cui ob casum apertum est cranium, unde efluxit aqua, & curata est ab insaniâ.

Rondelet. l. 1. de cur. morb. c. 41.

XXXV.

Cum Phreneticis, Maniacis propior conversatio periculosa.

Ad furore percitos propiùs accedere non audemus, sed omnibus modis ab illis discedimus, verentes ne mali quippiam nobis inferant. (*a*) Iis equidem non est temerè assidendum, nisi quis triste, fœdumque infortunium, imprudentiæ suæ precium auferre velit. Memini multos hoc modo in periculum sese conjecisse.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

(*b*) Phrenetici enim aut Maniaci præsentia Medico periculosa est, si non strictè custodiantur. Memini equidem Præceptorē meum in Italia à ponte, in flumen per ægrum suum melancholicum furibundum, dejectum fuisse, & nisi famulus & alii præsentes fuissent, vix ex aquâ evasisset. (*c*) Quare, ob verendos casus, ac varia pericula vitæ, quæ evenire solent, tàm ex parte Medici, quàm assistentium, & etiam ægrotantium; præstat furibundos nodis, vinculis, vel potius la-

tis fasciis vinciri, ne hinc inde motu furentes Medicum, assidentesque & seipsos malè afficiant. (*d*)

a) *Gal.l.2.de diffic. resp.* b. d) *Forest.l.10. obs.22. cum schol.* c) *l.10.obs.1.*

XXXVI.

Phrenetici cur fortiores motu, debiliores verò sensu?

Cur Phrenetici fortiores ipsis sanis, quoad motum, & debiliores, quoad virtutem sensitivam? numquid ob hanc causam, quod in phrenetide ob exsiccationem, magis lædantur nervi sensitivi, quàm motivi, cum operationes nervorum sensitivorum humiditate magis perficiantur? deinde, cum & mente læsa dolorem non sentiunt.

Forest l.10. schol.ad obs. 3. Hipp.l.2.aph.6.Nic.Heinius decad.3.Basil. disp.4. de phrenit.th.14. & seq.

XXXVII.

An lien cursoribus, ne obsit, exscindi possit?

Lien non potest deficere naturaliter, siquidem natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis. Fabulosa ergo opinio vulgi, in cursoribus (ponderis & pungentis doloris vitandi gratiâ) eximi posse absque vitæ periculo (quod nunquam à quoquam visum aut literis mandatum) Nata indubiè ex antiquâ Erasistrati (*a*) opinione, qui Lienem frustra à Naturâ creatum existimavit, quod Plautus etiam (*b*) habet: Genua hunc cursorem deserunt, seditionem facit lien, occupat præcordia. Insecta autem splene carent. Quamobrem falsum illud: habet & musca splenem. (*c*)

a) *Gal.4.de us. part.c.15.* b) *in Merc.act.1.sc.2.* c) *Bartol.*

tol. l. 1. inst. anat c. 16. Bauhin. l. 1. th. anat. c. 43. Forest. l. 1. c. 2. de inc. urin. jud. Plin. l. 11. c. 37. Knobloch. disp. 6. Anatom. q. 2. Sennert. l 3. pr. p. 394.

XXXVIII.

Arsjuvandi eos, qui ab amputatâ linguæ portione fari nequeunt, casu inventa.

Cuidam in Inoyo castro 24. à Biturigũ urbe milliaribus commoranti, linguæ insignis portio resecta fuerat, ex quo infans totum triennium mansit. Contigit aliquando, ut dum in agris cum falcariis in scutulâ lignea biberet ab aliquo circumstantium titillaretur, titillatum non ferens, subitò in voces articulatas & intelligibiles erumperet. Id ipse miratus & rei novitate, tanquam miraculo, delectatus, eandem scutulam, eodem quo ante situ, in os indidit, planeque tum & articulatè sic loquebatur, ut ab omnibus intelligi posset. Itaque diu postea in sinu semper habuit scutulam ad sensa mentis proloquenda: quo usque tandem artium magistrâ & ingenii largitrice necessitate suadente, excidi sibi & affabrè fieri instrumentum ligneum curavit, tanquam unicum mentis interpretem & loquelæ ministrum.

Paræus op. chir. l. 22. c. 5.

XXXIX.

Lingua per putrefactionem ad radicem usque corrumpitur, & semestri vicissim sufficientem integritatem nanciscitur, mirum!

Filius Secretarii Illustriss. Ducis Brunsuicensis, laborabat variolis, pater chirurgi opera utitur, præsertim

tim cùm puer de dolore faucium conquereretur. Chirurgus ratus variolas nimis copiosè putrescere in lingua, gargarismo utitur, & subinde magna frusta ex ore aufert. Puer tandem obmutescit, nec cibos, nisi liquidos, deglutire potest, quam ob causam parens sollicitus ad me venit, & filii variolis periculosè decumbentis, iisque putrescentibus in faucibus, ut prorsus mutus puer non sit redditus, curationem petit. Absens, in medium consulo, & admoneo tum ipsum patrem, tùm etiam chirurgum, ut uvulæ rationem haberet, ne putredine absumtâ loquelam adimeret. Secundâ die ad me redeunt uterque, & uvulam jam periisse referunt, ego perterritus patri suasi, ut alium quoque chirurgum adhibeat, & tùm gargarismis, tùm etiam linimentis ex Rob-nucum & melle rosato mixtis cum aqua prunellæ partes exulceratas sanarent. Tertiâ die pater & novus chirurgus redeunt, linguamque putredine totaliter absumtam pronunciant, atque tunc puerum 7. circiter annorum accedo, prorsus mutum atque jusculum aliquod sorbentem invenio: paulò pòst os apertum intueor, linguam planè absumptam usque ad radicem video, atque in radice magnam putrefactionem sanie conspersam deprehendo. Gargarismos, quibus satis commodè chirurgi utebantur, continuare jussi & suasi, ut unicum remedium adderent, scilicet linimentum nostrum, quod recipit, pulv. fl. malvæ arboresc. unc. dimid. balaust. drach. duas, aluminis drach. dimid. cum melle despum. q. s. misc. f. linimentum molle. Planè enim mihi persuadebam, hoc exulcerationem exsiccari, & carnem aliquo modo in puerili corpore restitui posse. Semestri pòst, sollicitus de hoc pue-

puero patris ædes accessi, & quæ tunc aderat, matrem interrogavi de statu filii, quæ de scholâ domesticâ eundem avocat, iterum satis expeditè loquentem; ore aperto linguam integram quæ de novo creverat, sed paulò minorem invenio, quæ hodiè annis circiter tribus ad justam magnitudinem pervenisse dicitur.

I. Horst. in comm. lib. Hipp. περὶ παθῶν.

XL.

Causæ balbutiei linguæ Melancholicorum.

Variæ videntur esse causæ balbutiei melancholicorum. Nam & linguæ brevitas, quæ anteriores dentes premere non potest, ad quos collisus spiritus in vocem resultat; aut ariditas ipsius; aut largus cerebri humor; aut imbecillitas caloris musculorum linguæ formatoris, calore cerebri multo, præ velocitate imaginandi, linguam impediente, aut flatu, cujus copiâ abundant melancholici, velociter vehementerq; impellente linguam; quod autem velociter movetur, facilè impingit & incurrit.

Prothus Casulanus de linguâ. l. 4. c. 9.

XLI.

Motus cerebri per systolen & diastolen, in vulneribus capitis, & infantibus conspicuus, unde & cui usui?

Cerebri motus systole & diastole constat, estque continuus, assiduus ac indesinens, uti videre licet in capitis vulneribus, & nos non rarò hunc motum in vulneratis vidimus. Ita in recens natis, quorum in sincipite cerebrum palpitare conspicitur, quia ossa mol-

mollissima sunt, nec dum satis indurata. In dilatatione cerebrum spiritum vitalem attrahit, ex arteriis carotidibus, plexum choroidem constituentibus & sinubus, aërem verò ambientem cum odoribus è naribus per os ethmoides, papillares processus, ac nervos odoratorios, forte etiam quodammodo è palato, per ossis cuneiformis foramina, glandulam pituitariam & infundibulum in se attrahit & allicit. In contractione, tùm spiritum animalem (cujus materia est spiritus arteriosus, spiritu vitali perfusus, & aër) in nervos propellit, qui in totum corpus, tanquam canales, hunc spiritum devehunt, unaque cum spiritu, facultatem sentiendi & movendi, *(a)* tum fuligines atque excrementa cerebri, per palatum, nares aliosque meatus excludit. *(b)* Mirum ergò quosdam doctos viros hunc motum negare velle. *(b)* Vesalius etenim reprehendit Galenum, & recentiores Anatomicos; & rationem contrarium dictare asserit; Galeni argumenta *(c)* allata non esse tanti momenti, ut persuadeant, motum in hoc viscere esse. Obstare totam ipsius substantiam; nec sensu assequi potuisse, neque in vivorum brutorum Anatome, neque in maximis capitis vulneribus. Sinus quoque *(d)* tantum cerebri meningibus innati, Arteriarum modo pulsant. Quem pulsum cum in infantibus, dum calvaria penitus nondum coaluit, mox in vertice in loco, quem Zeudes vocant tactu deprehendant, in eo conjectari, cerebri substantiam sic moveri, cœperunt. Quod & aperto cranio, vivente adhuc animali tantùm ubi illi sinus feruntur, & non in aliis cerebri sedibus, motum hunc pulsantem observare certius cognoscitur & observatur. Cùm igitur

res dubia sit, (e) & dissensionis plena, agnoscamus hîc etiam mentis nostræ imbecillitatem, & pro iis quæ mediocriter investigari & explicari possunt, Deo gratias agamus, eaque ad communem usum rectè accommodemus.

a) *Bartol. inst. anat. lib. 3. cap. 2. & 3. Bodin. l. 3. th. anat. cap. 15. Hadr. Falckenburg. pagin. 240. Tabae. Neandri. Columb. Anat. l. 8. c. 1. Laurent. libr. 4. quæst. 11. Paræus lib. 4. chir. cap. 6. Gal. l. 8. de us. part. cap. 2. Jan-Conr. Rhumel. cap. 1. morb. castrens.* b) *Bartol. libr. 3. cap. 2.* c) *de util. resp. & l. 12. de us. part.* d) *Plater. paradox. 23.* e) *Knobloch. disput. Anat. 14. E. 3. b.*

XLII.

Dentibus quis & qualis insit sensus.

Dentes sentiunt (quia nervos habent à tertiâ conjugatione *(a)* qui in eos se ad radicem ingerunt *(b)* sed magis qualitates primas, (quia vires effundunt in radices dentium, *(c)* in quas nervuli penetrant) quàm secundas (ut mollitiem, duritiem, asperitatem) & in primis magis frigidum, (unde hæmodia & dentium stupor, qui acidos & acerbos *(d)* cibos sequitur) quàm calidum, *(e)* contra quàm caro *(f)* Si enim ferrum frigidissimum vel glaciem admoveas, statim obrigescunt. Verùm non quælibet dentis pars æqualiter sentit: sed interna, nervo & membranæ vicina magis sentit, quàm externa: hæc enim partim propter spissam & duram ipsorum substantiam corticis instar internam partem obducentis, quæ vim nervi spiritum animalem vix admittit: partim propter aëris ambientis continuam mutationem pati assuescunt.

ſcunt, quemadmodum ſenſus in cute calloſa pedum ruſticorum penè obliteratur. Quare pars, quæ extra gingivas eſt, ſeu dentium cortex, ab aſperis & duris non lęditur, hoc ex eo conſtat, quòd dentes eâ parte licet ſecentur, limis atterantur ac lævigentur, imò candentibus ferris urantur, tamen non dolent, imò vix ſenſus indicia deprehenduntur: inprimis verò dentis apex, cum ſolidior eſſe debuerit, ob cibos atterendos, & intrinſecus cavitas eò non pertingat, ergò nec nervus. *(g)* Ergò quemadmodum in enſe, ſub cortice chalybis duriſſimo latitat medulla ferrea longè minus dura, ita ſub cortice dentium oſſeo adeſt ſubſtantia quædam mollior, ad quam nervi perveniunt, ſenſumque illi impartiuntur. Unde ſicuti cutis ſentit per cuticulam non ſentientem, ita dentis medulla ſentit qualitates tangibiles per partem oſſeam omni ſenſu prorſus deſtitutam: non ſecus ac membrana nervea ſub unguibus locata ſentit caliditatem, & frigiditatem per ipſos nullo ſenſu præditos. Quod autem dentium cortex & ungues ſecundum ſe careant ſenſu: conſtat ex eo, quod abroduntur & ſecantur ſine dolore. *(h)* Hinc monialis quædam Patavii dentem quem habebat præ aliis longiſſimum, cum ſecari curaſſet, ad deformitatis curam, ſtatim convulſa & Epileptica decidit. In parte autem dentis abſectâ nervi veſtigium apparebat. *(i)* Quod autē dentes, nec ab igne, nec ferro, licet obſcurè ſentiant, non tamen doleant, cauſam ſolum Deum noſſe, Aretæus *(k)* inquit: aliud pronunciare non poſſumus, quàm dentibus proprium eſſe, ut nec ab omnibus, quæ eos immutant, nec ab his, quæ moleſtiam afferre poſſunt, æquè adficiantur, cùm magis à calido,

& à

& à frigido, quàm aliis qualitatibus lædantur, & frigidi sensus qualitas illis molestior sit, quàm calidi. *(l)* Sed hæc omnia negat Platerus, *(m)* dentes nec sentire, nec dolere affirmans. Dentes enim insensiles potius quàm sensiles, sicuti ungues esse debuerunt, qui eodem modo extrinsecus infixi, impetum sustinere debuerunt, & sine sensu sunt. Et ne quidem dolor, qui in eâ regione nascitur, & in ipso dente inesse creditur, dentiumque dolor ob id vocatur, sensum in dentibus esse probat, cum hoc membranæ vicinæ, vel gingivarum, aut periostii maxillarum causa accidat.

a) *Laurent. osteolog. c. 12. q. 3.* b) *Paraus l. 4. chir. c. 2. Fallop. obs. anat. p. 414.* c) *Gal. l. 1. de simpt. caus. c. 5. l. 2. de loco aff. c. 6.* d. g. l) *Bauhin. theat. anat. l. 3. c. 80. Scalig. comm. in l. 1. Arist. de hist. Anim. part. 105. Gal. l. 5. de comp. med. s. loc. c. 8. l. 5. de adm. anat. c. 3. Fab. Hippius phythol. l. 1. c. 25.* e. i) *Bartol. l. 4. c. 1. & 12.* f) *Arist. 34. probl. 3.* h) *constant. Varol. l. 3. anat. c. 1.* k) *l. 2. de caus. & sig. dint. morb. c. 12.* m) *paradox. 50.*

XLIII.

Cerebri leporis in dentitione infantum, ἀνηβαλλόμενα, cerebella alia & Amuleta.

A proprietate dentitionem in Infantibus promovere dicunt cerebrum Leporis assatum, verùm in hujus defectu, cerebrum hædi, gallinarum, vituli & ovis in usum recipiendum. Itaque multi felici successu, cerebrum ovis melle mixtum gingivis illinunt. *(a)* Canis dens combustus, tritus & gingivis appositus, juvat infantes ad emittendos sine dolore dentes. *(b)* Sunt præterea Amuleta quædam, quæ collo appensa, à proprietate juvare creduntur, (quæ si non viribus,

ſaltem (*c*) apprehenſione juvant) ut dentes apri & lupi, quos mulieres noſtrates unà cum coralliis, infantibus appendunt, quibus ego præfero dentes viperæ maris, & Jaſpidem viridem collo alligatum, ut ſtomachum tangat. Lapides verò Gammaridum, eodem modo appenſi, certo experimento dentitionem promovent & dolorem mitigant. Attrahunt enim vi magneticâ ſal acutum, quod eo tempore in ſanguine ebullit, cujus vi etiam corroduntur & calcinantur, ut quaſi comminuta & pulveriſata poſtea excidant. Alii qui coloquintidis radicem, annulo aureo, aut argenteo, aut canali aureo incluſam probaverunt, facilem quoque dentitionem efficere confeſſi ſunt. (*d*) Scribit Rhaſis dentem Leonis caninum, vel equi annicu-li, collo infantis ſuſpenſum præſtare ortum dentium ſine labore & facilem. (*e*)

a. d) *Becker. in Herm. de infant. diat. th. 34. & 35.* c) *Plat. de laſ. funct. p. 11. 541.* b. e) *Dom. Leon. l. 7. ſect. 1. c. 10.*

XLIV.

Septum transverſum cur in emortuis concavum?

Cur ſeptum transverſum poſt mortem invenitur concavum? an quia motus ejus fit fibrarum ſuarum contractione, ubi agendo fit rectior, quam ob cauſam ipſius uſus ad inſpirationem eſt neceſſarius, ubi verſus inferiora movetur, & ob contractionem fibrarum ex lineâ curvâ conſtituit rectam. Poſt mortem verò motu animali deſinente verſus ſuperiora tendit, influxu ſpirituum animalium ad fibrarum brevitatem inſerviente deſtitutum.

Jac. Müller. corall. 4. diſp. de motu anim.

XLV.

XLV.

Cur à Phtisi & macie extinctis, abdomen potius ad partes anteriores, quàm laterales, concidat?

Cur in Phtisi demortuis & emaciatis abdomen potius respectu partis anterioris, quàm lateralis concidit? an quia laterales partes ob fibrarum transversarum naturalem quandam contractionem sustentantur, adeòque partes anteriores eò magis contractæ, membranosæ tendine contrahuntur.

Ib. corall. 7.

XLVI.

Vt Dysenteria intestina; & phtisis, contagio pulmones; sic luis venerea venenum jecur à proprio inficit.

Ut Dysentericus affectus, intestina aliorum, & non alias corporis partes ex singulari proprietate (adest enim malignitas non respectu totius, quia universalis morbus non est, sed ratione specificę & malignæ corruptionis illorum humorum, qui intestinorum exulcerationem fœtidam generant. Quatenus autem hæc corruptio specifica, singulari cuidam parti, nempè intestinis, & non simpliciter toti contraria & inimica est, eatenus facilimè recipitur & vim suam exerit tunc temporis, ubi quis aliquo modo dispositus, ad ægrotantium cloacas accedens per inferiorem gutturem, (ut Plautus loquitur) venenatas expirationes ægrotorum recipit) & tabes putrescentium pulmonum in phtisicis contagio lædit; sic etiam verisimile est, venenum luis venereæ, propter singularem συμπάθειαν & connexionem,

 quam

quam humores, cui insidet, cum jecore tanquam officinâ propriâ possident, ipsum jecur afficere, maximè cum infecti jecur συμπάθειαν sortiatur, cum jecore inficiendi corporis majorem, quam cum quovis alio membro.

Horstius dec. 10. probl. quæst. 3. th. 3. quæst. 5. th. 2. Mercat. l. 1. de morb. gall. c. 1.

XLVII.

Pili & ungues, etiam Hecticis crescunt & quod mirum, defunctis.

Conditum suspensi cujusdam à Quæsitore impetratum domi apud me cadaver habeo, quod à plusquam 25. annis perstat incolume, adeò ut singulos dextræ partis musculos (quos capite tenus exsecui, & pendulos à circumstantibus distinctionis gratiâ, revulsi, quò ipsos quotieslibet oculis lustrare & manibus tractare possim, & ex recenti memoriâ, cùm aliquid paulo operosius mihi incumbit agendum, certius & tutius operari) numerare queas, parte sinistrâ illibatâ, pulmonesque, cor, diaphragma, ventriculum, lienem, renes, barbam, capillos, imò & ungues, quos resectos à me crebrius increscere, & ad priorem mox magnitudinem redire animadverti, integra intueri & observare. *(a)* Sed demus verum esse, mortuis capillos crescere *(b)* eam non esse veram excrescentiam dicemus, quemadmodum Plotinus *(c)* tradidit, defunctis pilos & ungues augeri, propterea quòd etsi anima recedat, tamen remanere in corpore mortuo per aliquod tempus, vestigium veluti quoddam vitæ, perinde ac remoto igne à laribus, lares excalefactos per aliquod tempus remanere conspicimus, cujus vestigii caloris ope, in corporibus vita

vitâ destitutis augeri pilos & ungues contingit: quæ tamen sententia falsa est: nam nihil vitæ in cadavere remanet, & sicuti recedente Sole, lumen & radii omnes quoque recedunt, ita abeunte animâ omnes quoq; ejus facultates extinguuntur. Quare dicendũ, *(d)* in mortuis non verè pilos augeri, ita quòd illis additamentum aliquod fiat, sed marcescente carne, & cute, omnes pilorum partes, usque ad ultimam radicem palam fieri, seseque ostendere, unde longiores videantur.

a) *Paraeus de embam. pag. 851.* b) *Donat. Marc. lib. 1. hist. med. mir. c. 1.* c) *l. 2. de dub. anim.* d) *Alex. Apfr. probl. 140.*

XLVIII.

A capite velato, negatâ eventatione, celerior canities.

Qui cooperto capite incedunt citius canescunt, quàm qui discoopertos capillos gestant, flatus enim putredinem prohibet, operimentum autem perflatum prohibet; unde qui pileo, vel alio tegumine operiuntur humidiores capillos habent, qui verò caput detectum & apertum gerunt, illis magis capilli exsiccantur. *(a)* Hinc putredo canitiei causa, ut fiat canities ob inopiam caloris nativi, quando non ita humores coquere potest, ut in iuventute, & ultima atque tenuissima pars pilorum, ubi calor minimus, maximè albescit. *(b)*

a) *Donatus Marcell. l. 1. hist. med. mir. c. 1.* b) *Bartol. l. 3. inst. anat. c. 1.*

XLIX.

Canities quid, & unde?

H' *πολιότης ἐςι ⁊ῶν τριχῶν διὰ τὴν σῆψιν γενομένη λευκότης* (a) Cùm enim imbecillo reddito calore, vel refrigerato capite, alimentum capillorum à calore naturali destituitur, tentatur à calore externo, cumque humidum sit facilè putrescit, unde cani evadunt capilli, quia dum putrescit humor, magna pars in aërem seu vaporem aëreum convertitur, qui pilos inficit colore albo, nam color albus (b) fit ex permixtione portionis aëreæ cum terrenâ aut aquosa, & ideò butyrū, camphora, & spuma sunt alba. (c) Duo autem sunt præcipuè putredinis modi, quorum alter est, cum parva in humore putrescente à calore præternaturali alteratione effecta, humor nondum tamen habet effatu dignam eversionem ad suæ naturæ contrarium: aliud verò putredinis genus est, in quo humor adeò magnam ad contrariam sui naturam transmutationem obtinet, ut non possit ampliùs ex naturæ coctione, ad primam ejus redire perfectionem, nec ampliùs ad habitum naturalem redire, & hæc propiè corruptio appellatur. (d) His stantibus dicimus, cùm Aristot. (e) ex putredine canitiem oriri scribit, intelligendum esse de priori putredinis modo, in quo fætor nullus, vel saltèm exiguus esse potest, & non de totali corruptelâ, in quâ quod putrefit, male olere consuevit. (f)

à. e.) *Arist. l. 3. de histor. anim. cap. 11. & lib. 5. de gen. anim. cap. 4. & 5.* b) *Theoph. de color.* c. f.) *Donat.*

nat. Marcell. l. c. d) *Gal. de diff. febr. c. 6. comment. in aph. 27. l. 2.*

L.

Tempora cur maturiùs canescant?

Homines citius circa tempora canescunt, quia nimirum ibi magni & carnosi sub cute locantur musculi, qui ob humiditatem facilius putrescunt; adde quòd temporum ossa admodum sunt tenuia, ideòque calor extraneus facilè potest pervadere.

Barthol. l. c.

LI

Vir unde calvescat faciliùs, quàm Fœmina, Puer, Eunuchus.

Vir potiùs calvescit, quàm Fœmina, vel puer, vel Eunuchus, quia viri temperies processu temporis fit frigida & sicca, (calvicium autem sequitur frigiditas & siccitas,) 2. Sicuti arbores humore unctuoso & viscido redundantes, propria folia semper habent, ita pariter illi, in quibus vapores fumosi viscidi elevantur, perque eorum porositates continuitatem quandam accipiunt, nunquam propriis pilis destituuntur.

Dom. Leon. l. 1 f 1. c. 4.

LII.

Pectoris in Empyemate sectio à milite punctim læso, mutuatitia.

Pectoris sectionem in Empyemate forte fortuna inventum esse putant, a milite quodam Empyematico, qui de salutis restitutione desperans, ferè tabe consumptus ad bellum accessisse dicitur, ubi ab hoste

punctim læsus in thorace, puri exitum molitus, & ab Empyemate liberatus fuit.

Horstius decad. 4. probl. q. 10. th. 6.

LIII.

Partes multæ in homine sine fibris, solâ vi magneticâ, attrahunt, retinent, expellunt.

Fibrarum tria sunt genera. Aliæ rectæ in longitudinem porrectæ: aliæ transversæ, quæ ad pares rectosque angulos in illas incidunt: aliæ obliquæ, quæ ad impares angulos obliquè in rectas feruntur. Facultas attractrix rectis utitur fibris: expultrix transversis: retentrix obliquis fruitur fibris. Hæc quidem Magni viri: (*a*) sed dubitatur, beneficione fibrarum, attractio, retentio & expulsio fiat, exempli gratiâ, venæ attrahunt, retinent & expellunt quidem, verùm hoc per fibras non (*b*) faciunt; (sunt etenim multæ in corpore humano partes, quæ absque ejusmodi fibris, attrahunt, retinent & (*c*) expellunt) sed id quiescentes faciūt, similitudinis vel dissimilitudinis ratione, velut Magnes (*d*) facit, ut eleganter Fallopius. (*e*)

a) *Heurn. l. 3. inst. c. 3.* Zwing. *phys. l. 2. c. 37. p. 510. Laurent. l. 1. anat. quæst. 31. Fuchs. l. 1. instit. sect. 6. c. ult. Fernel. l. 5. physiol. c. 6. Sennert. l. 1. instit. c. 9. Paræus de anat. corp. hum. l. 2. c. 10. Gal. l. 3. de fac. nat. c. 11.* b. d) *Bauhin. l. 1. theat. anat. c. 7.* c) *Bartol. instit. l. 1. c. 9.* e) *observ. anat. p. 448.*

LIV.

LIV.

Humani intellectus radii, variorum animalium sagacitatis usufructuarii & directores.

Homo cùm omnium animantium esset præstantissimus, & intellectus radiis cætera superaret, solus ille, pro sagacitate suâ, non tàm animantium, quàm cæterarum creaturarum instinctus omnes & singulos observare & ad usum transferre potuit. Sic ad Galli cantum intentus Horologium composuit. Sciurum aquas tranantem cùm videret, navigandi peritiam adeptus est. Ab hirundine nidum componente domicilium ædificare didicit. Ab apibus verò & formicis monitus, futuræ hyemis memor, omnis generis victualia collegit, & in horreis recondidit. Ardea hominem pisces capere; Aranea pannos contexere docuit. Camelus ephippia equo imponenda monstravit.

Haud aliam certè viam ingressi Medicinæ primi Professores, cùm naturam semper appetere sui conservationem intelligerent, animo attento, animantium morbos & medelas accuratè explorârunt. Lupus etenim ex nimiâ voracitate ægrotans, tenellis tritici locustis & communi gramine se purgat: unde radices graminis inter aperitiva connumeratæ, ad hunc usque diem in usu habentur. Porcus si ex satietate gravem se senserit, napis vescitur, ut fiat levior; hinc Napos appetitum excitare & urinam ducere, homines didicerunt.

Aper si forsan hyosciamum comedit, facilè con-

vulsionibus fit obnoxius, ideò accurit is ad rivulos & cancros quærit, quibus devoratis, pristinam recuperat sanitatem: Unde naturæ exploratores cancros paralyticis & convulsis opitulari cognoverunt, illudque ex signaturâ non inconveniente, tot nempè pedibus incurvatis quibus incedunt, significari animadverterunt. Insula Zeilam serpentem coronatum alit, cui inimicissimum animalculum eâdem insulâ habitat, quod Quil vocant: id cùm serpente pugnaturum, radicem quandam præmordet, pedibusque anterioribus salivâ conspersis, caput primùm, denique totum corpus demulcet, posteà hostem aggreditur, nec dimittit, donec occiderit, atque si isto congressu serpentem non superare valeat, denuò ad radicem confugit, ad quam se fricat, & in prælium redit, quô spectaculo edocti Zeilam incolæ, hanc radicem venenis esse adversissimam.

Sic Leo febricitans simiam capit, quâ devoratâ morbo liberatur: unde singularem vim cor roborandi & à febribus defendendi in corde simiæ latere sagacissimi Physici invenerunt, ut etiam si manu teneatur, pulsus motum cohibeat.

Corvus devorato chameleonte foliis Lauri sibi medetur, & Ciconia si carne serpentum repleta detrimentum inde percipit, origano comesto se restituit. Hinc laurum & origanum antidotis annumerârunt.

Aquila dum ætite lapide ova excludit, partum hominis faciliorem reddere docuit.

Upupa dum se uvarum commestione inebriari sentit, capillo veneris decerpto efficacissimè sibi medetur.

Bieker. in Herm. rediv sect. 1. schol. ad c. 1. & prophyl. sect 4. c. 2.

Vide cent. 1. nostr. memor. part. 5. & seq. cent. 5. part. 34. & 35.

LV.

Sympathia astri seu balsami nostri (microcosmi) cum astris macrocosmi.

Mirabili sympathia cum astris macrocosmi conspirat balsamus & astrum nostrum, ut penè eadem vicissitudine statis temporibus moveantur & se ultrò citroque afficiant. Quod ut exemplis magis inclarescat, perpendite, quæ hyeme, sole à nobis recedente fiat mutatio: vita nempe Elementorum magni mundi languescit, herbæ, plantæ & stirpes comas dejiciunt, semina & radices suis domiciliis se abdunt & quasi emoriuntur. Homo tristatur & languet, balsamusque ejus interiora petens majorem cibi copiam conficit & elaborat quàm aliàs. Revertente verò sole, tempore verno, omnia reviviscunt, insecta quoque muscæ, ranæ, hirundines, quæ brumali frigore semimortua in rimis tabularum, sambuci medullis, littorum cavernis sese recondiderant, reviviscunt. Homo etiam abjectis impuritatibus mineralibus, quæ tota hyeme contrahebantur, renovatur & vitam quasi novam cum magno mundo induit. Æstate appropinquante, cùm Sol Cancrum, Leonem & Virginem peragrat, calor macrocosmi fit ardentior, & omnia torret, ubi & hominis balsamus ad hujus instar mutationem recipit & acrior evadit, donec ad autumnalia signa lustranda sol se accingat. Taceo quàm mirificè balsamus solaris lucis claritate perfusus,

ſus, ſereno tempore gaudeat, nubilâ verò tempeſtate triſtetur ac deficiat. Sic ſole oriente homo lætior & balſamo renovato plenior, quàm à meridie, cum ad occaſum lux diei inclinat, quod magno ſuo commodo facilè percipiunt. Quæ omnia vitam Microcoſmi à Macrocoſmo pendere, ſuſtentari & augeri, indicio eſſe poſſunt.

Id. ſect. 1. ſchol. ad cap. 2. & 3.

LVI.

Quæ in foliis arborum & vitium, ex Auſtro, Borea & Aſtris: eadem in homine ex nativi aſtri tempeſtatibus defloreſcentia.

Quemadmodum arborum folia & vitis pampini, Auſtri grandine, pluviis, nive, Aquilone & borealibus flatibus cæteriſque aſtralibus impreſſionibus langueſcunt & mutantur: ita corporis genuinus vigor & color & conſtitutio ex ingruentibus aſtri noſtri tempeſtatibus defloreſcit & immutatur, ut intempeſtiva inde contrahatur canities, deſpicatus corporis habitus, horridus aſpectus & cadaveroſa facies, qui ferè omnibus contingere ſolet, qui captivi detinentur, aut in periculis militaribus maritimisve verſantur.

Id. ſchol. ad c. 13.

LVII.

Quod in foro Iuridico Actor, Reus, Iudex, idem in foro Medico Morbus, Natura, Medicus.

Quemadmodum in forenſi Judicio tria obſervantur, Actor ſcilicet, Reus & Judex, *(a)* ita in foro medi-

medico accidit. Etenim Morbus actoris personam agens, Naturam, quæ rei vicem gerit, accusarę & destruere nititur, hæc causam propriam pro viribus tueri, illumque manifestâ falsitate, turpiq; sævitiâ convincere, necnon longinquum in exilium abigere contendit, vocatus & optatus accedit Medicus, (velut Judex *(b)* in tribunali residens) Naturæque perscrutator morbique perexactus indagator, qui illius vires, cum istius vehementiâ, æquâ lance & diligenti trutinâ perpendens, tùm præsentem eventum pronuntiat, tùm maximè futurum pronuntiat Judicium, atque ita veri Judicis subit locum, init officium. (*c*) Improbatur quidem à quibusdam doctis hæc forensis judicii, cum naturæ & morbi concertatione analogia, utpote inepta & insolens. Quis enim in hoc certamine Judex statuendus, non Medicus, qui Naturæ minister est & speculator tantùm: non Natura, quæ quæ pugnat cum morbo; non dies criticus, quippe qui per se agendi nullam vim habeat. *(d)* Sed injustè improbatur eo solùm nomine, quod non per omnia similitudo proposita quadret. Nam præterquam quòd ab Aristotele, (*e*) & à Galeno (*f*) recipitur, satis est, ut similitudo penes aliqua saltem habeat locum. Ut enim in foro judiciali, inter accusatum & accusantem & atrocissima est pugna, & unus tandem vincit, alius vincitur: sic in crisi morbus & natura pugnant acerrimè, ut ita æger nihil aliud, quàm illi expectet, qui in foro judiciali conveniunt, de vita scilicet aut morte sententiam. *(b)*

a) *Sichard. IC. enarr. in l.3. cod. de jud.* b) *Amat. Lusitan. l. de cris. die. decret.* c) *C. Romanet crisiol. l.1. c.1.* d) *Lau-*

Laurent. l. 1. de crif. c. 1. e) *l. 5. Phyf. c. 6.* f) *3. Progn. comm. 1.* g) *Iul. Caf. Claudin. part. 1. de crif. c. 1.*

LVIII.

Lunæ vis à Sole mutuatitia, in decremento & augmento, exemplo conchyliorum, maris, arborum, uvarum oftenditur.

Ad folis efficientiam proximè accedit Luna, quæ, ut Philofopho placuit, (a) parvus ful exiftit. Ejus autem vires, ad ea, quæ infra gignuntur, confervantur, alterantur, aut alio naturali modo afficiuntur, maximè pertinere fatendum eft: namque eft ultima cælo, citimæ terræ: & illud experimento quoque demonftratur. Oftreis & conchyliis omnibus contingit (b) ut cum Lunâ crefcant; pariterque decrefcant. Idem ferè maria ipfa experiuntur, qui in plenilunio tumida, novilunio verò planiora fieri folere, fat notavere nautæ. Arbores cum Lunâ (c) fenefcente tempeftivè cæduntur: quæ fi eâdem crefcente cædantur, putrefcunt. Si vindemia, cum Luna adhuc nova apparet, fiat & colligatur, vina redduntur frigidiora. (d)

a) *Ariftot. l. 4. de gen. anim. c. in ult.* b) *l. 4. de part. anim. c. 5 Ruefer. de orig. aquar. c. 1. in. defcript. therm. March. Bad.* c) *Cic. de divin.* d) *Car. Romat. l. 2. crifiol. c. 6.*

LIX.

In naturæ decretis (qualia funt Medicis dies decretorij) τὸ πῶς occultum.

Permulta funt naturæ decreta, quorum eventus & effe-

effectus ad notitiam quidem nostram perveniunt, sed τὸ πῶς, quomodo fiant, non item: atque adeo Naturam dierum decretoriorum caussam peculiarem esse non ignoramus, sed quo genio id contingat, rectè nosse, hoc opus, hic labor est, nec nisi generaliter ostendi potest. (a) Adde cum Lucretio:

Multa tegit sacro involucro natura, nec unquam
Ullis scire fas est mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquires, quæ sunt Arcanis proxima - - - (b)

a) *Carol. Romat. crisf. l. 2. c. 6.* b) *l. 5. de rer. nat.*

LX.

Equites frigore per Alpes concreti, cum scuto & habenis equitantes.

Nos Italiam petentes, cùm Alpes superavissemus, repente tanta vis nivium præceps circiter horam 1. devoluta est, ut passim milites gelicidio concreti animam efflarent: equites enim insidentes, distenti manebant, equum adhuc vitâ fungi sors ferebat, qui militare cadaver gereret, agmenque sequeretur, defunctus autem ante & scutum & habenam tenebat, insidebatque rigidus, tanquam equo, modo quodam agglutinatus, cohæsisset, sic ut non sine negocio à viventibus avelleretur. Si verò unà quoque mortem oppetivisset, equus, gelu rigidus perstabat, & undique fixus in vestigio manebat. Ita quoque & pedites prope Metim congelati hastas in manibus adhuc tenentes, mortui deprehensi sunt.

Theonest. de veterin. morb. Forest. l. 10. obs. 41.

LXI.

LXI.

Vinum C. O. S. cur aspectu, olfactu, gustu, generosissimum, gratissimum?

Vinum generosissimum putatur, quòd omnes sensus delectat, visum nimirum colore nobili & perspicuitate, perspicuitas quippe puritatis & tenuitatis comes, vinum defæcatum & depuratum esse indicat: nisi enim tale fuerit, tartaro acuto & coagulativo, sanguinem replebit, unde postea variæ ægritudines orientur. Olfactum præterea fragrantiâ suâ recreabit. Auditum verò & famæ celebritate & stridulo quodam, quem dum infunditur edit, sono. Gustum miti quadam suavitate recreabit. Ea namque tùm maturitatem, tùm perfectionem ejus demonstrat, quâ ab acribus aut acidis salium tincturis liberatur, quibus aliàs ventriculum vellicat & subvertit, gingivas & dentes corrodit, & acres fluxiones capiti conciliat. Tactum denique naturali frigiditate, non eâ, quæ nive aut glacie introducta est, afficiet. (*a*) Quare in præsens gaudium abripit homines, spiritus etenim gignit temperie moderatos & consistentiâ mediocres, humore moderato perfusos, ac splendidissimo lumine emicantes. (*b*)

a) *Bicker. de sanit. const. conserv. schol. ad c. 23.* b) *Heurn. l. 2. M. c. 5.*

LXII.

Vini etymon.

Vinū Latinis dicitur à vi seu virtute. Græci οἶνον ἀπὸ τοῦ ὀνεῖν à juvando. Hinc Bacchus præcepto oraculi dictus ὑγιάτης hoc est, sanator, (*a*) vel ἀπὸ τῆς ὀνήσεως ab

ab emolumento, vel διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιπλᾶν: quod existimatione atque hominum opinione mentem oppleat. *(b)*

a) *Oberndorf. de lue Ung. p. 268.* b) *Hadr. Iun. in Lex.*

LXIII.

Vinum literatis utilissimum, rusticis, ut λαμπτῶς vivant, serum & lac acidum relinquendum.

Vinum spirituum omnium animalium, vitalium & naturalium fomes est, mentis ingeniique incitabulum, cordis lætitia, quod torpidum contractumque, calefaciendo, humectandoque laxatur & funditur. Probè celeriterque nutrit, ac in sanguinem facessit, cum vigens calor veluti humoris auriga sit, ad hæc solidas quoque partes calefacit & humectat, viribus robur advehit, succorum colorisque bonitatem inducit, concoctionem, distributionemque ciborum ingestorum adjuvat, & adversus senectutis frigiditatem ingens est remedium, balsamum seu rorem cordis vitalem, qui quotidiè exudat, in sanguinem nobilitat, exhilarat, restaurat, spiritus languentes adauget, exolutos reficit, præsentes auget, imò vinum sæpiùs absque aliorum remediorum ope lypothymiam incurrentibus succurrit, eosque in vivum quasi revocat, & odore tantum suo reficit: sic crassiora edulia sæpius nihil offensæ pariunt, si bonum vinum superbibas. Quare Agricolis suum relinquimus ὀξύγαλα, lac acidum, quo mirè delectantur, idque potissimum in cænis apponunt, ubi brachiis expansis utrinque cum majestate, seu rusticitate accumbunt, & per aliquot dies λαμπτῶς vivunt. *(a)* Ad venena quoque

frigida, & inde dolentia præcordia nihil præstantius vino tenui, gilvo, acri & odoro: imò sunt, qui mistis oleo chamæmelino, & tali vino omnium partium dolores persanent (*b*)

a) *Pansa l. 2. pract. gen. c. 13. & 14.* b) *Holler. inst. chir. l. 3. c. 3.*

LXIV.

Vini usu, nutrice mortuâ, in lactis defectu, infantes conservati.

Bis hactenus observavi, puerulos ex solius vini usu conservatos. Unus erat sexto mense natus, alter verò quinto. Pedemontanus hic, ille vero Cingulanus, cùm mortuâ nutrice carerent lacte, ut fieri solet in ejusmodi angustiis, ac aliam non invenirent nutricem; ovorum vitelli cœperunt exhiberi, sed infelici successu, quia uterque horum statim evomebat quos sumserat vitellos. Lac capræ dedimus, sed sine fructu. Tandem nihil poterat excogitari alimenti pro eâ ætate accomodati. Opinabamur nullam esse spem. Tandem experiri placuit vini nigri, dulcis & crassi usum, cepimus prius dare unciam, quod cum vidissemus retinuisse, dedimus iterum duas, postea duas cum dimidia, ac postremò usque ad tres uncias pervenimus. Mirum dictu, conservavimus vivos. Nam postquam hanc rationem cibandi inivimus sexdecem dierum spacio, solo vino generoso alti, viribus recreatis, ceperunt postea vesci pane eodem vino macerato, ac aliis alimentis crassioribus, pro ætatis mutatione necessariis, uterque vivit adhuc sanus. *Horat. Augen. l. 9. epist. 7. tom. 2.*

LXV.

Vinum in tali casu, non quodlibet, nec cuilibet infanti aptum.

Num vinum infantibus conveniat? Si in hâc controversiâ aliquid decernere liceat, statuo, primò non omne vinum infantibus convenire. Multa enim vinorum genera, cùm ex proprietate terræ tincturas validiores adepta sint, infantibus valdè nocent, ut sunt vina acria, austera, exsiccantia &c. & ultra modum calefacientia. Ideò vina nigra & dulcia, cum ob substantiæ densitatem & crassitiem plurimum nutriant, & propter saporis gratiam faciliùs à membris attrahantur, convenientiora esse possunt, nisi adsit suspicio obstructionis, præsertim in hepate & liene, aut nisi scirrhus, phlegmone aut similis affectus impediat. Secundò dico, non omnibus infantibus vinum conducere, præsertim in hisce nostris regionibus, ubi parentes, è quorum sanguine infantes procreantur, vino non utuntur pro potu, sed cerevisiâ, ubi stultum esset in defectu alimonii, infantibus vinum exhibere, si uterquè parens eo non assueverit. Quare in hisce locis infantes cerevisiâ saccharatâ interdum felici successu nutriuntur, si lac deficit maternum. Facilius namque uniuntur, quæ naturæ quâdam propinquitate conspirant, quàm quæ remotè diffident. Ideo nostris infantibus cerevisia familiarior est, quam vinum, præcipuè ea cerevisia, quam Boëmi albam appellant, cujus usu pueri non parùm pinguescere solent.

Beck. de sanit. consf. conserv. cap. 5. probl. 4.

LXVI.

Vini ingurgium Hepatis αἱματώσει *& cerebro maximè adversum.*

Ut sobriis & moderatis ex usu vini legitimo multæ redundant utilitates: sic nimia vini ingurgitatio, & quidem frequentior bonum jecoris habitum dissolvit, ipsam αἱματώσιν destruit, & pro εὐεξία καχεξίαν invehit, tandemque hydropem. Taceo, quòd assiduâ fumorum è vino sublatorum vaporatione cerebri virtus torpescat, nervorum infirmitas subsequatur, & quod longè deterrimũ est, multi vehementiùs repleti, repentinâ morte & forti apoplexiâ prosternuntur.

Pansa l. 4. de pror. vita c. 14. Fernel. cons. 13. Forestus l. 9. schol. ad observ. 27.

LXVII.

Cerevisiæ recentis in dysuriam noxa, & remedium.

Recens cerevisia stillicidium urinæ generat, crassitie & frigiditate suâ meatus urinarios obstruendo, & consequenter fæcum minimè depuratarum acrimonia serum exacerbando: verùm vinum generosum ebibitum oppidò juvat, utpote quod calefacit, attenuat, cruditates concoquit, adeoque causam antecedentem corrigit.

Horstius decad. 8. quæst. 7. th. 3.

LXVIII.

Melicratum ἐρεπτικὸν, *πικροχόλοις & μεγαλοσπλάγχνοις adversum.*

Melicratum (aqua mulsa, Græcis alio nomine dicitur ὑδρόμελι) ἐρεπτικὸν est, inquit Hippocr. *(a)* ubi nec sunt πικρόχολοι homines, nec μεγαλοσπλάγχνοι (μεγαλο-

χαλοσπλάγχνυς vocat, quibus non ex lege naturæ, ſed affectu præter naturam viſcera intumuêre, ut ſcirrho, plegmate, ædemate) nam ab illorum hepate crudior mulſa rapitur, hinc obſtructiones parit, ibique flatus ægrè diſſipabiles, & æſtu incendit viſcera, quæ accenſa bilem generant, à ſanguinis ſecretione ſegregatam, quæ omni ſero ſanguinis exhauſta eſt, ac craſſiori parte, ad inteſtina detruſa, dyſenteriam calamitoſam excitat. *(b)*

a) *l. 3. de vict. rat. in ac. textu l. 9. 10. 11. Heurn. in comm. dict. l. l. 2. M. p. 177. a. p. 250. b.* b) *Id. p. 253. b.*

LXIX.

Hydromelitis à Melicrato diſcrimen, & hujus differentiæ uſus.

Hydromeli à Melicrato differt, illud in diuturnum uſum comparatur, hoc in præſentem. Hydromeli enim adjecta portione fermenti, ſole coquitur caniculari, unde acrimoniam acquirit, & vim obtinet vini Cretici ſeu Malvatici. Melicratum verò duplex eſt, unum meracius, quod vocant Melicratum hybernum: alterum dilutius, quod æſtivum: hoc ex 12. partibus aquæ, & unâ mellis conſtat; illud ex 8. aquæ & unâ mellis. πικροχόλοις & juvenibus convenientius eſt dilutius; pituitoſis & ſenibus meracius, quia Naturæ ſenum Mel eſt conſentaneum. Utriusque duo ſunt genera, unum ex melle crudo, (hoc ſi vel natura, vel pharmacopæi vitio fuerit crudum, ſæviſſima & mirabilia excitabit tormina) alterum, quod fit ex melle cocto.

Hippocr. 5. aph. 42. Heurn. in comm. ad text. 9. Hipp. l. 3. de rat. vict. in ac.

LXX.

Potus tepidus, vel ex glacie egelidus, nervosis partibus noxius.

Potus noster sit frigidus (non tepidus) & hoc quidem secundum naturam, non gelidus aut arte refrigeratus, ut passim accidit, æstivis temporibus, in quibusdam regionibus, ubi glacies cum vino, aut aqua miscetur, ut in Austria, Styria, Carinthiâ & Ungaria. Tale namque vinum capiti & cerebro noxium est, nervos, pectus, pulmones & epar debilitat. (*a*) Quare non immeritò Plinius: (*b*) Heu prodigia ventris, hi nives, illi glaciem potant, pænasque montium in gulæ voluptatem vertunt.

a) *Bick. schol. ad c. 21. l. 1. Herm.* b) *l. 31. c. 3.*

LXXI.

Solis & motus inenarrabilis celeritas.

Etsi propter immensum cæli ambitum, certò non sciri potest spacium, quod circumactu suo primum cælum seu mobile conficit, tamen aliquâ ratione ex motu Solis & Lunæ colligi potest, habitâ scilicet proportione diametri ad circumferentiam seu circulum, in quo Luna decurrit, cum est humilima, id est, terræ proxima, & sol cum est in Apogæo, & altissimus. Deprehensum est enim, Lunam in perigæo existentem, unâ revolutione diurnâ, id est, raptu primi mobilis, & 24. horarum spacio conficere milliaria germanica 178450. h. e. centum septuaginta octo millia, quadringinta & quinquaginta; proprio verò motu, singulis diebus civilibus in Zodiaco 12. penè gradus, qui faciunt milliaria germanica 180. Sicuti

una

unâ horâ eadem Luna raptu primi mobilis percurrit milliaria 7435. Sol altissimus raptu primi mobilis conficit miliaria Germanica, 6541160. h. e. sexies millena quingenta, quadraginta unum millia, centum sexaginta, una verò hora 272548. uno horæ scrupulo 4542. & in una hora raptatur per arcum continentem terræ semidiametros centies decies septies, sed motu proprio uno horæ scrupulo percurrit milliaria 12. $\frac{1}{2}$

Goglen. comment. in l. 2. Plin. c. 2.

LXXII.

Ventorum ex Salis, sulphuris & Mercurii fluidi vel coagulati exhalatione, varietas & operatio.

Ventos scimus exhalationum varietate inter se discrepare ita, ut singuli secundum naturæ suæ proprietatem operationes fuerint adepti peculiares. Qua de causa Auster, quoniam ejus exhalatio, sal, sulphur & Mercurium caducum secum vehit, cujus vi facilè solvit & laxat, unde etiam si spirat, alvus fit lubrica, caput catarrhis repletur, & dysenteriæ abundant: ideo & mulieribus laxationem uteri afferre potest, maximè iis, quibus retentor mechanicus est debilis. Boreas verò, cum ex sale, sulphure & Mercurio coagulativo constet, omnes res magis coagulat, constringit & concrescere facit, unde retentor mechanicus, ne fætum dejiciat, robur acquirit, atque ita diutiùs fætus usque ad perfectam conformationem servari potest in utero. Simili ratione venti, qui Martio mense spirant, noxii evadunt, dùm sal acutum vehunt, cujus acrimonia cutim & labia exulcerant, tincturam insu-

per etiam auripigmentalem poſſident, quâ cutim corporis fœdam reddunt, febricitantibus, pleuriticis & ex pulmone laborantibus admodum nocent.

Bieker. prophyl. ſect. 2. probl. 1. ad cap. 13.

LXXIII.

Vis mercurialis radicum cichorii, ad hepatis refrigerium, viridibus eſt florida, ſiccatis vel præparatis, evanida.

Jecur ad calidum declinantibus, convenit creber uſus radicum cichorii; præſertim ſi virides, mundatæ & diligenter ab impuritatibus elotæ maſticentur, abſque ullâ aliâ præparatione, tùm quippe propter ſpiritum Mercurialem hepar aperiunt, refrigerant & roborant, qui Mercurius in ſiccatis radicibus, aut quæ cum ſaccharo conficiuntur, evaneſcit.

Id. proph. ſect. 1. c. 13.

LXXIV.

Radix ignea, candelam ardentem, vel tertiùm accenſam, admota, extinguens.

Radicem vidi, quam ab igne denominant, quæ diſſecta, ſi è diametro candelæ ardenti exponebatur, tunc candela haud aliter, ac ſi vento agitaretur, hinc inde vacillare incipiebat, donec tandem tota extingueretur, eaque ter accenſa, nemine eandem attingente, hoc modo extincta eſt.

Id. proph. ſect. 2. ſchol. ad. c. 7.

LXXV.

Tumores, quales infantum ambulare incipientium, ex caſu, ictu, oleo aniſi momento detumeſcunt.

Illud pro experimento indubitato valere obſervavimus,

vimus, in tumoribus ex casu, vel offensione, aut percussione in pueris, si oleo anisi tumores inungantur, vel infantibus in fronte obortis, dum inambulare discunt, & sæpius cadunt, illicò subsidunt, detumescentes, & curantur, ut quotidiano usu experti sumus.

Forest. l. 9. obs. 31.

LXXVI.

Cauterium ex pilâ cristallinâ radiis expositâ, satis admirandum.

Fiebat quondam antiquis è Cristallo pila, quâ adversus solis radios expositâ Medici corpora urebant, igne inde concitato. Sed iis tantùm id cauterii genus admovebant, qui candente ferro perterriti, curari reformidabant. Sed & nos hujusce cauterii periculum fecimus, non sine ægrotantium & adstantium admiratione.

Mathiol. comment. in l. 5. Diosc. c. 116.

LXXVII.

Cauterium ex Erysimo, cum floribus recentibus, contuso, applicato, ejus ratio & etymon.

Erysimi herbam cum floribus recentem contunde & parvæ nuci inde, miscendo parum salis ligatam super locum, (cui fontanella infligenda) linque per 14. horas: cum demis habebis vesicam, quam aperi, & admove folium, (*a*) hederæ (quod humores allicit, inflammationes (*b*) & putredinem arcet & apertum servat) & inunge oleo. (*c*) Sinapis sapore est, & multis sinapis sylvestris species est, dicitur ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quod ob suam caliditatem trahendi facultate præditum sit, aliis quasi ἐρίτιμον, quod est preciosum,

 aliis

aliis ἀπὸ τοῦ ἐρείκειν, à multiplici foliorum ſectione. (*d*)

a. c) *Bartol. de caut. c. 15.* b) *ib. c. 12. part. 2.* d) *Bauhin. in pinac. l. 3. ſ. 1.*

LXXVIII.

Veſicatorium in hydrope, ex plantagine aquaticâ, felix, ob id, nihil parvum, nihil contemne.

Vidi in hydrope, intumeſcentibus cruribus plantaginem aquatilem, feliciter humorem in veſicas evocâſſe, quæ maximam vim aquarum profundebant, eſt enim hæc plantago calida, ut plurimæ herbæ rivis innatæ, quæ cacumina ſua efferunt ultra alveum, quod uſu à me animadverſum fuit. (*a*) Mirum ergò alicui videri poteſt, inter pyroticas referri, cum aquaticæ omnes ferè frigidæ (*b*) verùm, nulla herba tàm exigua, nullum minerale & metallum tàm abjectum, nullum animalculum tam vile, quin inſigni aliquâ, ac propria & ſpecifica virtute ſit præditum: idque in tantùm, ut omnibus ejus operationibus ac viribus indagandis humani ingenii ſolertia hactenus non ſuffecerit, adeò ut ne minimæ herbæ omnes proprietates & virtutes nobis ad amuſſim cognitas eſſe exiſtimem. (*c*)

a) *Heurn. lib. 1. Meth. ad prax. p. 92.* b) *Bartol. de cauter. cap. 15.* c) *Tycho Brahe. in orat. de diſc. Mathemat. p. 16.*

LXXIX.

Flores cardui Mariæ ſolo aſpectu ſtranguriæ proſunt.

Aſpectum ſolum florum cardui lactei, quem Mariæ

riæ vocant, in ſtranguriâ profuiſſe ſibi, quidam miles aſſeruit.

Plater· de vit. p. 855.

LXXX.

Cæpa creſcens, decreſcens.

Sola omnium capitatarum cæpa, (*a*) quæ acredine halitus infeſtat, & mordicat pupillas oculi, unde etiam apud Græcos nominationem habet. (*b*) Lunâ ſeneſcente augetur, juveneſcente flacceſcit quaſi ſideris curſu peroſa. (*c*)

a. c) *Laur. de criſ. l. 3. cap. 7.* b) *Heidfeld. ſphing. phil. cap. 8.*

LXXXI.

Eryngium ab unâ capellâ commeſtum, totum gregem ſiſtit.

Eryngium una capella in os ſumens, totum gregem quaſi ſiſtere cogit, tantiſper donec accedens paſtor eum eximat. Tantam vim celeritatis odor ejus habet, ut ignis in morem, in proxima quæque diſſipetur, atque ea occupet.

Plutarch. in l. quod max. cum princ. diſput. ſit philoſ. Heidfeld. c. 8.

LXXXII.

Tabaci maſculi ſemina, ſatu proprio, in annum proximum, famellam proferunt; ejusdem qualitas, virtus, aſtrum.

Si tabaci maſculi (majoris latifolii) dum ſemine turget grana quædam in terram excidere contigerit, eandem in quâ petum jam ante excreverit,

rit, haud dubiè ibidem anno proximo proveniet tabacum angustifolium (Nicotiana fœmina aliàs dicta) imò verò si terræ non satis calidæ, sed steriliori ac arenosæ tabaci masculi vel latifolii semen mandaveris, hujus loco fæminam producet, tanta quidem luxurie, ut ægrè tandem illinc sit extirpanda, sed spontè quotannis renascitura. Virescentia folia tabaci masculi, secundo excessu (quam illis temperiem ut & radici & cauli, Sol calore suo conciliat, ut Luna colorem) siccata verò in fine tertii calida & sicca ponimus. Sitiferum est, & acrimoniam quandam sapit, mentemque turbat & καρηβαρίαν inducit, quod non posset fieri, ni vapor quidam calidus opplendo, caput repleret. Quare ludunt qui frigidum hoc ponunt, omnia enim caloris symbola gerit. Seritur cum Luna crescit, secatur cùm minuitur. Semen Aquario & Marti est dicatum, caliditatem præ se ferens non exiguam, quam Marti fert acceptam. Hyeme vix asservari poterit, (est enim frigoris impatientissimum) nisi in fictilibus, capsulis ligneis aut scirpiculis vimine textis, idque in penuariis, hypogæis aut hypocaustis, locisve aliis calidioribus: eâ ratione in tertium aut quartum annum illæsum conservari poterit.

Neand. in tabacol. p. 12. 17. 18. 19. 20.

LXXXIII.

Tabacum apud Belgas lucrosè auriferum.

Thymiana, puta fœtidum & olens Tabaci suffumigium, apud Belgas nostros frequenti est in usu, tum etiam inter mercimoniorum genera non contemnenda. Tabaci præparati mercatura & res inter nego-

tia-

tiatores uberrimi quæstus, si fortuna etiam mediocris adspiraverit, maximo profectò compendio & insigni Hollandiæ & Zelandiæ mercatorum utilitate & fructu, qui siccatum & præparatum Tabacum, ut ex Indiis apportatur, in alias regiones etiam longissimè dissitas transmittunt, non sine luculento lucro. Quot mille hominum reperire est, qui fortunæ primum tenuioris, ut plurimum Tabaci venditione, suam non solum sustentârunt inopiam, sed etiam, quæ communis postulat necessitas, abunde satis sibi suisque prospexerunt, imò sunt qui amplas inde divitias corraserunt. Quantopere autem mercimonium hoc tabacinum apud Belgas vigeat, indubitatè ex eo præsagiri posse dicimus, quod citrà controversiam fatendum. Illustrissimos & potentissimos Hollandiæ ordines, modico & tolerando etiam, in Tabacum imposito tributo, trigina florenorum millia & ultra, ex solo vectigali tabacino in publici ærarii emolumentum, pro lubitu quotannis posse colligere.

Id. p. 62.

LXXXIV.

Nicotianæ vis & utendi modus.

Mirâ vi suffitu admissa prædita est Nicotiana, quàm Herbam Sanctam vel petum, aut Reginæ vocant, nuper huic orbi illata. Etenim mirâ ubertate ore & naribus pituitam evocat, arida folia carbonibus igne candescentibus injiciuntur, ac fumus excipitur ore hianti & infundibuli angusta fistula: totum enim cerebrum pervadit: & in aures eadem arte infertur. Verùm id affirmare possum, hanc herbam

pecu-

peculiari ratione cerebro dicatam esse, facilèque eò viam affectare, ac id ab omni inquinamento eluere. Cùm ego ipse ante annum vehementer ex dente laborarem, hanc decoxi ex aqua, adjectis chamæmeli floribus, tepidi hujus decocti cochlear ore tenebam, expuebam, ac idem agebam horis duabus: dolor mitescebat: postridiè cum ex more meo hortulum in suburbiis accessissem, inclinatoque capite quid graminis evellerem, liquor croci flavedinem referens, copiosè è naribus meis effluxit, Nicosianæ odorem referens, ac omnis dentium dolor evanuit. Mihi toto vitæ curriculo, nec sanguis, nec quid præter serosam pituitam, è naribus fluxit unquam, at nihil ego vidi hoc effluxo liquore flavedine altiore tinctum.

Heurn. l. 1. Meth. ad prax. p. 86.

LXXXV.

Nicosianæ vires admirandæ, intus, foris.

Castor. Durantis Medici Romani Epigr.

Nomine, qua sancta Crucis herba vocatur, ocellis
Subvenit, & sanat plagas & vulnera jungit,
Discutit & strumas, cancrum, cancrosaq; sanat
Ulcera, & ambustis prodest, scabiemque repellit,
Discutit & morbum cui cessit ab impete nomen
Calfacit, & siccat, stringit, mundatq;, resolvitq;
Et dentum & ventris mulcet capitisq; dolores.
Subvenit antiqua tussi, stomachoq; rigenti,
Renibus & spleni confert, uteroq;, venena
Dira sagittarum domat, ictibus omnibus atris
Hac eadem prodest, gingivis proficit, atq;
Conciliat somnum, nuda ossaq; carne revestit.

Tho-

Thoracis vitiis prodest, pulmonis itemque
Quæ duo sic præstat, non ulla potentior herba.

Joannis Posthii Medici distichon.

Nulla salutifero se comparet herba Tabaco,
Viribus hoc omnes exsuperat reliquas.

Vid. cent. 3. part. 73. & seq.

LXXXVI.

Usnea in unguento armario vi vegetabili spirituum & caloris in strangulatis retentorum princeps.

Usnea pro unguento armario conficiendo, cur ex strangulati potius quàm alterius cujusdam capite petenda, causas à nemine, scripto explicatas atq; allatas vidi. Ego, qui tamen aliorum eruditorum judicio hîc me subjicio, hanc afferri rationē posse existimo, quod in strangulando vires vitales, ob præsentiā mali præsentis in caput ac cerebrum refugiant, unde, quia regressus illis, ob violentam illam constrictionem, ad principium suum non patet, remanere eos, & cum spiritibus balsamoque capitis ac cerebri misceri ac confundi necesse est. Et licet omnes functiones animales intereant, manet tamen calor ille in ossibus, nervis aliisq; partibus similaribus, qui & in lapide est, & pipere emortuo, scilicet elementalis. His ita commixtis in balsamico sanguine vi caloris circumfusi, ambientisque, humorem vitâ imbuentis, cælique influxu cooperante, Usneam ceu vegetabili quadam vi & virtute in Calvariâ tandem progenerari verisimilimum est, majoris potentiæ, quàm est ea, quæ ex alterius cujusdam, ex morbo defuncti capite reperitur. In decollatis spiritus non retineri, sed diffu-

fu-

fugere, evanescere ac dissipari omnibus in confesso est.

R. Goglen. in defens. magnet. vuln. curat. p. 302. & in orat. de ung. armar. p. 68.

LXXXVII.

Usnea cranii humani hæmorragiæ narium dicata, verum in craniis suspensorum non reperitur.

Usnea Cranii humani, (ut ego multoties expertus sum) in hæmorragia narium præstantissima, per se, aut nonnullis aliis, veluti terra sigillata, pulvere ranarum pulveratarum & similibus mixta, applicata. Volunt autem nonnulli, Usneam craniorum suspensorum eligendam esse, verum iis adnasci vix mihi persuadere possum, quandoquidem ego intra annos 38, à quibus praxi chirurgicæ incubui, nunquam illam reperire aut videre potui. Generatur enim muscus, si humiditas quædam externa, veluti pluviarum cum innata illa humiditate, atque calore elementari ejusrei, cui adnasci debet, conjuncta fuerit. Porro craniis suspensorum Usneam adnasci non posse, hæc me movent argumenta: primò quia humidum illud elementare, in ipsis contentum, jam ab ardore solis exsiccatur, jam à frigore aeris condensatur: secundò, deficit causa efficiens, nimirum humiditas illa externa pluviarum, etiamsi enim aeri sint exposita hujusmodi crania, imo & quotidie pluviis irrorentur, quia tamen humiditas illa statim à Sole & Aere exsiccatur, nihil generari potest. Non enim sufficiens est humiditas elementaris in cranio contenta; sed ut terræ quoque adhæreat, & continuò

tinuò lentorem aliquem ex ipsa attrahat, imò & in loco umbroso expositum sit necesse est. Et ut verbo dicam, in patibulo jam ardor solis, jam rigidissimum frigus, imo & grandines, nives, imbres, ventus impetuosus & similia generationem usneæ impediunt.

Fabric. epist. centur. 1. ep. 27.

LXXXVIII.

Trifolium acetosum, futuræ tempestatis prænuncia.

Trifolium (sic dictum, quòd singulis germinationibus terna exeant folia)(*a*) acetosum, (Calabris Juliola, ridiculè Barbari corrupere in (*b*) Alleluja) futuræ tempestatis prænuncia est. Siquidem appropinquante aliqua tempestate, arrigitur contra, tanquam tempestati colluctatura. Observatum est à nobis, atque adeo multorum aliorum experientiâ cognitum, quod ejus herbæ copiosi flores crebras illius Anni pluvias, & aquarum inundationes certò portendant: pauci contra siccitatem. Vulgò panis cuculi dicitur, vel quod avis cuculus eo vescatur, vel quia hoc erumpente cuculus vocem suam edere incipiat. (*c*)

a) *Dioscor. l. 3. c. 123.* b) *Scalig. in Theoph. de plant. caus.* c) *Fuchs. in herb. c. 215.*

LXXXIX.

Trifolium odoratum, virens septies de die odorem habet, & amittit, siccum perpetuò retinet.

Trifolium odoratum, Germanis Siebengezeit dicitur, propterea quod singulis diebus septies odorem

 suum

ſuum habeat,& toties etiam amittat,quamdiu in horto creverit. Decerptum enim & exſiccatum, odorem ſuum perpetuò retinet. Qui certè pluvioſa temporis conſtitutione, ac tempeſtate inſtante multò vehementior eſt, ſic ſanè,ut totas ædes, in quibus hæc herba repoſita eſt, odore ſuo compleat.

Fuchſ. in herb. c. 317.

XC.

Florum lupulorum vis in muſcis & lumbricis necandis, tùm ad ebrietatem inducendam.

Lupulorum florum decoctum, in lacte factum bibitum, cum & muſcas interficiat (ſtupore enim inde corripiuntur) ſi illud ſugant, etiam vermibus inimicum eſſe, veriſimile eſt, poſſetque ad lumbricos pellendos ſimiliter uſurpari, cum & ſemen lupulorum eas enecare doceant. (a) Cereviſia inde inebriandi vim ſumit, (b) caput enim tentat, (c) valdeque replet. (d)

a) *Plater. de vit. p. 977.* b) *Id. lib. 1. de laſ. f. p. 107.* c) *Id. ib. p. 137. d. dol. p. 252.* d) *Foreſt. l. 10. obſ. 45.*

XCI.

Xyloaloë putridam carnem ſine dolore erodit.

Recipe lignum aloës,contunde minutiſſimè & deſicca benè ſuper tigillum novum & bene calidum,ita tamen ne cremetur pulvis,pone deſuper de ſpiritu vini & accende, hoc bis repete & præparatum eſt. Iſte pulvis poſitus ſuper carne putridâ, mirabili modo corrodit & ſine dolore.

Bartolin. de canter. c. 22.

XCII.

XCII.

Vrticæ mira facultas, foliis, radicibus, succo, semine, oleo.

Capiti si folia urticæ insternantur, atque integumento ipsius substernantur, sanguinis fluorem è naribus compescere ajunt: uti & si frons succo urticæ admodum madefiat. *(a)* Auribus inditus succus, remissam loquelam restituere aliqui scripserunt. *(b)* Ol. sem. urticæ, vel in quo urtica cocta sit, peculiare refrigeratis membris censetur esse remedium: Idem quoq; à frigore manus pedesque præmunire, si eo inungantur dicitur, ut & de axungia anseris. *(c)* Semen cum vivo, flatulentos dolores illicò expugnat in utero. *(d)* Quidam Medicus præcipuus Parisiensis, pulverem seminis urticæ, cum syrupo violarum, vel alio pectorali in pleuriticis & suppuratis exhibet. Vivere urticis & herbis apud veteres accipiebatur pro apparatu tenui: sic Horatius

abstemius herbis
vivis & urticis ... *(e)*

Cocta abstergendo alvum dejicit, urinam & calculum pellit, contra cicutæ venenum, ut & hyosciami & fungorum malignitatem præsentissimum est remedium, *(f)* hæc quoque est illa planta, quæ

Torqueo torquentem, sed nullum torqueo sponte,
Lædere nec quenquam volo, ni prius ipse reatum
Contrahat & viridem studeat decerpere caulem.
Fervida mox hominis turgescunt membra nocentis. (g)

a) *Plater. de vit. p. 680. 689.* b) *Id. l. 2. d. l. funct. p. 433.* c) *Id. de dol. p. 801.* d) *Heurn. l. 2. M. c. 14.* e) *Camer. in her-*

horto. f) *Sennert.l.6.c.5.class.14 ep.scient.nat.* g) *Haidfeld. Sphing.phil.c.8.*

XCIII.

Radix Pæoniæ, contra epilepsiam, qua & quando eruenda.

Pæoniâ ferè ad morbum caducum expugnandum nihil frequentiùs. Loquor autem præcipuè de mascula vera, quæ collecta in augmento Lunæ restaurat, quod deficit; exasperat quod mitigandum; auget quod tollendum: in decremento verò eruta tollit, quòd superfluum est, spiritum scilicet Epilepticum compescit.

Goglen. lib. mirab. p. 61.

vide cent. 3. part. 30.

XCIV.

Sanguis Columbinus vim innatam in oculorum sugillatis discutiendis, ex sale nitro-sulphureo accipit.

In sugillatione oculorum (Græcis ὑπόσφαγμα) inter alia topica sanguinem columbinum ex corpore vivente adprobamus, potissimum circa alarum profluentem, propterea quod habeat virtutem resolvendi, ac discutiendi sine noxa, quam possidet ratione salis nitro-sulphurei, adæquata humiditate optimè temperati. Obtinet autem animal hoc aëreæ naturæ ejusmodi salem nitro-sulphureum in sanguine suo; tùm quod ipsum sit temperamenti calidissimi, tùm etiam quod alimenta ejusmodi salsa, nitrosa & aluminosa diligentissimè perquirat, iisdemque ob similitudinem admodum delectetur, quemadmodum satis apparet ab excremento columbino, quod sepa-

paratum à sanguine totum nihilominus est nitro-sulphureum: ita ut ex eodem copiosa nitri quantitas arte eliciatur. *(a)* Cujus ratione tàm efficax est, ut spiritus illi nitro-sulphurei ædes integras incendere & comburere valeant. *(b)*

a) *Horstius decad. 3. probl. quæst. 2. th. 2. & seq. Quercet. l. 1. de prisc. phil. med. c. 3.* b) *Gal. l. 3. de temp.*

XCV.

Columbarum usus Medicus, controversus.

Non desunt, qui ex Rhase referunt, columbas peculiari quadam proprietate caput affligere. *(a)* sed unde, aut è quo periculo hanc opinionē conceperint, nullus satis intelligere potest: siquidem his quotidiè *(b)* sine aliqua noxa mortales passim vescuntur. Neq; unquam, in Medicina ac praxi nequaquam oscitanter versatus, ex harum usu quenquam de capitis vitio questum audivi. *(c)* Constat quidem eas vere salubriores, quam autumno, & omnium calidiore tempore deterrimas, neque commendabiles sunt, quæ in domibus aut brevioribus septis aluntur, excrementitiam enim carnem habent. *(d)* Si columbæ in eodem aëre cubiculi cum paralytico versentur, proprietate illum paralysei resistere dicunt. *(e)* Columbæ vivæ fissæ, & cum sanguine suo calentes admotæ plantis pedum, partim singulari eximiâque proprietate, partim similitudine moderati caloris, non modo à capitis doloribus, sed & à delirio frequenter ægrotos liberant. *(f)* Fimus earum cum aceto subactus, validè quasvis maculas extergit, *(g)*

a) *Heurn. c. 10. de aff.* c. b. d) *Jason. Ziricæus de dol. cap.* c) *Forest. l. 9. observ. 19.* e) *Plater. de l. f. pag. 383.*

Dodon. pag. 107. f) *Dodon. lib. 1. cap. 26.* g) *Plater. de vit. p. 185.*

XCVI.

Cornu cervi, ex balsamo interno & sale, putridis ac malignis morbis aptissimum; Vstum & præparatum crudo efficacius.

Cornu cervi insigniter viscositatem humorum incidit, internas viscerum obstructiones aperit, & vi suâ penetrandi putrescentibus humoribus resistit, adeoque balsamicâ quadam virtute malignitatem humorum corrigit, unde maximè cardiacum dicitur. (a) Quòd probat felicissimus successus in variolis, putredinem humorum præsupponentibus, & potissimum in febri illa maligna, quæ *καῦσος* veteribus, hodiè Ungarica dicitur, propterea, quòd durantibus hactenus bellicis apparatibus in Ungaria contra Turcas, milites nostros frequenter invaserit, plurimosque è medio sustulerit. In his enim affectibus, justa evacuatione præmissa, cum magno successu & audacter, C. C. præbetur, idque propterea, quòd illud ipsum ratione copiosi sui salis, atque interni balsami, putridis & malignis febribus resistat, & verum naturæ balsamum, omnis operationis vitalis autorem confortet, ut hosti suo repugnare & malignitatem eò citiùs superare queat. Hæc sanè non aliunde, quàm à copioso sale vegetabili deducere possumus, cujus virtute quotannis in tantam molem accrescunt & cum fœnore dejiciuntur. Sed convenientius est, calcinatum C. C. & præparatum adhiberi, cùm crudum propinatum frequenter eodem modo, ut fuit ebibitum, per alvum, sine omni alteratione, reddatur. Spiritu-

rituosa etenim substantia, omnis actionis causa, per fæculentam materiam additam, colligata impeditur, quò minùs virtutes suas exercere possit, ita ut in crudo vis illa quasi sepulta jaceat: imò sal etiam balsami sui vires exercere nequit, nisi terrestribus suis vinculis expediatur. Remanet enim etiam post calcinationem, sal proprium & fixum, in quo firmissimæ tincturæ ac impressiones proprietatum rei calcinatæ, experientiâ teste, delitescere videmus. (*b*)

a) *Jobert. c. 18. de peste. Crato 2. Consil. 27. 4. consil. 21.* b) *Querc. in tetrad. c. 18. & 28. Horstius dec. 1. probl. q. 4. th. 2. 3. 5. 8. 10. And. Hildebr. in epist. Med. Horstii pag. 422.* b) *Fabric. p. 667. de gangr. edit. ult. germ. Joan. Michelius p. 338. probl. med.*

XCVII.

Cornu cervi, nihil aliud, quàm ignitos & extinctos lateres posse, ab ipsa experientia, falsum.

Non cum iis sentio (*a*) qui C.C. decoctum, non plus virium habere putant, quàm Aquam, in quâ lateres igniti, (*b*) extincti sint: plurimorum enim doctissimorum virorum observatione deprehensum est: vim insignem in C. C. etiam usto inesse, ut hanc negare summæ sit pertinaciæ. Si enim requiris (*c*) antidotum? C. C. præparatum efficacissimè malignitatibus luis Ungaricæ reluctans præstò est. Conaris putredinem & tollere & prohibere? C. C. oppidò valebit. Ducit enim sudorem, ciet urinam, enecat vermes, (*d*) aliisque virtutibus multis excellenter dotatum.

a) *Sennert. l. 4. de febr. cap. 9. Hoehstet. decad. 1. observ. schol. ad cas. 6.* b) *Oberndorf. de l. ung. c. 13.* c) *Ruland.*

land. d. l. ung. p. 61. 74. 142. 147. d) *Foreſt. lib. 6. obſerv. p. 25. 197.*

XCVIII.

Venenum ſerpentum, ſcorpionum, ut eliciatur, profligetur.

Non dubium eſt, quin ſerpens ſi occidatur, ac repentè vulneri à ſe illato admoveatur, ſanare poſſit, cùm à ſerpente icti, Theriacâ, quæ viperarum carnibus conſtat, curari ſoleant. Hoc enim medicamento, Ambroſius Gallus ἀρχίατρος, in populi concione, Carolo IX. Galliarum Rege ſpectante, à vipera morſus, Theriacà ore ſumpta, & vulneri appoſitâ, curatus eſt, apud Monſpelienſes, cum more ſolemni Theriaca componeretur. (*a*) Non abſimili ratione, Scorpionum oleum, ictui leviter inunctum, venenum reſpectu ſimilitudinis attrahit, adeoque corpus humanum ab eodem liberat, (*b*) communi certè, ſed certo alexiterio (*c*) Imò & ipſum Scorpionis corpus contuſum & appoſitum idem præſtat. (*d*) Sic Elidæus Præceptor meus Bononiæ in Italia, cum juvenis à ſcorpione ictus eſſet, nobis præſentibus, juſſit ut juvenis forti animo manu ſua propria ſcorpionem ipſum interficeret, ac morſui, qui in pede contigerat, caligâ diſciſſa, apponeret, ac faſcia ſupra vulnus inflictum fortiter ligaret: quòd juvenis fecit, & nullis accidentibus ſupervenientibus curat⁹ fuit. Nautæ verò & marini homines, licet agreſtes, ut nos quoque vidimus in locis maritimis, ſi ſcorpius marinus, digitũ pedis, ictu ſuo, ſuiſque pinnis venenoſis læſerit, ſubligaculo digitum arctius ſtringunt, ne malum ſurſum repat & convulſionem inducat. (*e*) Et hæc alexiteria, aut proprium

prium virus attrahunt, aut quâdam naturæ ſimilitudine venenum ad ſe alliciunt, quo ipſa delèctantur. *(f)*

a) *Bodin. l. 3. th. nat. p. 316.* b) *Horſtius dec. 8. & 10. q. 8.* c) *Paræus op. chir. l. 20. c. 25.* d) *Fallop. de tum. p. n. c. 14.* e) *Foreſt. l. 10. ſchol. ad obſ. 67. & 119.* f) *Jobert. parad. l. 2. part. 9.*

XCIX.

Viperarum & ſerpentum ſpolia, Elephanticorum ſolatium.

Neminem eſſe arbitror, qui neſciat viperam habere hanc facultatem innovandi ſpolium antiquo relicto, imò hoc proprium eſſe omnium ferè ſerpentum. *(a)* Exuunt autem ſenectam (Græcis γῆρας) in anguſto loco, inter duos lapides, aut arboris foramine: quidam vernationem vocant, ſed malè, neque enim vere tantùm exuunt, ſed etiam autumno. *(b)* Indicatio pro curando Elephante potiſſima eſt, removere totam ſuperficiem corporis tanquam corruptam, diſſolutis ex ipſa humoribus malis & venenatis, & horum loco ſubſtitutis novis: cùm igitur viperæ hanc facultatem habeant efficiendi in ſe ipſis, rationi conſonum eſt, eandem habere in aliis. *(c)*

a. c) *Augen. libr. 4. tom. 2. epiſt. cap. 16.* b) *Scalig. comm. in l. 2. Ariſt. d. hiſt. c. 8. text. 123. & l. 8. cap. 23. text. 185.*

vide cent. 4. memorab. part. 39. & ſeq.

C.

Lacertorum genera, cum homine familiaritas, & cum colubro monomachia.

Lacertorum genera ſumma duo: unum minuſcu-

lum fulvi coloris in maceriis & parietinis latens; apricator maximus est, hominem fugit. Alterum genus prægrande, etiam cubitalem implet magnitudinem, aliquando etiam excedit. Colore aureo lucet, aut pallido. Hominis ajunt esse amantissimum. Prætereuntem sanè, è sepibus aut riparum toris, adeo contentis obtuetur oculis, ut nunquam nictet; quin etiam circumacto capite obtutu eum prosequitur. Ferunt dormientem hominem servare ne ab anguibus quippiam capiat detrimenti. Nam cum serpentum generibus maximas gerit inimicitias. Igitur oppressum somno messorem, cùm aggreditur coluber, Lacertus unguibus adrepens hominem excitat. Tunc communem hostem pariter insequuntur. Utriusque pugna memorabilis à nobis diu spectata est in sylvâ nostrâ. Quod maximè mireris, non audere ore aggredi adversarium: sed cauda pugnare. Lacertus omnes aditus ad illius fauces tentare. Ille in orbem sese colligere, atque altè elatus vibrare linguam, postea exsinuatus, simulatâ fugâ, tum cauda impetere, tum ex obliquo incessere. Ego stupidus non tàm pugnam mirari, quàm quod me præsentem, atq; etiam cum telo ad manum neuter aufugeret. Anguis metu, ne à tergo correptus hosti pœnas daret. Lacertus, credo, opem à me sperans. Interea caudæ ictum cum frustra evadere conatus esset semel, atque tum anguis elisum evaderet, ego illum dissecui. Lacertus resumto animo, hostem mordicus arreptum, non prius dimisit, quam porrectum & moribundum viderit. Non solus Virgilius (a) credidit frumentorum perniciem. Nam id vulgo quoque persuasum est. In fimetis sæpè reperitur. Hunc lacertum appel-

appellant Thusci Ramarrum, nostrates Ligurum, Stellionem, Blandam Vascones vocant, ventre turgido est, segnis. Putant ejus obtutum perniciosum. *(b)*

a) *ecl. 2. & l.4. Georg.* b) *Scalig. comm. in l. 2. Arist. de hist. animal. text. 90.*

CENTVRIÆ VII.

Particula I.

Odorum exhalatio, perceptio & instrumentum: hinc destillatoriæ, seu chymicæ artis exordia.

CORpora eousque odorem spirant, quousque exhalant (odores etenim in quâdam exhalatione consistunt) hincque cæteris paribus longè magis æstate, quàm in hyeme, unumquemque percipimus odorem, cum exhalatio suapte naturâ sicca sit, oportuit ergò sensorium olfactûs à principio humido ortum duxisse, ut ratione contrarietatis, actionibus necessariò requisitæ, posset ab exhalatione pati ac moveri. Idcircò nascitur odoratus à cerebro. Juxta motum ergò exhalationis debebat olfactus organum ita disponi, ut exhalatio ascendens aliquò, sine noxa reciperetur. Si ergo observâsti fumum ex igne recenter accenso elatum, vidisti etiam eum in suo ascensu dilatari magis ac diffundi, quoniam quantò magis ascendit, tantò tardius movetur, & novo eidem succedente fumo ad latera expanditur, necessarioque longè ampliorem occu-

occupat locum. Quod si propter loci angustiam, commodè non possit expandi, statim propriam amittit Naturam, & in Aquam vel oleum transmutatur. Hinc Ars, quam Destillatoriam & Chymicam appellant, prima contraxit exordia.

Dispositio itaque olfactus debebat esse talis, ut exhalatio ad ipsum pertingens, posset commodè dilatari, & in aquam minimè converti, olfactumque (ut in destillationibus accidit) impedire, & propter hanc causam Olfactûs sensorium, non oritur à spinali medulla: sed à media magnitudine cerebri, duo ductus nervei, & in substantia ejus veluti insculpti primò proficiscuntur, qui ad anteriora producti, in supremam narium partem desinunt, sensoriumque olfactûs constituunt. Ubi itaque exhalationes odoratæ eò perveniunt, sensorium percipit speciem odoris sine materia, in eamque mutatur, illa autem exhalatio per cerebri amplitudinem expanditur, nec loci angustiâ in aquam aut oleum transformatur. *(a)* Sed *(b)* Philosophus destillationis ingenium, explicat longè, meâ sententia, solertius, cum scribit: Fluxiones ob eam rem ex capite oriuntur, in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quàm temperamentum modicum postulet. Cùm enim alimentum per venas sursum respirat, ubi excrementum ob ejus locivim refrigeratum est, fluxiones pituitæ saniemque movet, quòd simile generationi imbrium evenire intelligendum est, quoad magnum conferre cum parvo licet. Cum enim ex terra vapor exhalat, effertùrque in sublime à calore, ubi superaum aërem subierit frigidum, consistit denuo in aquam, propter refrigerationem, atque in terram defluit. *(c)*

a) *Va-*

a) *Varol. Constat. l. 1. Anat. cap. 5.* b) *Libav. l. 1. epist. 26.* c) *l. 2. de partib. anim. c. 7.*

II.

Ars destillandi à Naturâ indicata.

Verum esse, quod Aristoteles *(a)* dicit: *μιμῆται ἡ τέχνη τὴν Φύσιν:* id ex destillatione, (quæ est partium humidarum, in halitus à calore extenuatarum atque elevatarum extractio) operatione praxeos chymicæ vulgari constat. Sicut enim vapores ex terra, radiis Solaribus, in mediam aëris regionem subvecti, ejusque plagæ cœlestis frigiditate densiores facti, in pluviam facessunt: ita & Chymicus artifex ex rebus halabilibus & vaporabilibus, ignis ministerio, tenuium spirituum à crassioribus partibus separatione, & ad frigidas capitelli cameras elevatione, essentiam earum, formâ liquoris, elicit: Sic in humano corpore, cum *ἀναθυμιάσεις* ex inferioribus partibus, in aëream microcosmi plagam, tanquam in alembicum efferuntur, ejus frigore in excrementum & mucosum condensantur: unde postea perennis ejus in nares, palatum, aut alias corporis partes fit destillatio & defluxio. Hinc fit, quòd in ciborum elixatione, ollas operculo claudamus, ut quicquid vaporum in aquam concrevit, in suam originem postliminiò revertatur. Et quando dapum calorem fovere volumus, patinas, quibus eæ apponuntur, aliis cooperimus paropsidibus, unde vapores ciborum *ἀντιπεριστάσει* frigidâ incrassati globatim decidunt. *(b)*

a) *l. 4. Meteor.* b) *Beguin. l. 1. tyr. chym. c. 4. Porta de destill. l. 1. c. 3.*

III.

III.

Comparatio Erysipelatis cum Lunâ.

Erysipelas est ipsi Lunæ non absimilis. Nam quemadmodum ea, per dies quindecim crescendo augescit, diebus verò subsequentibus quindecim rursus diminuitur, in tempore intermedio suam rotunditatem & plenitudinem luminis aliquandiu retinet: Ita etiam se res habet cum Erysipelate, dum primis novem diebus magis magisque surgit, sequentibus verò diebus totidem decrescit, & tempore intermedio summam suam rubedinem acquirit. Unde sicut tres distinctæ magnitudines, nempe incrementum, plenitudo & decrementum in Lunâ, ita etiam in Erysipelate, principium, medium, & finis, quæ Medici augmentum, statum & declinationem vocare solent, observantur.

Ferrara l. 2. de obs. chir. obs. 40.

IV.

Cæci casu curati.

Vidimus Hyaderæ supra frontem vulneratum, cæcitate & vulnere liberatum senem visu hebetiore nonagenarium. 2. Germanus quidam Hyaderæ octogenarius, visu hebetiore, equo abactus currente; in terram ex improviso ferè exanimatus in lapidem capite conjectus est, confregit frontem; in ea curatione (id enim vidimus) visum recepit, obstructis meatibus, per quos effluere solitus erat humor acris infestans, atque ita ab imprudenti milite medicinam invenit.

Alex. Bened. l. 2. de corp. morb. c. 29. Forest. l. 11. Obs. schol. ad obs. 2.

V. *Epi-*

V.

Epilepticus casu sanatus.

Novimus, dum Patavii Medicinæ studiis incumberemus, Nobilem Gallum, qui dùm Epilepsia laboraret, nec à Gallicis Medicis curari posset, Italos consulere decrevit, dumque iter faceret, in Pedemontanâ ditione propè Alpes, ab Hispanis quibusdam, qui tunc ibidem bellantes, stipendia merebantur, aggressus, spoliatus, peremtò servo, pluribus vulneribus confossus, tanquam mortuus derelictus, à socio, qui aufugerat, revertente in proximum vicum transportatus, ac chirurgo curandus traditus, qui eum curavit: verùm quia magnum aliquod in fronte vulnus susceperat, cum insigni ossis deperditione, non nisi multo post tempore integrè sanata fuit ea pars, ita, ut cum Patavium pervenisset, adhuc ceratum supergestaret; consueverat singulo mense corripi Epilepsiâ, & jam tertius mensis à vulnerum susceptione agebatur, nec unquam malum persenserat. Quare consulentibus primariis Medicis Patavinis, ab omnis generis præsidiis tunc abstinuit ob aëris hyemalis inclementiam, in proximum ver curationem distrahens; quo jam adventante nullo amplius malo tentatus in patriam sanus reversus est, ab iis sanitatem nactus, à quibus mortem suscepturum se crediderat.

Donat. Marcell. de Med. hist. mir. l. 2. c. 4.

VI.

Quartanarius amuleto ex barbæ pilis curatus.

Princeps quidam civitatis Fontani in Pictaviæ amantissimus defensor, ab obsidione hostis eandem libe-

liberaturus, & comeatu necessariisque rebus adjuturus, cùm appropinquaret Dux alter, subitaneo Principis adventu perterritus, quòd incoluerat domicilium, derasâ sibi jam mediâ barbâ fugitivus dereliquit, & aliò se properè contulit. Princeps hospitium idem fortuitò ingressus, capillosque humi dissitos conspiciens, cujus nam essent, à Nobili quodam Gallo, milite strenuo, ibidem propter febrim relicto, quæsivit, certiorque ea de re factus, clam colligi, noduloque byssino insutos, de febricitantis collo, amuleti loco, suspendi, atque sequens tetrastichon adjungi præcepit:

Juro febrem quatriduanam
Te, per barbam Cyllenianam,
Ut ab hoc corpore repédes,
Ceü, me bellante, Dux de Lóges.

Convalescens itaque qua laborabat febre, Nobilis Ducem suum secutus, eum unà cum Gynecæo, cœnantem reperit, inexpectatus sanitatem recuperatam Duci commemorat, Condæique liberalitatem, quòd citra exactionem pecuniarum imperatarum demisisset, medendi insuper ejus studium, magnoperè collaudat, nodulumque cujus efficaciâ sanitati se redditum arbitrabatur, in quo quid reconditum erat, inscius ipsemet, videndum omnibus exhibet, quem Dux τ̃ περιάμματος experiundi cupidus reclusit, propriosque capillos erubescens reperit.

Scheineman. de morb. sulph. cag. c. 5. s. 4.

VII.

Ex quartanâ malè curatâ, sanitas.

Villicus meus annuam quartanam patiebatur, & con-

confilio nefcio cujus Empirici, fafeolos ex omphacino, & alia usq; ad fatietatem devorans,ad viginti infuper vini meri calices ebibit :quô adeò inflatus eft,ut è foco, propè quem cœnaverat, amoveri penitus non poffet. Quare ftrato humi pallio, quo induebatur, ibidem pernoctavit. Matutino autem adventante tempore, diffufus per omnia membra fudor eft: quô finitô, vomitu quicquid commederat,rejecit, & cum eo pituitofa excrementa quàm plurima. Quô factum, ut ex quartanâ quoque, quâ integrum jam annum laboraverat, extrusâ, valetudinem fit confecutus.

Ant. Beniv. de abd. morb. cauf. obf. 59.

VIII.

Hydrops potu fontis aquæ curata.

Uxor barbitonforis, in Novo foro Palatinorum in Noricis oppido, plus fibi ipfi quàm marito aut medicis morigera, cujus venter hydrope in immenfum turgebat, aquam de fonte fcaturiente magnoperè fitiebat. Progreffa itaque marito infcio extra urbem, ad fontem, in quo cum aquæ fcaturigine fimul arena ebulliebat, de quâ quantum manu cavâ apprehendere potuerat, ter aut quater devoravit. Domum læta reverfa, rem omnem nobis recenfuit: & intra biduum per fluxum ventris plurimum pituitæ excrevit: apertis quoque fua fponte in ano marifcis, unde confertim fanguis niger effluebat, ab hydrope convaluit.

Lang. l. 2. epift. 2.

IX.

Empiricus curans Epilepfiam.

Empiricus quidam poft univerfalia remedia, nu-

cham candelâ cereâ incensâ, cauterii instar inurebat, & radices Pæoniæ in patella cum butyro frictas continuò comedendas dabat, & ita juniores & magis adultos magnâ cum admiratione curabat.

Forest. l. 10. schol. ad obs. 61.

X.

Clavicula in calculo vesicæ reperta.

Admirabilis omnique observatione dignissimus casus accidit Eschuecì Hassiacæ ditionis oppido, ubi claustrarius quidam juvenis ingenti calculi dolore victus, sibi ipsi manus injecit, vesicam amplo vulnere dissecans, calculumque manibus exemptum in terram projiciens. Cum verò tenuioris esset fortunæ, calculum exemptum Illustrissimo Hassiæ Principi Guilhelmo transmisit, rem actam exponens, humilimeque orans, ut inflicti vulneris consolidationem Chirurgo suo Aulico demandet. Illustrissimus igitur Princeps, indignam miseri hominis sortem respiciens, Chirurgo mandat, ut afflictum hominem diligenter curandum suscipiat. Ipse verò Princeps calculum ovi magnitudinem æquantem malleolo confringit, ubi magna cum admiratione, claviculam in medietate calculi tenacissimè impactam reperit. Hujus rei novitate commotus optimus Princeps, convocatis aliquot Medicis, diligenter inquirit, quomodo clavicula per tot angustos meatus ad vesicam pervenerit. Cum enim claustrarius esset, omnium fuit sententia, claviculam aliquando per imprudentiam ab ipso fuisse deglutitam. (a) Hinc patet, meatus in viventibus corporibus longè patentiores esse, quàm in mortuis.

tuis. Alioquin impossibile fuisset, claviculam tot angustias penetrâsse. *(b)*

a) *Mathaus obs. Med cas. 1.* b) *Fabric. cent. 3. obs. 72. Höchstet. schol. ad cas. 4. dec. 4.*

XI.

Vromantis idolum.

Prope Aquisgranum in pago Porceto, mille ab oppido passus, à thermis scaturientibus, in vestibulo myropolii sculptile morionis idolum erat, versicolore veste, rubro capitis galero vestitum, qui dextrâ manu exerta, matulam vitream diductis labris subridens, ut moriones assolent, spectatoribus ostentare videbatur. Attonitus quidam insignis Medicus, ingressus Myropolium, pyxidibus medicamentis exoletis refertis adornatum, à Judæo Pharmacopœo, quid hoc insolens Morionis simulacrum ridiculum protenderet, quæsivit. Tum sanè Judæum respondisse, se à parente, avoque Medicis accepisse, Medicos qui ex solo fallacis urinæ indicio discernere morbi causam & locum affectum conarentur, hos esse Morioni huic simillimos, qui temerarium illorum de morborum causis ex lotio judicium irrideret, quem eo nomine vulgò spectandum ante Myropolii vestibulum statuisset.

Lang. l. 1. epist. 41.

XII.

Lepida historia Rustici, qui ex Medico suo, urinam spectante, rogabat, num uxor è cubiculo decidisset.

Rusticus in Galliâ, rigidâ hyeme, urinam ad Me-

dicum deferebat, is interrogans, an uxoris sit; affirmat Rusticus, sed inspice, inquit, numquid alia in eâ animadvertas, Medico, cùm urina optimi coloris esset, suspicio orta est de dolore externo, eumque subesse pronunciavit: papæ, clamat Rusticus, rectè divinâsti: sed unde dolor, quem in latere nunc livido facto sentit? Medicus audiens de colore livido facilè conjectavit, eundem ex casu, aut percussione contigisse: ideò rogavit, nunquid uxor cecidisset: Rusticus Medicum demiratus, ad ipsum se convertens: Magister, inquit, si mihi poteris dicere, unde nam illa ceciderit, habeberis à me inter omnes facilè primus: Medicus stupiditatem coloni animadvertens, & ædium rationem evolvens, per gradus delapsam esse protulit. Per Deum, rursus, inquit Rusticus, si noveris ex lotio, per quot gradus ceciderit, te artificem apud omnes commendabo; hic Medicus vix risum compescens, considerans tamen rusticorum cubicula non admodum alta esse, per duodecim circiter gradus cecidit, inquit: cui rusticus, inspice diligenter urinam, nam plures esse debent: Medicus oculos in terram defigens, aliquid novi præmeditabatur, deinde vultu composito, inquit, lubrica admodum via pro nimio gelu, nunquid cecidisti in itinere, & urinæ aliquid effudisti? Rusticus, ut erat homo simplex, Medicum ut vatem aspiciens, cecidi, inquit, ac nonnihil urinæ effusum est: tum Medicus magnâ cum authoritate, amice, eo in loco, in quo cecidisti, reliquos gradus inquiras, nam hic & in matulâ eos non habeo: sic rusticus Medici eruditionem & experientiam extollens, ad ca-
sam

ſam rediens, ſui ſimilibus rem geſtam cum magna admiratione & applauſu enarravit.

XIII.

Alia hiſtoria etiam lepida de Medico, qui judicavit, ex quo loco urina allata eſſet.

Medicus fuit in Belgii urbe, ob urinæ inſpectionem celebris, ad quem ruſtica cùm urinam mariti deferret, prius deflectebat ad fœminam, cujus maritus colonus erat: hæc ſciola ſibi oblatam occaſionem fallendi Medicum nacta rogat ruſticam, ut urinam ſibi deferendam tradat, & ſic Medicum accedit, is animadvertens poculum, in quo urina erat, herbâ obturatum, quam noverat, in uno certo loco creſcere, aſpiciens fœminam, quam agnoſcebat callidam, dolum ſubeſſe ſuſpicatur, quare hoc prævertens, dum urina ex poculo in matulam transfunderetur, hæc, inquit, urina, non eſt nobilis, nec civis, ſed ruſtici potius, nec ex hac civitate defertur, immò per talem portam civitatis, quicunque urinam detulit, intravit; hoc audito, attonita eſt nobilis fœmina, & ultrò morbum coloni depinxit, ac Medici eruditionem non poterat ſatis mirari, exiſtimans, ex urina omnia prædixiſſe.

Rod. à Caſtro, in Med. polit. l. 3. c. 11. Foreſt. de incert. urin. jud. l. 2. c. 5.

XIV.

Corpora paſta, ciboq́ue refecta, non graviora ſunt jejunantibus & inanitis.

Quamvis deriſiantis eſſe videatur, corpora paſta leviora, non paſta autem graviora pronunciare, ſiquidem cibus aſſumptus pondus aliquod corpori ad-

 jice-

jicere videtur: attamen qui rerum naturalium causas & eventus observat, & diligentius scrutatur, reipsâ experitur, cibum assumptum nihil ponderis, sed multum levitatis adferre. Viator enim jejuno & vacuo stomacho molestius & difficilius ponderosum sustinet corpus, cibo autem refectus levior apparet, & minori molestiâ corpus circumfert. Hoc ipsum bestiæ agnoscere videntur: equus enim sessorem jejunum difficilius, pastum verò alacrius ferre solet. Quin imò evidentissimum probationis exemplum habemus in emaciatis, à cibo abhorrentibus & diuturno morbo confectis hominibus, qui triplo sunt ponderosiores, quàm prius erant, quandò alacriter cibum assumebant. Inusitatum illud pondus animadvertens ignara alioquin plebecula, ægrum in summo vitæ discrimine versari, intelligit. Hujus rei causam in vitales & animales spiritus referendam esse existimo: nihil enim in universo corpore, levitate spiritibus assimilari potest, quippe qui suâ naturâ non deorsum, sed sursum feruntur, & corpus ex suâ naturâ quasi in sublime sustentant. E contrario autem corpora, quorum spiritus vel inediis, vel morborum injuriis imminuuntur & affliguntur, longè graviora, planè autem defuncta, propter spirituum omnimodam dissipationem, gravissima fieri constat. Cùm igitur cibus, intra corpus assumtus, non solum spiritus recreet, sed quoq; regeneret, & adaugeat, meritò corpora pasta leviora, jejunantia & inanita graviora, mortua verò omnium gravissima sentiuntur. Sed contendis, corpora defunctorum esse levissima, benè valentia verò graviora, illa siquidem aquæ innatare, hæc submergi cernuntur. Ad hunc nodum solutu sa-

tis difficilem respondetur, corpora viventia non simpliciter esse levia, vel aërea, ut aquæ innatare ex sua naturâ possint, sed respectu jejunantium, exinanitorum & defunctorum, in quibus propter spirituum passionem major apparet gravitas & pondus. Quod verò submersorum corpora aquæ innatant, id fit non subitò, nec per se, sed post aliquot dies & ex accidenti. Primùm enim oppressis spiritibus innatis corpus labascit, planè autem deficientibus deorsum ruit & sui pondere mergitur, ibiq́ue ad tempus aliquod delitescit, donec in locum caloris & spiritûs vitalis, putredinalis quidam calor emergat, qui humiditates in vapores & halitus resolvendo, corpus gravatum iterum levitate donat & enatare facit.

Matth. enod. quæst. med. 21.

XV.

Homo obæsus levior cur macro.

Homo obœsus macilento est levior, si cætera sint paria. An illi plus carnium spiritibus perfusarum multum allevantibus, huic verò ossa duriora, densioraq́ue carne, ideoq; graviora? ita jejunus gravior est seipso pranso, cùm corpori onus accesserit. Cibo enim potuq́ue spiritus augentur, corpori levitatem addentes.

Ruland. l. 2. probl. 266.

XVI.

Visus sensuum præstantissimus.

Visus sensuum omnium præstantissimus, quia solus totum objectum & omnes ejus partes percipit; solus miram objectorum varietatem dignoscit, nec impeditur contrariis, unde menti quàm simillimus, qui

ad capessendas scientias utilissimus, qui solus ad cognitionem siderum ducit, omnium velocissimus, omnium homini dilectissimus, cujus organum pulcherrimum & artificiosissimũ, cujus objectum ἀγλὴ seu lux qualitatum præstantissima.

Vide centur. 2. memorab. part. 68.

XVII.

Visus quomodo fiat.

Visus fit immissione radiorum, non emissione. Cùm enim affectio sit animalis, intra, non extra subjectum suum, animal, fieri necesse est. Et excellens visile lædit visum, quod, nisi recipiatur objecti species in oculum, quomodo fieri posset? Neque in quavis distantia rem eodem modo videmus, quod fieret, si radii emitterentur ex oculis. Quin & corpus animalis continuâ radiorum emissione debilitaretur. Unde autem tot nobis radii, quibus toties in cœlum usque pertingeremus? Nec alia est visus ratio, atque reliquorum sensuum, qui omnes recipiendo percipiunt objecta. Hinc in speculo imaginem rei oppositæ cernimus, impresso nimirum in speculum rei vestigio, tanquam in ceram sigillo: Speculum autem naturale est oculus: siquidem humori cristallino (qui solus humorum in oculo splendidissimus, solus ἄχροος, coloris expers, solus, cujus gratiâ reliquæ oculi partes, sive ut contineant, sive ut alant, sunt à natura conditæ) solers Natura, nigrorem quendam à tergo adjunxit, ut imago objecti in oculi centro repræsentaretur, non secus ac rei cujusvis imago in speculo artificiali. Hinc fit, ut semper imaginem tuam in al-

terius

alterius pupillâ conspicias, & artifices in conficiendis speculis oculorum structuram videntur imitari.

Keckerman. curs. phil. disp. 15. probl. 1. 2. & 12. Fab. Pac. in com. in 6 pr. lib. Gal. de M. M. p. 137. Bauhin. th. anat. lib. 3. cap. 42. Laurent. lib. 4. cap. 15. quæst. 16. Cels. Mancin. in Sinaug. Plat. Schick. von der fliegenden Liecht-Kugel. *3. p. 55. Gal. l. 6. de us. part. c. 6.*

XVIII.

Oculi etymon.

Oculus Græcis ὀφθαλμὸς dicitur, quasi ὠπὸς θάλαμος, quod sit thalamus, ex quo visus emicat, & ob id oculi φάεα dicuntur, quod ex ipsis φῶς seu lumen progrediatur. Latinis, ut Varroni & Lactantio, oculi ab occulendo, vel occultando dicti, eò quòd sub palpebris tanquam teguminibus, non aliter quàm testa conchæ constituti sint. (a) Aliis quasi capite occulti, vel quia animæ occulta revelant. (b) Hebræi oogen dicunt, quod altum denotat, ut semper memores simus, ad hoc nobis datos oculos, ut excelsa perpetuò contemplemur. (c)

a) *Bauhin. th. anat. l. 3. cap. 32. Knobloch. disp. anat. 15. c. 1.* b) *Porta. l. 2. Physiognom. c. 1.* c) *Laurent. l. 4. op. anat. c. 15.*

XIX.

An oculus natura ignea.

Oculum non esse naturæ igneæ ex artificiosa ejus dissectione apparet, aqueæ enim & frigidæ partes maximè fabricam oculi absolvunt; & humor cristallinus, (quo primariò visio absolvitur) excessu pars corporis frigida & humida est, licet in vivente, suo cali-

do nativo non destituatur. Nec obstat, 1. tùm, quòd visûs objectum est igneum, cùm Plato colorem dicat esse flammam à singulis corporibus visibilibus promanantem. R. inter objectum & organum debet esse convenientia, quatenus objecti species est recipienda ab organo: unde non necesse, ut essentia conveniant; sed & color impropriè flamma colorati corporis dicitur, quòd aliàs ignea corpora sola colorata essent, 2. Tùm, quòd oculi quorundam animalium in tenebris coruscant, & sæpius attriti fulgoris speciem emittunt. R. id fit propter pelluciditatem & proprium lumen, quæ duo in causâ quoque sunt, quod oculi attriti sæpius splendorem emittunt, 3. Tùm, quòd oculi maximè moventur hinc inde: cùm talis motus caliditatem, & per consequens igneam videatur inferre essentiam. R. moventur oculi non motu naturali, qui propter excessum elementorum rebus mixtis convenit, sed animali, qui peragitur beneficio musculorum. 4. Tûm, quòd maximè frigori resistunt, nec ita rigorem patiuntur, ut aliæ partes. R. quia opimus, nec carnis quicquam in se continet oculus, rigere non potest. Nec obstat 5. tùm, oculum igneum ratione spiritus visibilis, tenuissimi, lucidissimi, à cerebro transmissi, & aqueum ratione conformationis materialis ipsius oculi dici posse. R. hâc ratione non oculus solùm, sed etiam omnia reliqua sensuum organa essent ignea statuenda, cùm nullus sensus perficiatur absque calido innato & spiritibus influentibus.

Preibis. somatol. disp. 5. theor. 2.

XX.

XX.

Oculi in sublimi locati cur, & cur sphærici & gemini, & cur geminis oculis, res tamen unica videatur.

Locata sunt nobilissima nobilissimi sensus organa in altissimâ parte, ut inde rerum discrimina rectius despectent ac dijudicent, & ut in hac specula velut excubantes eminus nocitura vel profutura prospiciant. Unde quidam vel oculorum gratiâ caput in sublimi positum esse contendunt. Ut autè celerius moverentur, utque ex omni parte objectum exactius oculi comprehenderent, sphæricam dedit illis Natura figuram, Gemini denique sunt, tùm ut facilius cernant omnia, tùm ne altero læso, vel amisso sensus hic excellentissimus extingueretur. Sed cur geminis oculis, res tamen unica videtur? An, quia rectæ lineæ & axes ex oculorum centris procurrunt ad objectum, ita ut coincidant in idem punctum, à quo in utrumq; oculum species distribuitur; an quia de sensibilibus non fit judicium in oculis, sed in ipso cerebro, de illis censet sensus communis, qui cum unicus sit & unicus animalis spiritus, unicam etiam rem visibilem utroque oculo apprehensam judicat, non geminam.

Keckerm. l. c. probl. 11. & 24.

XXI.

Oculi, animi omnes affectus detegunt.

Oculi sunt Micro-cosmi lumina duo, & velut fulgentia sidera. Hinc vetustissimus Poetarum Orpheus oculum Mundi Solem, & Naturæ speculum appel-

lat.

lat. Sunt oculi animi indices, ut vultus animi est imago. Mirantur oculi, adamant, concupiscunt, amoris, iræ, furoris, misericordiæ, ultionis indices sunt. In audacia prosiliunt, in reverentia subsident, in amore blandiuntur, in odio efferuntur; gaudente animo hilares subrident, eodem mœrente languescunt; animo irâ flagrante exasperantur, in cogitatione ac cura quiescunt, quasi cum mente simul intenti. Denique ad animi affectus oculi sunt compositi, ejus imaginem ita exprimentes, ut alter animus esse videatur, hinc illæ misericordiæ lachrumæ. Hos enim cùm osculamur, animum ipsum exosculari atque attingere videmur: (a) animo videmus, animo cernimus; oculi, ceu vasa quædam visibilem ejus partem accipiunt, atque transmittunt; sic magna cogitatio occœcat, abducto intus visu; sic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt animo caligante. (b) Aphrodisæus ait: ob id nos, cùm puduit, oculos deorsum vertimus, quia natura oculos animi speculum construxit, quippe cum cæteras quoque affectiones animi per oculos intelligimus, videlicet cum angimur, cum irascimur & cum verecundamur, quod cum animus personam quampiam reverendam aspicere liberè, atque alloqui audentius temperet, palpebras trahi deorsum à musculis cogit, quasi occulens partem, quâ facultas aspiciendi administrari solita est. (c) Quare non immeritò Hippocrates: (d) ὀφθαλμοὶ ὡς ἂν ἰσχύωσιν, ὅτω καὶ γῆον: ut valent oculi, ita & totum corpus. Et memorabile est, quod Aristoteles docet (e) eos quorum oculi parvi, aut valdè nigri, timidos & pusillanimes haberi; quorum ad flavum declinantes, boni animi, concavi maleficos, eminentes

tes fatuos, ignei inverecundos; mediocriter conniventes morum esse laudabilium.

a) *Laurent. l. 4. op. anat. c. 15.* b) *Porta in proœm. l. 3. physiogn.* c) *in probl.* d) *sect. 4. lib. 6. Epid.* e) *l. 1. hist. de anim. c. 10.*

XXII.

Oculi animi & spirituum sedes.

In facie, præsertim in Oculis, animus spiritusque inhabitat. Per oculos enim quasi per valvas spectra intus ad animum se penetrant, ipsumque pulsant feriuntque, quod si Idola hæc rerum parùm jucundarum, ac debilia obscuraque sint, Animus, spiritusque quiescet, aut parum ad ea amplectenda movebitur si autem excellentis atque præstantis jucundi spectrum ad animum pervadat, tùm omnis vel plurimus spiritus obviam ei ad illas partes, quasi ad valvas, fenestrasque sese feret. Hoc infantes Naturæ quodam cæco instinctu, vel quos nunquam viderunt parentibus extemplo conspectis, forsitan rident, *(a)* unde illud Maronis, *(b)*

Incipe parve puer risu cognoscere matrem.

a) *Anton. Laur. l. 2. de risu p. 410.* b) *ecl. 4.*

XXIII.

Volâ palpebris appositâ videamus accuratius cur?

An quia species firmiter imprimuntur spiritibus in oculo coarctatis: an, quia sæpe spendorem oculos perstringentem, avertimus.

Kecker. disp. 15. curs. phil. probl. 19.

XXIV.

XXIV.

Cur intensissimo gelu cæteris membris rigescentibus, oculi tamen frigus non sentiant.

An quòd rigentur adipe uberrimo, qui illis pro indumento est ac propugnaculo, ne feriantur adeò à pervadente aëre? an quod spirituum copia abundè circumfluunt.

Aristot. sect 13. probl. 21.

XXV.

A repentinâ luce visus læditur.

A lucido disgregari maximè, & oblædi visum, manifestum est. An quia splendor, ut nimium & violentum, infirmo aspectui illorum, qui diu in tenebris commorati sunt, ἀσύμμετρ⊙ est, & calamitosus? an insuetis novæ objiciuntur species? Omne autem novum valdè immutat. (*a*) quod tribus exemplis probat Galenus (*b*) 1. Exemplo militum Xenophontis, qui cùm per multam nivem iter fecissent, oculis læsi sunt. 2. Exemplo Dyonisii Tyranni, qui super carcerem construxit domum clarissimam, calce illitam, sicque illos qui quàm diutissimè carcere infimo fuissent conclusi, ad eam adducebat, qui ex multa atque profunda caligine in splendidam lucem egressi occœcabantur. 3. Exemplo Solis, quem si quis inconniventibus oculis velit intueri, oculos celeriter perdet. Sic multi in Solis defectibus, cùm eum affectum, qui Soli acciderat, planius nosse cuperent, fixis oculis Solem intuentes, imprudentes prorsus fuerunt occœcati.

a) *Ruland. l. 2.* b) *l. 10. de us. part. c. 3. edit. m. f. 636. probl. 287.*

XXVI.

XXVI.

Μύωπες & πρεσβῦται.

Alii propè admovent oculis librum distinctè aliquid lecturi, alii verò ab oculis removent longius, fit propter diversam temperiem spirituum opticorũ, id est, eorum qui per nervos ad oculum deferuntur, ad imaginem rei visæ in oculo formandam & concipiendam. In nonnullis n. hominibus, hi spiritus optici sunt subtiliores & tenuiores; Ita ut facilè dissipentur, si sese ad objectum à longinquo comprehendendum enixè intendant atque acuant, non secus ac chorda subtilis in arcu nimis extensa facilè rumpitur. In aliis verò hominibus, iidem spiritus sunt densiores & crassiores, atque adeò tales, qui quadam attenuatione & extenuatione egent, quæ spirituum densiorum attenuatio fit, quando sese accuunt ipsi & intendunt, ad concipiendam & formandam imaginem objecti longius ab oculis remoti.

Vide cent. nostr. 2. part. 64.

XXVII.

Angustior quibus est pupilla, felicius vident.

Quare, quibus ex naturæ lege, angustior est pupilla, faciliùs vident, & quibus præter naturam arctior evadit, infelicius cernunt? An quòd naturalis illa pupillæ angustia ex tunicæ uveæ angustia nascatur, indeque fit, ut sese uniat vis visoria? hinc est quod inter omnia animalia, Homo angustâ admodum sit pupillâ, ut exactius dijudicet minuta, eò quod visus maximè disciplinis studeat. Num angustia, quæ præter naturam pupillæ accidit, nascitur ex ino-

inopia albuginei ſucci, vel à ſubſidente, vel corrugata cornea.

Ruland. l. 2. probl. 85.

XXVIII.

Conſpicilla quando juvent oculum in videndo.

Non ſemper proſunt conſpicilla in videndo, ſed tum demum ſi vel ſpiritus viſivus ſit imbecillior, vel oculi ſtructura nimis coarctata; tum enim imago rei videndæ, criſtallo vel vitro clariorum conſpiciliorum magis ſiſtitur quàm aëre: nec ſiſtitur tantùm, ſed & augetur, atque intenditur, ita ut fortius in oculum poſſit imprimi, inque eo diſtinctius repræſentari.

Keckerm. l. c. probl. 17.

XXIX.

Viſionis finis.

Cum animal, eodem, quo naſcitur loco, non ſemper habeat alimentum, ſed id aliunde ſæpe quærere cogatur, neceſſe eſt, ut moveri de loco in locum poſſit: quod cùm abſque cognitione termini ad quem & medii per quod omninò fieri nequeat, ea verò cognitio, nec auditu, nec odoratu, nec tactu percipi poſſit, neceſſariò natura viſum tribuit animali, quo locum commodè mutare, victum quærere, atque adeo conſervari queat. *(a)* Eſt & ſpecialior, hominis reſpectu, viſionis finis, ut nimirum is ex viſibilibus inviſibilia Dei cognoſcat, horumque omnium creatorem & motorem velut ex effectu cauſam agnoſcat, amet & in æternum celebret. *(b)*

a) *Ariſt.*

a) *Arist. l. 2. de an. text. 19. l. 3. t. 64. de sensu. & sensibili c. 1.* b) *Keck. l. c. probl. 21.*

XXX.

Colorum, albi etymon, candidi, rubicundi, atri & viridis natura, effectus.

Albus color, Græca origine ἀλφὸς, quasi ἄλεςφῶς in eo sit, si vocis sonum ex parte spectemus; unde prisci Sabini dicebant Alpum, à quo Alpes, ni potiùs ab Alpibus nive candidis dictus fuerit ille Alpus. *(a)*

Color candidus & rubicundus lætitiæ color est, quia proximè accedens ad naturam lucis spiritus animales dilatat. Ater autem condensat, & velut coarctat spiritus, ideò tristis est & luctuosus.

Colore rubicundo Tauri & Elephanti *(b)* irritantur & excandescunt, (quod & in Gallis Indicis animadvertitur) quia specie sua ad flammam accedente, movet vehementer spiritus visivos, atque ita etiam reliquos spiritus, tùm cordis, tùm membrorum, & cum spiritibus sanguinem, cum quo cognationem habent.

Color viridis maximè omnium visui conducit & oculis, quia cùm ita sit ex nigro & albo temperatus, ut nigredo albedinem quâdam proportionis concinnitate superet, idcirco spiritus visivi, nec nimis dissipantur, nec nimis constringuntur, sed temperatè & suaviter afficiuntur. *(c)* Optat enim visus ita frui lumine, ut per amicum hoc suum, amplificetur quidem, nec tamen interim dissipetur. In quocunque ergò colore plus tenebrarum & nigredinis est, quàm lucis, non dilatatur radius visivus ad votum, ac proin nec oculus dilatatur. Ubi contrà, plus coloris splendidi,

spargitur latius, distractus quâdam noxiâ voluptate. Color ergò viridis utrumq; temperanter præstans delectat pariter & conservat. (d) Quæ causa est, cur campos, gramina, herbas, arbores, virere voluerit Rerum Creator benignissimus, & cur homines literati sua quoque musæa hoc colore potissimum vestiant: (e) Quare cùm oculis jucundissimum spectrum viriditas sit, hujus rei causam indagans Aristoteles (f) quærit: Quam ob causam, cùm cæteras intuemur res conspectus noster fatiscit, atque deterior redditur, cùm ad virides & herbescentes inspicimus, ut olera, cæteraque his similia, recreatur, meliorque evadit? An conspectum in alba nigrave intendere minimè possumus, propterea quòd utrumque id genus coloris videndi viribus officit. Colores autem illi, quibus oculi acquiescunt, medium albi nigrivé obtinent, itaque aspectus, cùm mediocri leníque obvio afficiatur, nihil debilitatur, imò verò corroboratur atque reficitur.

a) *vid. Ant. Scarmil. l. 2. de col. c. 7.* b) *l. 1. Maccab. c. 6. v. 34.* c. e) *Keckerm. curs. phil. disp. 5. probl. 17. 18. 19. 20.* d) *Marsil. Ficin. de probl. vit. lib. 2. c. 14.* f) *sect. 31. probl. 20.*

XXXI.

Colores ex lucis & opaci mixtione pendere, seminalis balsami, tàm in herbis, quàm in homine, efflorescentiâ, docetur.

Lux in quibusdam corporibus evidens est, in quibusdam occulto velamine tecta latet. Evidens est in Sole, Luna, & astris omnibus, in carbunculo, cicindelis

delis & similibus; in reliquis verò creaturis, lapidibus, plantis, animalibus tegitur, ita tamen, ut certa cujusdam igniculi signa se prodant. Non enim obscurum esse puto, colores omnes in quocunque corpore ex lucis & opaci mistione provenire. Tanta siquidem lucis cum coloribus est affinitas, ut si per medium coloratum transierit, magis magisque coloretur, inde enim ambulantes per prata viridia, virides habere facies videntur. Taceo, quòd omnium rerum colores opaciores, successu temporis à lucis actione dealbentur, & in similem naturam quasi trahantur, idque non tàm in artificialibus, quàm in naturalibus crescentibus contingere manifestum est, quòd fieri minimè posset, nisi cum opaco lux misceri posset, & colores ex lucis & opaci mistione existerent. Jam verò in omnibus herbis, stirpibus, plantis, lapidibus, gemmis, & animantibus colores conspiciuntur. Ergò, in omnibus herbis, stirpibus, plantis, lapidibus, gemmis & animantibus lux & lucis facultas comprehenditur. Quod, ut clarius ob oculos ponam, tempus vernum attendite, quando è seminibus in hanc mundani theatri scenam plantæ se explicant, ubi totam terram viridi colore vestitam, variisque floribus splendere videbitis; cujus nulla alia causa est, quàm balsamus renovatus, qui singulari lucis fœcunditate fœtus novos exornat; Hominem præterea, dùm adhuc vivus & sanus est, roseo colore & amabili suffundi, ægrotum verò & mortuum pallescere videtis: herbas insuper recenter natas virescere, marcescentes colorem perdere animadvertitis, quæ indicio esse satis possunt, balsamum à luce pendere, & luci cognatum

 esse,

esse, nec dubitarem, quin hanc luculam in nobis ardentem aliquando essemus oculis excepturi, si liceret salvâ naturâ centrum & sedem balsami introspicere.

Bieker. de san. const. conserv. schol. ad c. 2. & 5. section. 1.

XXXII.

Lux & color illustratus cum impressione specierum, oculis inferuntur.

Lux per se & color illuminatus feriunt oculos impressione quâdam 1. Si quis enim intueatur Solem, haurit visus tanquam invitus speciem quandam, averso etiam sibi ad locum opacum, diutiùs hærentem: & similiter, si quis inspexerit speculum versum super quod ascendebat lux Solis, & fuerit visus aspicientis in loco ad quem reflectitur lux ab illo speculo, dolebit & debilitabitur, propter lumen reverberatum perveniens è speculo ad visum, & non poterit aperire oculum ad lumen illud inspiciendum. Item si aspiciens fuerit in domo, in qua fuerit foramen amplum, discoopertum ad cœlum, & aspexerit ex illo loco sidera in luce diei, immoreturque in aspiciendo ipsa, deinde revertatur visus ejus ad locum obscurum ejusdem domus, inveniet formam lucis, quam comprehendebat ex foramine, cum figura foraminis in loco obscuro, & si clauserit oculum suum, formam illam in ipso inveniet. 2. Si quis viridarium inspiciat ad Solé ambulans, pertrahit viriditatem oculus, eamq; non protinus amittit, quamvis in umbram ali-

quam

quam aversus. Ipsa verò manens species impressio dicitur.

Goglen. in comm. in c. 5. l. 2. Plin. p. 275.

XXXIII.

Ante diluvium cur homines longævi.

Quare adeò longævi, ante universalem terrarum inundationem homines fuêre? An ob constitutionis & temperationis humani corporis bonitatem, quâ primi homines vigebant. Et quidem recens à Deo facta natura fuerit firmior ad seipsam conservandam, fortiorque ad resistendum contrariis, nondum tot morbis fracta & debilitata? An ob sobrietatem in cibo & potu, omnisque vitæ moderationem, victusque simplicitatem, varietate nobis consuetâ naturam pessundante? An ob præstantiam alimentorum, propter eximiam terræ ante diluvium bonitatem, feracitatemque, quo terræ nascentia multò sunt imbecilliora facta, deterioraque, aquis Oceani salsis totam inundantibus terram, depravantibusque? An cognitio Adamica perfectior, vires & facultates herbarum, fructuum, metallorum, earum rerum omnium vim & conservandi & producendi vitam humanam obtinentium exploratissimam habens? An syderum aspectui primorum hominum regionem salubriter illustrantium assignanda causa? an ut longa vita genus humanum tùm temporis angustum multiplicaretur? an ad indagandum artes scientiasque, vitæ humanæ, ut necessarias ita & utilissimas, sed non nisi longissimi temporis experientiâ acquirendas?

Ruland. l. 2. probl. 268.

XXXIV.

Studia nocturna Phantasiæ, totiq́; cerebro cur noceant, itemq́; studia, post cibum sumtum memoriæ?

Spiritus fatigatione diurnâ præsertim subtilissimi quique resolvuntur. Nocte igitur, non nisi crassi & pauci supersunt, qui tùm quoque corporis laboribus exhausti refectioni cedere debebant. Quin & imaginatio multis, longis, contrariisq; in vigilando totâ die imaginibus, curisque distrahitur, quæ quiete nocturnâ sedari oportebat. Quicunque verò tùm, mente nimium agitata, res ipsas judicare conantur, ii non aliter, quàm illi, qui vertiginem patiuntur, omnia verti putant, ut Plato inquit, cùm ipsi vertantur. Jam porrò, cùm post cibum sumtum, aliquid meditari, ac memoriæ mandare nitimur, evocatur calor ex inferioribus corporis ventriculis, & cum calore halitus, qui cùm tùm temporis alii esse non possint, nisi crudi, fuscidi, crassi, ac impuri, eodem suo vitio, cerebrum infuscant ac intingunt, sicque ad nobilissima sua munera, quæ non nisi tenues spiritus requirunt, ineptum reddunt. 2. quia hac ratione organa nutritionis destituta calore, ad superiora evocato, à concoctione nutrimenti impediuntur. Cibum verò incoctum venis urgentibus ad membra nutrienda transmittunt, ex quibus alimento crudo corruptis, pravi postea humores in cerebrum evecti nihil incorruptum relinquunt.

Ficin. l. 1. c. 7. de stud. san. tuend.

XXXV.

Aëris vis ad generationem, mixtionem, mixtorumque conservationem, in spiritibus Animalibus, vitalibus & ipsâ peste conspicua.

Plurimus usus Aëris est, ad generationem, mixtionem, mixtorumque conservationem. Est enim quasi medium glutinũ ac vinculum, organumq; & vehiculum spiritus mundani, cuncta permeans, omnib⁹ præbens consistentiam, qui subito & inevitabili motu raptus atq; absorptus, in præcipua corporis membra fertur, eaque suis qualitatibus imbuit: attractus n. subitò in viscera & totum corpus penetrat, & quidem pars ejus levior penetrat in cerebrum, permiscetur-que spiritibus animalibus, pars à pulmone hauritur, quæ in sinistrum cordis sinum derivatur, spiritibus-que vitalibus unitur, pars deglutitione qualibet abripitur in ventrem, inde in venas eparq; distribuitur, ex quo fieri nequit, ut non imbuat suis qualitatibus spiritus tenuissimos, humoresq; ob mollitiem alterationi magis obnoxios, tùm etiam ipsis solidioribus partibus aliquid naturæ suæ imprimat. Pestilentiæ tempore id conspicuum & maximè observabile est, quomodo videlicet aër malignus, pestilensque inspiratus & attractus, spiritus & humores inquinet atque corrumpat, ut ita in aëre, ejusque natura magna & mirabilia delitescant, quæ à multis ignorantur, à paucis intellecta sunt.

Goglen. l. cit. p. 228.

XXXVI.

Pestis actio varia in climate hoc vel illo, animalium speciebus & hominum individuis, unde.

Secundum causarum agentium robur, & patientium dispositionem Pestis quandoque in uno duntaxat climate, & non in alio, quandoque unam animalium speciem, & non aliam, modò homines, & non alia animalia, quandoque & genus humanum & brutorum simul invadit, afficit, corrumpit, occidit, & sic aspectui determinato, determinata respondet configuratio. In quâlibet autem naturali actione (etiam præter astrorum inclinationem) concurrunt agentis fortitudo, passi dispositio, contactus passi ab agente, mora agentis. In primis enim agentis fortitudo requiritur, quoniã à proportione minoris inæqualitatis aut æqualitatis nõ sequitur actio, sed à proportione majoris inæqualitatis. Nam parva scintilla magnum lignum comburere nequit, neq; parvus ventus magnã navim, sed magnus & benè proportionatus & impetuosus impellere potest. Sic & passi dispositio, nõ quodlibet agit in quolibet, sed determinatũ in determinato, & actus activorũ non est nisi in patiente benè disposito. Agens ergò cùm vult agere & patiens non sit præparatus, nec actio nec passio contingit. Nam magnes attrahit ferrum, cùm sit mundum & præparatum, quòd si fuerit allio linitum, aut rubiginosum, sic indispositum, aut adamantis præsentiâ alteratum, tùm attractricis vis debilitatur, aut imbecillior fit, & ita actio desinit. Ad hoc facit contactus, nisi enim agens formaliter, vel virtualiter passum

sum

ſum tangat, in ipſum non aget, quemadmodum ignis aliquem calefacere nequit, ſi ab ejus caliditate non tangatur. Hæc inſuper moram expoſtulant. Nam ſi poſueris lignum parvum in igne, quantumcunque magno, ſi immediatè ab eo lignum illud amoveris, non comburetur, etiam è converſo, ſi in parvo igne ponetur, in eo moram contrahat, absque dubio concremabitur. Quare ſi cauſa agens ex terræ aut aquæ ſqualore non valida fuerit, ex brutis malè duntaxat afficiet ea, quæ ſecundum diſpoſitionem tali veneno ſimilem parata ſint. Si verò validior fuerit, in ſpeciem humanam graſſabitur, ita tamen, ut ex ſe nec regionem, neque civitatem, neque oppidum ſed neque pagum tranſibit, hæc enim uno duntaxat loco homines corripit. Si verò agens ex ſuperiori causâ, aut ab inferiore polluto aëre ortum habuerit, genus tantùm humanum inquinabitur. Si autem à ſuperiore & inferiore cauſa ſimul contigerit, tùm omnium animantium ſpecies peſte corripi poſſunt, attamen ſecundùm eorum corporum diſpoſitionem. *Foreſt. 6. obſ. de febr. ſchol. ad obſ. 9.*

XXXVII.

Peſtem fugiens, peſte corripitur, & non affectus eâ, alios inficit.

Quare aliqui ab infectis, in alia loca, ubi nulla eſt peſtis fugientes, illicque aliquandiu hærentes pòſt multos ſæpè dies peſte primùm corripiuntur, vel non correpti alios inficiunt? an quòd virus peſtilens, in illis clandeſtinè ſubſiſtere poteſt, nec ulterius propagari, cordis robore indeſinenter reluctante, & corpore nondum uſque quaque habili exiſtente? ſi verò

rò dispositos offenderit, non mirùm istos citiùs etiam affici.

Ruland. l. 1. problem. 30.

XXXVIII.

Historia latronis, qui bis suspendebatur.

Jacobus latro è patibulo quô suspensus fuerat, veluti jam mortuus, sed qui tamen adhuc viveret, depositus atque curatus convaluit. Verùm ut erat homo ingenio malo, pravoque, ad eadem statim scelera revolutus, quibus antea extremum promeruerat supplicium, iterum capitur, atque suspenditur. Quare hominis admirati nequitiam, mortui cadaver incidendum curavimus, & inventum est cor ejus ob eximiam caliditatem undique pilis refertum.

Beniven. de abd. morb. causs. cap. 83.

XXXIX.

Fures suspensi reviviscentes. Historia I.

A. 1440. 16. die Martij, Decano facultatis Medicæ existente M. Johanne de Paumgarten, octo fures suspensi fuerunt, ex quibus unus ad Spiritum Sanctum introductus est, ac corpus ejus destinatum Anatomiæ, sed quia iterum ope & industria Medicorum Viennensium revixit, liber dimissus est. Hæc ita descripta reperiuntur in antiquo collegii Medici actorum libro.

XL.

II. Historia.

A. 1492. Conradi Pretznauers de Puechberg ob furta suspensi & strangulati corpus facultati Medicæ secandum

dum tradebatur. Animadvertunt Medici, aliquem ſpiritum vitalem in hoc corpore ſupereſſe, quamvis morti valdè propinquum eſſet; proinde ex utrâque cephalicâ ſanguinem largum detraxerunt, aliaque neceſſaria adminiſtrarunt. Apparuerunt in illo ſymptomata horribilia ſuffocationem minantia, ſpuma circa os notabilis aderat & perſeverans, propterea Medici Hippocratis aphoriſmum 43. ſect. 3. allegabant: Strangulati & diſſoluti nondum mortui, non reconvaleſcunt, quibus ſpuma circa os fuerit. Hunc trium litterarum hominem fortiſſimè conſtrictum, ob vehementes capitis, pedum, imò totius corporis commotiones, (nulla enim in homine erat quies) quatuor perſonæ fortes athleticæ tenuerunt, aliàs, ne ſeipſum denuò interfeciſſet, periculum fuiſſet, mente nimirum laborantem. Retulit poſtea, ſe non poſſe in memoriam revocare ea, quæ ſecum acta fuerant, ſe tantum meminiſſe, quòd in prætorio fuerit, ſed quid poſtea factum ſit ſe ignorare. Dicitur etiam poſt multa nova furta denuò ſuſpenſus eſſe, ſiquidem quod corvis debetur, vix ſubmergitur.

XLI.

Gravida ſepulta peperit.

In Hiſpania Madriti, quædam matrona ex familia Don Franciſci Laſſo oriunda, poſtquam per triduum in mortis agone decubuiſſet, exiſtimantibus cognatis eam mortuam eſſe, deportata eſt in locum ad ſepulturam deſtinatum, Græci κρύπτην appellant, ubi more ſolito ſola relicta fuit occluſa. Poſt aliquot menſes aperto loco, repertum eſt hoc cadaver, in eodem loco, in quem repoſitum fuerat, habens in dex-

dextro brachio infantem mortuum. Hinc apparet, ipsam tùm temporis, quando sepulta fuit, nondum obiisse, sed postmodum peperisse infantem, qui unà cum matre miserrimè clam infra terram obiit.

Diomed. Cornar. de hist. admir.

XLII.

Gravida suspensa peperit.

D. 14. Junii., Anno, SaVLe qVID Me persеqVeris, inter Daventriam & Sutphaniam, ab Hispanis Inquisitoribus maritus cum uxore gravidâ suspenditur. Uxor cùm pependisset per horas quatuor, gemellos vivos mortua peperit.

Paul. Eber. in Calend.

XLIII.

Apoplectici, Epileptici, & ab utero strangulatæ serius humandi.

Compertum habeo nostrâ & avorum memoriâ, nonnullos effracto capulo revixisse. Quamobrem lege cautum esse convenit, ne Libitinarii aut Vespillones, properè quos mortuos existimant, extinctæque animæ speciem præbere vident, loculo includant, eos præsertim, qui Apoplexiâ, aut morbo comitiali, uterique strangulatione suffocantur, cùm in illis nonnunquam delitescat anima, quæ rursus corpus spiritu vitâque imbuit. Quare, si hujusmodi corpora sanie & tabe non diffluant, non nisi elapso triduo inhumanda. Siquidem expleto duarum & septuaginta horarum curriculo, humores sisti contingit, moverique desinunt, quod Luna eo temporis spacio, unum Zodiaci signum peregerit, cujus vi humorum decursus in corporibus perficitur.

Lemn.

Lemn.l.2 de occ.nat.mir.c.3.Foreſt.l.10.ſ.ſchol.ad Obſ. 79.Wittich.de apopl.p.181.& ſeq.

XLIV.

Apoplexia tres dies perdurans.

Memoriæ ocurrit, olim apud Ferrarienſes puellam quandam apoplexiâ detentâ fuiſſe,quæ ab omnibus Medicis pro mortua habebatur. Cæterùm, cum Mater puellam ſumopere amaret, eam non ita facilè ſepeliri permiſit, & eò magis, quia ab aliis perceperat, qui ſubitò & repentè gravioribus morbis corripiuntur, & pro mortuis habentur, non ſic facilè & repentè clero ſint permittendi. Demum Mater puellam per triduum apud ſe contra omnium opinionem detineri fecit, & tertio die puella quaſi ex inferis ſublevata, revixit.

Amat. Luſitan. Centur.4.Obſ.23.

XLV.

Peſte extincti an ocyus humandi; ambigitur.

In contagioſis febribus, vel cùm peſte feriuntur homines, ocyus humandi, cum ſtatim à morte ſerpat contagio, atque aſtantibus labem inferat. Minus autem periculi imminet iis, qui vivis peſte correptis adſtant, infectiſque obſequium præſtant, quam ubi morientibus aſſiſtunt: *(a)* tum enim ſe diffundit contagio, atque ad obvia quæque dimanat. Simile enim quoddam corporibus recens extinctis evenit, quod cereis, lychniſque ac funalibus, quæ accenſa nullam graveolentiam naribus offundunt: at extincta, flammaque ſopitâ tetro undique fumantique odore cœnaculum oppleant. Ita plus periculi imminet,

net, ubi animam exhalantibus præstò sunt, quam ubi aliquid adhuc vitæ superest, aut ubi horas aliquot extincti frigent, ac rigescunt; quod si paulo diutius, supraque legitimum tempus hujusmodi corpora reserves insepulta, olida efficiuntur cadavera, sensimque mephitim exhalant. *(b)* Verùm non semper tutum esse & hominem Christianum minimè decere, peste extinctos ocyus terræ mandare, præter alia exempla, *(c)* hoc notissimum testatur. *(d)*

a) *Astipulatur huic sententiæ Laur. Joubertus apor. 3. de peste. refragatur acriter Jordanus l. 1. de pest. c. 18.* b) *Paræus de pest. c. 10. Lemn. l. c.* c) *Fabric. cent. 2. observ. 95. & 96.* d) *G. Horst. c. 9. in app. l. 7. de hist. med. mir. Marcelli.*

XLVI.

Mulier pro mortua, tempore pestis sepulta reviviscens.

Accidit A. salutis 1357. peste maximam stragem apud Colonienses agente, ut nobilis quædam matrona Reichmuth Adolch nomine, in foro novo habitans, cujus ædes adhuc ibidem conspiciuntur, peste quoque corriperetur, ut pro mortua sepeliretur. In hujus digitis annulum relictum vespillones noverant, quapropter nocte subsequente clam ad sepulchrum accedunt, loculumque effodiunt. Sed quid fit, sepulta sese erigit, Vespillonum timore perculsorum aufugientium relictam lucernam apprehendit, & ad ædes mariti properat, à quo cognita postmodum, optima victus ratione adhibita, convaluit, & tres deinde filios generavit, quos ministerio Ecclesiastico præesse voluit.

XLVII.

XLVII.

Hircus fœtidus pestem fugare creditur.

Cur Principes pestifero cæli statu hircum olidum in aula alunt? an quòd cor alieno hoc graviq́ue odore, putredinis tamen experte, offensum, abhorreat intrò revocatis spiritibus, sicque affectum ejiciat potiùs à se omnia, systole, quàm ut suavi odoris blandimento sese fundendo diastole attrahat, sicq́ue contagium simul bibat? Unde etiam fit, ut coriarii & salsamentarii & qui per fœtores vitam ducunt non putridos, rarò peste occupentur. *(a)* An quia ædium vastitas viroso vapore, quem hircus expirat repleta, repellat aditu auram venenatam? an quia malus vapor malo alio vapore, tanquam cuneus cuneo fugetur? *(b)*

a) *Ruland. l. 1. probl. 103.* b) *Paræus de peste c. 6.*

XLVIII.

Odor Hirci non propriè fœtor, sed graveolentia est, glires abigit.

Odor Hirquinus non propriè fœtor, sed *βαρυοσμία* graveolentia est, qui primo initio quidem nonnihil molestus est, si quis autem parùm assuescat, non multum isto odore offenditur. Sunt enim longè plura graveolentia, & tamen non fœtentia, ut allium, porrum, cæpe, raphanus, aristolochia, radices angelicæ, diptamni, maximè si urantur, fumus picis & axungiæ, quæ tamen in peste salutariter quoque admittuntur. Nostratibus etiam constat, glires, qui & ipsi ex putredine nascuntur, & venenum secum habent, hoc odore abigi, quo fine etiam Hirci olentes in stabulis Principum equinis ali solent.

D. D. Cramerus de peste lit. M. 8. a. b.

XLIX.

XLIX.

Mirum pestis abigendæ consilium.

Silentio præterire non possum, exemplum hoc, nostro maximè tempore commemoratione dignum, ab opulento quodam Cretensi Mercatore mihi relatum. Ipso nimirum in Turcia negotiante, sævissimam obortam fuisse pestem, cui cùm diu nullis resisti consiliis potuisset; tandem cujusdam Medici inter Sarmatas habitantis suasu, quàm plurimos occisos priùs canes cùm in plateas ejecissent, ingentem paulò post ex cadaveribus ipsorum prodeuntem putredinem ac fœtorem pestem, ferocissimam licet, abegisse: quam quidem consuetudinem in hodiernum usque diem apud Sarmatas sartam inviolatamque ajunt servari. *(a)* Putredo siquidem in dictorum canum cadaveribus concepta, in aërem exhalans, ejus corruptionem, animantiũ generi mortiferam, necessariò immutat. Cujus quidem immutationis discordia ac dissimilitudo rerum, causa existit. Unde & unum venenum sæpe fugare alterum, proculque abigere observamus. Ac ut exemplo magis familiari, omnibusque noto, rem expediamus, nemo eorum qui peregrinando, ut plurium regnorum ac civitatum viderunt mores, sic territorii ac loci cujuslibet observârunt commoda, ac incommoditates, nullus horum unquam visus est, qui fœtori platearum Parisiensium aliquem similem subodoratus fuerit. Non minus verò hujus urbis incolis notum est, loca sæpenumero circumjacentia pestis contagio ipsâ urbe longè graviùs affligi. Cujus rationem multi Medici hanc reddere ausi fuerunt, prædictam nimirum platearum corruptionem, seu putre-

dinem incolis familiarem, aëris corruptioni contagiosæ fugandæ existere idoneam. Quin & sæpius audivisse me memini, in urbe Calete, tempore persumationis halecum incredibili fœtore conjunctæ, urbem sæpenumero à pestis, quo tenebatur contagio esse liberatam. *(b)*

a) *Alex. Bened. de febr. pestil. c. 6.* b) *Quercet. l. 1. c. 6. pest. alexic.*

L.

Mirabilis potestas antri cujusdam & lacus ipsi vicini, inter Romam & Neapolim.

Qui Româ Neapolim iter confecerunt, duo quædam admiratione digna observare potuerunt. Alterum est ad oppidulum Puteoli dictum: ubi duo aut tria circiter milliaria trans Neapolim, Siciliam versus, occurrit antrum parvo lacui vicinum, ex quo exhalat usque adeò perniciosus vapor, ut si vel in limen ipsius aliquod animal intrudatur, statim suffocetur & pereat, nullaque vitæ spes relinquatur, nisi promtè in lacum proximum immergatur, unde respiret. Immersum enim illuc statim ad se redit, alioqui mox periturum, ut multis experimentis in sexcentis ac mille servis, aliisque capite damnatis facta est fides: nec aliud vitæ subsidium aliunde sperari potest, quàm ex ipso lacu: siquidem qui ex antro educti in lacum demergebantur, confestim resurgebant: quibus verò hoc auxilium denegabatur, illis esset prorsus intereundum, usque adeò sagax natura suis alumnis prospicit, ut ubi causa aliqua morbi aut mortis, ibidem quoque remedium domesticum, & familiare semper, modò illud noris, reperire possis, ea ipsa quæ

nobis thoram exhibuit, antithoram etiam illius remedium ſuggeſſit.

Alterum eſt, quod à menſe Junio, ad exitum usque Æſtatis, imò etiam ad bonam Autumni partem, æſtu non amplius urgente, ſed & pluviarum copiâ prius contemperato, nemo hominum auſit, citra vitæ diſpendium, Româ Neapolim proficiſci: unde etiam omnibus tùm temporis via illa interdicta, ne quis ſpontè, vel inſcius pereat: feliciter quidem ſuccedit iter, ſi trans Neapolim, Siciliam aut Milten etiam verſus iter protrahitur. At mox, aut cum aliqua morâ Romam redituro, nulla vitæ prorſus ſervandæ ſpes affulget, rarique periculum hoc tentantes, mortis diſcrimen effugiunt. Vix enim unus aut alter, ex centum aliis, periculo eripi poteſt, quin omnes miſerè vitam finiant. Cauſa autem tam præcipitis, & neceſſariò ſuccedentis interitûs, ſubitæ aëris mutationi aſcribitur. Cùm enim Romanus aër craſſior ſit, Neapolitanus verò ſubtilior, ſi à tenui & ſubtili aëre, in craſſum revolvimur, facilè corpus noſtrum offenditur, patentibus enim tunc omnibus corporis meatibus, per quos craſſior aër ingreditur, fit reverberatio quædam incenſorum ſpirituum, intra caput compulſorum, qui exagitati craſſos illos vapores tandem inflammant, ac incendium augent. At à craſſo in ſubtilem progreſſus, craſſitiem denſioris aëris corrigit, efficitque ne noceat, niſi forte maligna quadam ſyderum qualitate, uterque aër pugnet, fortiorque victoria potiatur.

Quercet. diat. polyh. ſect. 2. c. 1.

LI.

LI.

Æſtate frequens ſudor cur.

Aſſumpto cibo & potu corpus totum refocillari, caloremque foveri per partem poſt partem non eſt ambigendum, unde cum æſtate corporis pori & meatus magis pateant, corporaque plurimo ſeroſo excremento redundent, ſiquidem tunc homines magis, quàm cœteris anni temporibus potationi indulgent, facilè aſſumpto cibo & potu ſudores eliciunt.

Marcellus l. 1. de hiſt. med. mir. c. 2.

LII.

Supini decubitus, oculis ſurſum verſis, detrimenta.

Supinus, qui fit oculis ſurſum verſis, decubitus, multa infert detrimenta & incommoda. Eo enim lumbi calefiunt, qui tamen ad calorem non ſunt aſſueti, eſt quippe ſub ſpinali medulla, vena & arteria magna, quæ facilè inflammatur, unde totum corpus & maximè renes incaleſcunt, incaleſcit & ipſa medulla, omniaque membra mollia & exanguia quaſi liqueſcunt, & ita totum corpus laxum redditur. Accedit, quod tali decubitu pulmo comprimatur & coctio, quæ in ſomno fieri debebat, quodammodo infringatur, excrementa præterea cerebri non poſſunt deſcendere ad ſuum emunctorium, ut ibidem evacuentur, ſed ad nucham, nervos & artus procumbunt, interdum etiam ad guttur, gulam, os & pulmonem, magno valetudinis incommodo feſtinant, unde repletionibus capitis, apoplexiis, catarrhis ſuffocativis anſa præbetur. *(a)* Præter anguſtiam parit etiam turbulenta inſomnia. *(b)*

a) *Bicker. in Herm. rediv. schol. ad c. 18 sect. 1. Hippoc. l. 2. de mot. musc. c. 4. Crato cons. 218.* b) *Plater. l. 2. de les. funct. p. 439.*

LIII.

Legitima forma decubitus.

Ventriculus situs est in Epigastrio, nullis ossibus circundato, ut faciliùs distendatur, & quidem statim sub diaphragmate in medio quasi corporis, spinæque incumbit: pars verò sinistra quæ major, & ad fundum rotundior in sinistro hypochondrio est, ut cedat epati, quod in dextro latere, atque ita in æquilibrio quasi sit corpus, dextram versus paulatim attenuatur, ut cibus sensim eò protrudatur. Ex quo fundamento scitur, dormituris conducere primùm SINISTRO lateri incumbere, usque ad coctionis absolutionem: deinde verò dextro, secus quam vulgo putant. *Bartolin. l. 1. instit. anat. c. 9.*

LIV.

Aliorum de forma decubitus opinio.

Super latus DEXTRUM, brachiis & cruribus modicè contractis, magis hyeme, quam æstate, capite parùm elevato (ut caput altitudine par sit humero summo) dormiendum est, cum hac ratione cibus in ventriculo melius digeratur, exhalationes ad caput per orificium sinistrum minus evaporent & absolutâ chylificatione distributio nutrimenti ad intestina, & per consequens ad jecur, & alias quoque partes commodius absolvatur. Circa finem verò maximâ ex parte somno perfecto, non inconveniens erit sinistro latere, quod restat, absolvere, vicissitudine videlicet naturæ non ingratâ.

Hor-

Horstius l. 1. de tu. sanit. c. 9. Fuchs. l. 2. instit. sect. & c. 4. Quercet. l. 2. c. 10. diat. polib. Beker. de sanit. consf. consf. p. 115. & 122. Paraeus in introd. chir. c. 16. Sennert. l. 3. pract. p. 131. b.

LV.

Vaporum è ventriculo in cerebrum, per œsophagum, membranas & nervos adscensus.

Quamvis non dubitemus, ex vaporum fumorumque è ventriculo ad cerebrum ascensione maximè dolorem excitari, videtur tamen jure posse dubitari, cùm nulla manifesta via, per quam deferantur, appareat. Si enim per œsophagum, ut vulgus Medicorum credit, & ab œsophago per nares & odoratus organum & palatum ascendant, cur non semper & naribus apertis & ore patente potius illac exeunt? Quare existimamus, non è sinu ventriculi solùm, sed ex ipsius tunicis externis fumos quoque ad cerebrum efflari, & qui è sinu per œsophagum, præsertim per rectitudinem & ambitum nervorum sextæ conjugationis ad cerebrum perveniunt. Ea enim rectitudo eam vim habet, quam baculus oblongus in camino erectus, ut fumum sursum intra canalem dirigat, ne extra effundatur. Non aliâ ratione Torpedo, per baculum tacta tangenti manuum stuporem inducit, ejus vim dirigente & deducente baculo ad manum, ne per aërem divagetur, quam vim alioqui non habet, etiamsi manus quàm proximè admoveatur. Qui verò ex tunicis exterioribus, per arterias magis, quàm per venas, quæ in illa parte sunt (quæ à venâ portâ originem trahunt) sursum feruntur.

Forest. l. 9. schol. ad observ. 44.

LVI.

Non tantum caput & Thorax, sed & ventriculus & totum corpus per palatum vacuantur.

Noverunt antiqui per palatum evacuari caput & thoracem, Sed quod & ventriculus & corpus totum per palatum evacuetur, non agnoverunt; non enim possumus caput per palatum evacuare, quin simul evacuemus ventriculum, quod fit ratione magni consortii, quod ventriculus habet cum toto palato, membrana enim gulæ connascitur cum membrana interna ventriculi, & cum ea, quæ vestit linguam & palatum, *(a)* Hinc bilioso humore & vapore è ventriculo elevato, lingua amarore & flavitie inquinatur, & sæpè oris ac linguæ exulcerationes ac vitia œsophago & ventriculo, horumque vitia illis communicantur. *(b)*

a) *Fallop. de medic. purg. c. 20.* b) *Bauhin. th. anat. l. 1. c. 46.*

LVII.

Musculorum omnium, maximè oculorum, vesicæ, recti intestini, quando naturalis, quando animalis motus.

In omni musculo motus est duplex: unus naturalis & insitus, ubi fibræ naturâ in sese contrahuntur, quemadmodum chorda flectens arcum, illaque contractio fit secundum fibrarum continuationem, uti videmus chordam in testudine ab intensione laxatam, versus principium trahere: alter animalis, ubi fibræ contractæ advenientibus spiritibus animalibus pro imperio

perio voluntatis magis contrahuntur, quare cum musculus palpebrarum, quem Anatomici opponunt illi, qui cum musculis oculi superiùs rectus enatus, palpebram sursum attollit, fibras obtineat circulares, & omnis contractio fiat secundum continuitatem lineæ, sequitur quod musculus ille in sese versus centrum coeat, & oculum naturaliter claudat, uti videmus in somnolentis, in quibus oculi sine animadversione & sponte concidunt. Ubi verò oculus firmiter occlusus retinetur, ibi non tantum facultas naturalis agit, sed pro intentione spiritus animales adfluunt, fibræque magis incrassantur & contrahuntur. Patet hinc, cur in quiescentibus tempore somni oculus suâ sponte claudatur: item cur in quiescentibus & etiam non animadvertentibus nobis vesica & intestinum rectum per suos musculos clausa manet? Cur etiam in mortuorum corporibus urina vel etiam alvi excrementa non facilè effluant post mortem, ni forte vi expultricis, vel ob debilitatem retentricis ante mortem tale quid accidit.

Iac. Muller. disp. de motu anim. th. 57. Horst. in consil. p. 534. & 546.

LVIII.

Ignis Elementaris, nil nisi pars est Aëris calidissima, δυνάμει πῦρ.

Supremum Elementum, quod Ignis vulgò dicitur, Aëris pars est calidissima & tenuissima, Naturæ ignis proxima, ut quæ facilè incendi possit, inq; ignem verti (quod apparet in meteoris ignitis) non distinctum ab Aëre Elementum, non actu ignis, aliàs enim luceret, illuminaret, arderet, combureret, ut noster ignis

diaconicus & servilis, materialisque, qui est ὑπερβο-λὴ seu excessus caloris & siccitatis,& quasi spiritus siccus, fumusque incensus & ardens in corpore combustibili. Suffragio nobis suo adest ipse Aristoteles, *(a)* Ignem peculiari nomine vocans ὑπέκκαυμα, id est, quod ad incensionem & combustionem ideonum est, facileque potest succendi. Hoc autem πάθος partis aëris calidissimæ est & siccissimæ, quæ facilè succendi potest. Idem disertè scribit, *(b)* hoc, quod aërem vocamus humidum& calidum esse, supremis partibus calidum & siccum & δυνάμει πῦρ, id est, extremum aëris ignis habere naturam & δύναμιν, & hoc esse ætheri proximum, Lunæque attingere orbem. Adde, quòd locus syderibus & Lunæ vicinus vocatur suprema aëris regio. Igni autem tribuitur ille locus, Ergò Ignis revera est Aër, qui tamen propter consuetudinem Ignis appellatur, nec tamen est, quoniam scilicet suprema aëris regio facilè succenditur, ideò Ignis appellationem sortiti. Ignis igitur, qui vulgò dicitur, Aër est, ad igneam naturam proximè accedens. Ex quibus apparet, Ignem ab Aëre distinctum non esse, & per consequens, nec peculiare Elementum, sed humani ingenii commentum. *(c)*

a. b) *l. 1. Meteor c. 4. & 5.* c) *Goglen comment. in l. 2. Plin. c. 5.*

LIX.

Virtus Solaris, generandi, vivificandi, &c. à radiis æthereo spiritu vivifico prægnantibus, orta.

Non immeritò quis miretur, cum Sol quotidiè tantam radiorum vim, tàm procul, tantâ cum celeritate, sine

sine ullâ intermissione ex sese effundat, unde ipsi suppetere tàm larga materia, ad copiosissimæ & affluentissimæ illius scaturiginis perennitatem possit. Alii putant, radium Solis esse qualitatem & lucem aëri impressam, & per aërem ad nos demissam, sicut aliarum rerum visibilium species lucis virtute per aërem in oculos nostros se ingerunt, nec sunt partes de substantia corporum visibilium effluentes, sed species inanes & evanidæ; alii his rectiùs statuunt, Radium esse æthereum quendam, purum lucidumque spiritum intra Solis corpus genitum, indeque emissum, trium præstantissimarum maximeque necessariarum rerum vehiculum esse videlicet lucis, caloris, & vivificæ cujusdam occultæque virtutis, hæ enim unà cum radiis diffunduntur in omnes mundi partes, quibus cuncta generantur, nutriuntur, crescunt, appetunt, sentiunt, moventur, id est, vegetantur & vivificantur, seu ad generationem & vitam excitantur. Calorem enim qui est in Sole, non fovendi tantum & vegetandi habere vim, sed virtutem etiam animandi materiam elementarem, ut, quod prius vitâ carebat, nunc vivere, id est, nutriri, crescere, generare, sentire, moveri, appetereque incipiat, quotidianis experimentis habetur compertissimum, sic cadaver Taurii in apum examina, Equi in crabronum agmina, & Asini in scarabæorum catervam vivifico hoc spiritu animatur.

Gogl. in comm. c. 6. l. 2. Plin.

LX.

Vis radiorum Solarium reflexione unita fortior est quàm dispersa.

Radii Solares quò proprius junguntur, eò plus habent roboris ad calefaciendum, longius verò distracti remissiorem, hinc fit, ut Solis orientis vel occidentis, item per humiliorem Zodiaci partem incedentis radii sint imbecilliores, quoniam scilicet longissimè divelluntur radius incidens & reflexus, contra verò pluribus, ex diversis locis, radiis reflexis in uno concurrentibus puncto, tantus potest excitari calor, ut etiam ignescat. *(a)* Sic in speculis artificiosis & concavis, ob summam levitatem & tersorem, partiumque æqualem obsistentiam ita validè lumen unitur, & ex unione geminatur atque intenditur, ut corpora è longinquo speculis objecta incendant. Sicut Galenus *(b)* refert de Archimede, qui constitutis è regione speculis, lumen Solis usquè adeò in iis collegit, ut hostium triremes in portu Syracusano è regione positas incenderit. Et Zonaras *(c)* refert, Proclum Mathematicum suspensis speculis æneis, muro Constantinopolitano, ignem instar fulminis emisisse, in hostium classem. Nec alia ratio est, cur vites ad parietes consitæ, longè citius maturescant iis, quæ sunt in locis liberis ac patulis: nimirum Solis radii ad parietem validius repercussi & uniti fortiorem calorem edunt. *(d)*

a) *Gogl. l.c.p. 279. 282. 290.* b) *l. 3. de temp. c. 2.* c) *in vit. Anastas.* d) *Keckerm. curs. phil. disp. 3. coroll. 7.*
Vide centur. 5. memor. part. 54.

LXI.

LXI.

Aegrotis lintea munda ſubſterni non oportere, veſpillonum commentum.

Receptum paſſim & conſuetum eſt, ex morbo decumbentibus, ac ipſis etiam puerperis, mundorum linteaminũ uſum interdicere, ac, ſi quando ob nimias ſordes eadem mutanda ſint, aut linea induſia, aut alia quæ in quotidianum cedunt uſum, potiùs quàm ægrotis ſubminiſtrentur, aliis noctem unam aut alteram ſubſternere, tanquam mundities illa ægro corpori non ſatis conveniat. Commentum certè, quod veſpillonum quorundam induſtriâ, aut ſagæ alicujus veneficæ arte irrepſiſſe veriſimile eſt. Quis enim qui vel tenuiſſimè Medicinam attigit, hujusmodi pronunciet, aut invehat? quis (niſi methodum omnem ſubverſam velit) pronunciata jam, aut invecta tueri audeat? Si enim puelli plorantes *(a)* quoties nec nutricis papilla ori indita, nec motu mediocri, neque vocis modulatione ſedari queant, (videmus enim tria hæc nutricibus ipſo uſu edoctis inventa doloris infantium remedia) lectorum aut involucrorum, aut veſtium alioqui ipſarum ſordidiorum immutatione, non tantum leniantur ac quieſcant, ſed & in profundiſſimum ac ſuaviſſimum incidant ſomnum, quid tandem de veſtibus aliorum ſordibus infectis pronunciabimus? cùm enim natura noſtra excrementa quædam à ſincero ſecernat, quæ modò per alvum, modò per veſicam, interim etiam inſenſibilis per univerſum corpus (eſt námque non tantum cutis noſtra, ſed & tota totius corporis noſtri compages poroſa

pror-

prorsus & meatibus plena) expurget, verisimile est, eandem iis semper esse intentam, ac ni morbidum sit corpus, semper aliquam moliri excretionem, quâ & infici proximas vestes & odoris gratiam in pejus mutari contingit, quo alienius nihil ægrotantibus accidere potest. Qualis qualis autem tandem sit sudor, qui exudat, necessum est ut extraneæ alicujus qualitatis, quæ animales facultates offendat particeps sit, nam seu salsus, sive acidus, seu amarus, sive pallidus, sive ex pallido flavus sit, sive etiam virus quoddam oleat, concedendum est, tanquam excrementum à corpore rejici, atque ægrotantium nares eodem facillimè offendi. &c.

a) *l. 1. d. san. tuend.* b) *Bald. Ronf. epist. 36.*

LXII.

An cygnus cantet, inprimis tùm, cùm morti est vicinus.

Verecundarer in controversiam trahere id, quod crediderunt homines tot seculis, usque adeò, ut proverbio celebretur cygnea cantio, *Κύκνειον ᾆσμα (a)* quodque adeò magni autores affirmarunt. *(b)* In quo denique omnes Poëtæ consonant.

Carmina jam moriens canit exequialia Cygnus,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Sed interim sunt alii minimè negligendi autores, qui totum id, quod de Cygnorũ ante mortem cantione creditur, inter nænias & fabulas numerant. Primus Plinius, qui tamen aliàs sic audit, tanquam ad fabulas proclivior, disertè scribit: *(c)* Olorum morte narratur flebilis cantio, falsis ut arbitror, aliquot experimentis. Et Ælianus, qui hanc cum Plinio communem

for-

ſortem habet, quod à fabulis nonnunquam malè audiat, planè ſcribit: (*d*) ἐγὼ ἄδοντος κύκνου, οὐκ ἤκουσα ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλος. Cygnum non jam audivi canere, fortaſſis neque alius. Poſt veteres I. Bodinus Cygneæ cantioni penitus contradicit: Fama, inquit, (*e*) vetus eſt, olores morituros ſuaviter canere, id quod omnes non modo Poëtæ, ac pictores inde uſque ab Æſchilo, ſed etiam principes Philoſophorum teſtantur: illud tamen Plinius (*f*) primùm, deinde Athenæus (*g*) fabuloſum eſſe experientiâ diuturnâ tradiderunt, idque compertum habemus. Sed & acutiſſimus Scaliger Cardano dicam dicit, ob defenſam Cygneam cantionem. De Cygni, inquit (*h*) cantu ſuaviſſimo, quem cum mendaciorum parente Græcia, jactare auſus es, ad Luciani tribunal, apud quem aliquid novi dicas, ſtatuo.

Quid igitur facto opus? an capite cenſendi fuerint tot, tanti, tamque vetuſti autores? an communis hominum deferenda ſententia? equidem, ſi quid in hac cauſâ mea valeat ſentẽtia, judicarem componendam eſſe litem, ut dicamus, eos authores, qui de cygneâ cantione teſtantur, nec de omnibus promiſcuè cygnis loqui, nec id velle quaſi cantent in omni loco. Quam ſane conciliationem noſtram non eſſe alienam, ii ſpero fatebuntur, qui Ariſtotelis textum (*i*) nobiſcum conſideratiùs perpendent. Nam primò non de promiſcuo cygnorum vulgo loquitur, ſed de generoſioribus iis, nempe qui laceſſiti, pugnam ſic adeunt cum Aquila, ut victores evadant. οἱ κύκνοι inquit εὐβίοτοι καὶ εὐήθεις καὶ εὔτεκνοι καὶ εὔγηροι. En ſex requiſita cygnorum qui ante mortem cantant, quæ ſanè iſtis vulgàtis non per omnia poſſunt arrôgari. Poſt

&

& hoc indigitat philosoph⁹, non omni loco, nec semper canere cygnos, non captos, non cicuratos, non in hominum consortio invitè degentes, nam alioqui oscines etiam parvos aviculos à cantu cessare scimus, ubi sese captos inclusosque sentiunt, ut nostri vulgati, sed feros quodammodo & magis silvestres, ac liberos, suoque genio viventes ac volantes super vastissima maria; volant, inquit, in pelagus longius: jam quidam cum mari Africo navigarent, multos canentes voce flebili & mori nonnullos conspexerunt. En sensum, en observationem & experientiam. Ælianus dicebat, *(k)* cygnos canentes, nec se audivisse, nec forsan alios, sed Ælianus fortè ista loca non adiit ubi cygni cantant, nec eos consuluit, qui audiverunt: Dicit, nec alios audivisse, audiet ex Aristotele, fuisse multos, qui audiverunt: Bodinus dicit *(l)* compertũ esse, quod non canant cygni, sed huic opponimus Aristotelem, in quem tot auri myriadas impendit Alexander, & ad quem jussit accedere plurimos quosque ex Europâ, Asia & Africâ venatores, aucupes & alios animalium naturæ eximiè peritos: is inquam, palàm testatur, fuisse suo tempore, qui affirmarunt, sese audivisse, quâ in re non putarem, temerè aliquid scripsisse Aristotelem, qui libros istos suos, de Animal. Alexandro summo Monarchæ legendos dederat. Neque verò dicit Aristoteles, Cygnos nunquàm canere, nisi morti vicinos, sicut quidam vulgò credi & dici solet, sed disertè scribit, ᾠδικοὺς εἶναι, esse genus avium, quod canere soleat, etiam aliàs, cum sunt extra mortis periculum. Canere, inquit, soliti sunt, & præcipuè jam morituri. Item, etiam quidam cum in mari Africæ navigarent, multos cygnos canentes voce

ce flebili, & mori nonnullos conspexerunt: nonnullos inquit, quasi dicat, non omnes mortuos esse, qui canerent. Jam, si quis causam quærat.

Cur Cygni maximè cantillent ante mortem? respondérim, ita fieri quia naturæ is est extremus, ita & validus & operosus conatus, ut cor cygni & spiritus ac sanguis vehementius commoveatur. Ubi autem cor & spiritus concitantur validiùs, ibi & vocem necesse est contentiorem esse, id quod in hominibus licet animadvertere morti propinquis. *m)*

a) *Erasm. in adag. p. 196.* b. i) *Arist. l. 9. de hist. anim. c. 12. Plato in phad.* c. f) *l. 10. c. 23.* d. k) *l. 1. var. hist. cap. 14.* e. l) *in meth. hist. c. 14. Gogl. de vit. pror. p. 405.* g) *l. 9. c. 16. dipnosoph.* h) *de subtil. exerc. 232.* m) *Kecker. curs. phil. disp. 18. probl. 11.*

LXIII.

Phasianorum caro Magnatibus grata, rusticis non item, eorum ornamentum naturale.

Phasianos nemo dictos ignorat à Phaside Colchidos urbe, cui nomen à fluvio, qui de monte Garamante fluit. *(a)*

Argivâ primùm sum transportata carinâ,
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat. (b)

Quò arma Romanorum penetrare non potuerunt, eò luxuria perrupit. Cum stomacho notat id Manilius. *(c)*

--- in luxum jam ventri longius itur,
quam modò militia, Numidarum pascimur oris
Phasidos & damnis: arcessitur inde macellum
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.

Avis

Avis nobilissima, nunc Germanis quoque nota, Regum tantum & Magnatum mensas exornans atque opulentans. (*d*) Mares fæminis excellentiores, gustúque suaviores sunt. (*e*) Et sanè temperiem omnium qualitatum moderatione concinnam obtinent, minimùm excrementitii sunt: unde non tantùm palato præ cæteris sapiunt, sed etiam valetudini plurimùm conducunt. Nam facilè concoquuntur & concoctricem facultatem ac debilem ventriculum roborant, alimentum optimum nec paucum præstant. Hecticis & ex morbo convalescentibus vires restituunt, extenuatos & macilentos brevi spacio reficiunt. Denique nullâ noxâ infames sunt, nisi quod rusticos asthmaticos sive anhelosos reddere credantur: quorum bonum factum, ut eos nobilioribus & lautioribus relinquant. (*f*) De Phasianis ita Gyb. Longolius: Profectò nunquam ego credidissem, Naturam rerum parentem eam pulchritudinem excogitare potuisse. Neque mihi admiratione dignus posthac Solon est, quem de Græciæ Sapientibus maximum fuisse ad Regem Cræsum, in regali solio diademate & purpura auroque superbum, interrogantemque nunquid speciosius quidquam spectasset, dixisse ferunt, phasianos & pavones venustiores sibi videri: quoniam naturali ornamento decoratæ, non ascititio fuco spectabiles essent. (*g*)

a. f) *P. Castellan. de esu carn. libr. 4. cap. 10.* b) *Martial. lib. 13. epigr. 72.* c) *l. 5. Astron.* d) *Gogl. de vit. pror. pag. 384.* e) *Athen. l. 14. cap. 20.* g) *Gessn. lib. 3. de avib. p. 662.*

LXIV.

LXIV.

Ciconiarum admiranda natura, bonitas & præstantia.

Mirabilis omnino & solertis ingenii Ciconiæ sunt, sive injuria cavenda, sive gratitudinis aliquod edendum signum fuerit. Nam & hoc accidisse fertur. Cùm quidam Ciconiæ crus lapide confregisset, eaque in nidum, ut poterat, se reciperet, à mulieribus, quæ claudicantem viderant, restituta est, & cùm cæteris avolavit. Sequentis deinde anni vere, cùm ad eundem locum rediisset (agnoscebatur autem ex claudicationis signo) & mulieres conspectu sui, ceu quæ libenter apud ipsas diverteret, exhilarasset, mox è rostro oblongo egregiam & preciosam gemmam ad pedes mulierum evomuit, quod quidem illæ gratitudinis ergò fieri intellexerunt. (*a*)

Huic planè similis historia est, quam doctissimus vir Justinus Goblerus JCtus ad nos perscripsit his verbis: Præter pietatis erga parentes laudem, quam ciconiis & Natura & Historia ab antiquo tribuit, etiam reipsâ compertum est, hospitalitatis officium vicemque Ciconias agnoscere beneficio suo & compensare. Contigit enim non procul à patriâ meâ (Sancto Goarinum appellant) in civitate quondam Imperii libera Wesalia superiore, quod sæpè audivi avos & majores meos mihi commemorare, ut Ciconia nidum in cujusdam civis tecto haberet, in quo per multos annos ova ex more excluderet & pullos nutricaret. Tanto autem tempore eadem avis benigni hospitis clementiam experta, ut quæ à nemi-

ne domesticorum (pio patrefamilias ita cavente) infestaretur, quotannis suo tempore avolare & redire, eundemque nidum repetere solebat. Habuit autem in more præter cæteras sui generis aves hæc bestia sive hospitis frugi modestiâ & humanitate ducta, sive commoditate loci ædiumque, sive, (quod verisimilius est, natura ad hoc ipsum invitante, ut bis, nimirum sub veris & autumni tempus, pridiè ferè antequam avolaret, & postridiè cum rediret, circa limen ac porticum domûs hospitis sui volitaret, & stridenti rostro præsentem velut indicaret, semper lætabundo ac ceu applaudente gestu voceque à patrefamilias accepta ac rursus demissa. Hæc cum jam multis annis inter avem & hospitem consuetudo fuisset, tandem aliquando ex more sub autumnum avolatura ante ad porticum domus obstrepero impetu fertur, ac crepitanti rostro ceu hospiti valedictura insolentius aliquanto gestire visa est, cui benè precatus herus amico ore avem quasi alloquens, jubet ut salva & incolumis redeat. Sub verè igitur postmodũ reversa ex more hospitem in foribus ædium rostri crepitu salutat, ac mox ante pedes viri, radicem magnã recentis Zingiberis è gutture exerens tanquam gratulabunda collocat, rostro ut plurimùm obstrepero, in symbolum hospitalitatis. Admiratus hospes, peregrinum & informe quodammodo munus accipit, vicinisque videndum præbet, certò cognoscentibus gustando, veram ac viridem esse Zingiberis radicem. Et quandoquidem hactenus apud multos fuerit dubium & quodamodo incompertum, quonam è loco veniant, aut quò se referant Ciconiæ, vel ex hoc facto constabit, calidas eas terras & ultra-marinas, ubi Zingiber

ber hodiè nasci dicitur, cum à nobis avolant, petere. (b)

a) *Oppiani paraphr. in Ixent.* b) *Geßner: l. 3. de avib. p. 256.*

LXV.

Ficedulæ quibus usui, quibus non.

Ficedulæ (Rotvogel / Münchlein / (a) Frischlino Goldfinck (b) Gesnero) calidæ sunt atque humidæ, primo gradu, præsertim obesæ, gratissimi saporis, atque inprimis delicati. Celeriter atque optimè nutriunt, appetitum excitant, ventriculum roborant, nec eum unquam gravant, quamvis magnâ copiâ, etiam centenæ comedantur: cor recreant, animum exhilarant, ac totum diem jucundus perager, qui magno numero Ficedulas esitarit. Sanguis enim ex iis sincerus ac defæcatus & spiritus puri ac clari generātur. Febricitantibus tamen minimè conveniunt: ut neque rusticis, quibus tabem conciliant, ut Itali prædicant, qui illa nobilium duntaxat mensarum fercula oportere esse contendunt. (c)

b) *l. 3. de avib. p. 370.* c) *Gellius l. 15. c. 8. Castellan. l. 4. de usu carn. c. 16.*

LXVI.

Pavonum caro non putrescit, mirum.

Quis nisi Deus Creator omnium dedit carni pavonis mortui, ne putresceret? quod cùm auditu incredibile videretur, evenit, ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc avis. De cujus pectore pulparum quantum visum est decerptum, servare jussimus. Quod post dierum tantum spacium, quantô alia caro quæcunque cocta putresceret, prolatum atque obla-

tum, nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies amplius quã triginta, idem quod erat inventũ est; Idemq; post annũ, nisi quòd aliquantùm corpulentiæ siccioris & contractioris fuerit.*(a)* Eadẽ confirmat Ulysses Aldrovandus, diligentissimus harum rerum indagator, qui narrat, ab Antonio Gigante, Poëta, frustum carnis pavoninæ, sibi donatum Anno 1598. quæ cocta fuerat, Anno 1592. atque adeò sex annos incorrupta permanserat. Verùm, multis atque exiguis foraminibus instar cribri pervia erat, ex quibus, si leviter quateretur, pulvis excidebat, qualis resolvitur ex arboribus cariosis: qui putredinis quidem soboles dici potuisset, nisi sapore salsus fuisset & amarus, atq; odoris gratiam retinuisset, qui proximè ad fœniculum accedebat.*(b)*

a) *Augustin. de civit. Dei l. 21. c. 4. & 7.* b) *Castell. l. c. c. 9. Gessn. l. c. p. 656.*

LXVII.

Avium, ut Psittaci, corvi, picæ, garrulitas mira & qualis.

Aves plus quam vocem emittunt, nam etiam loqui dicuntur & verè: hoc autem cum hominibus commune habent, quorum verè sermo proprius est: loquuntur Psittaci, corvi, pici, varii, picæ. Picarum certè genus loquacissimum est: pica à nobis educata, avolavit tandem, atque reliquæ ad ejus imitationem verba referebant. Apud Sigismundum Principem in Croatia Picam, quæ loquacitate suâ omnes obtunderet, vidimus, & quod rarum est, ea tota alba erat, cui cum Valentinus, Patruelis meus, laridi frustulum obtulisset, concidit Pica. Quo casu motus

Bene-

Benedictus Pater, mihi tanquam ejus rei Autori plagas minatus est, tandem opera Isaaci Judæi, qui in nostrâ erat clientelâ, vino & succo herbarum quarundam in os injectis pristinæ sanitati restituta, probè omnium nostrûm nomina enunciabat.

Benedicto Patri ab Equite datus Corvus, ita probè omnia proferebat, ut hominem loqui credes. Is postea Ostronizâ patruo missus, brevi tempore Hungaricum personabat, ut omnes in admirationē traheret. *Scalig. in comment. in Arist. lib. 4. Histor. de animal. text. 277.*

LXVIII.

Luscinia Etymon, avium quoad cantum præstantissima.

Luscinia Græcis ἀηδὼν dicitur, ut Grammaticis placet, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ᾄδειν, quòd sine intermissione ferè, cum cœpit, canat. *(a)* Dedit hæc Augurium Stesichori Poëtæ, carminis suavitate, in cujus infantis ore cecinit. De qua legens Plinium, ita lætaberis, ut non Plinium, sed Lusciniam ipsam in Lusciniæ descriptione te audire existimes. *(b)* Ita autem scribit: Dignissima Luscinia miratu avis, cujus in tàm parvo corpusculo tanta vox tamque pertinax tàm parvulis in faucibus spiritus, ut in unâ perfectâ Musicæ scientiâ modulatus edatur sonus; qui nunc continuò spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato; interdum & secum ipse murmurat, plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi visum, vibrans, summus, medius, imus: breviterque omnia tàm parvu-

lis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, ut non sit dubium, hanc suavitatem præmonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palamque animosa contentio est. Victa sæpè mortem vitâ finit, spiritu prius deficiente quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ, & reddit vicibus cantum. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Ergò servorum illis precia sunt & quidem ampliora, quàm quibus armigeri olim parabantur. Scio candidam sestertiis sex (150. coronatis) alioquin, quod est propè inusitatum, veniisse, quæ Agrippinæ Claudii Cæsaris conjugi dono daretur. (c) Memorabile quoque est & admirabile, de Lusciniis duabus hominum sermones imitatis, Ratisbonæ in Comitiis Anno 1546. de quibus vir quidam doctus & fide dignus ad Gessnerum ita scripsit: Ego profectò nunquam Plinio nostro credidissem, multa adeò miranda de avicula hac scribenti, nisi ipse has bestiolas talia promentes & oculis vidissem & auribus hisce audivissem. (d) Placet huc reponere, in gratiam lectoris Carmen T. Vespasiani Strozæ in Philomelam: (e)

Æmula divini suavissima carminis ales,
quæ virides umbras & loca sacra tenes.
Mollibus & variis quæ tot discrimina vocum
flexibus, humanâ dulcius arte refers,
Munere pro tali, tibi quid Philomela rependam?
præmia quæ tanto digna labore putem?

Dum vagus huc illuc hortis genialibus erro,
miror & artifici culta vireta manu.
Hospitis officio tu protinus usa benigni.
fingis in adventu carmina mille meo.
Nec procul hinc densis canis abdita frondibus, alta
Ilicis in ramo, populeisq́; comis.
Verùm hîc juniperi insides mihi proxima trunco,
Non immutabilibus me venerata modis.
Et licet hac prastem tibi tàm vicinus in umbrâ
deq́; tuâ suavi garrulitate loquar;
Nil tamen ipsa times, nec gutturis ista canori
Sedulitas ideo dulce remittit opus,
Grata sed in longum luso resonante querelâ
ducitur argutis continuata modis.
Nos verò tali quoniam dignaris honore,
dicimus in laudes hac tibi pauca tuas,
Humanas avium qua mulcent cantibus aures,
cedere carminibus carmina cuncta tuis.
Vive diu, similisq́; tui generata propago,
finiat extremum non nisi sera diem.

De Luſciniâ quoque Autor philomelæ ſic canit, quod carmen, etſi omninò negligendum non ſit, Ovidium tamen non refert. (*f*)

Scribere me voces avium Philomela coegit,
qua cantu cunctas exuperat volucres.
Dulcis amica veni, noctis solatia praestans,
Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu Philomela potes rerum discrimina mille,
mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamvis alia volucres modulamine tentent.
nulla potest modulis aquivalere tuis.

Insuper est avium spatiis garrire diurnis.
tu cantare simul nocte dieq; potes.

a. d) *Geßn. l. 3. de avib. p. 369. 371.* b. f) *Erythræus in indic. Virg. p. 205. b.* c) *l. 10. c. 28.* e) *l. 6. erotic.*

LXIX.

Pici ad arbores à vermiculis perpurgandas nati.

Pici, quòd arbores rostro feriunt; à Græcis δρυοκολάπται dicuntur: feriunt autem ut vermiculos, cossos, formicas ac similes arborum pestes, inter corticem & alburnum latentes rostri resonantis validissimis ictibus exire cogant, aut molliori cortice rupto detrahant: omnes etiam in cavis arborum nidificãt. Etenim genus illud avium ad arbores perpurgandas natum videtur.

Bodin. l. 3. theat. p. 367.

LXX.

Vitulus, Anser & Apes etiam post mortem, totius orbis Imperatores.

Res profectò mirifica & ostento similis, Vitulum, Anserem, Apim, animalia & quidem mortua toti orbi imperare. Vitulus etenim membranam; Anser, calamos, quibus ista conscribitur; Apis ceram præbet ad obsignandum literas. His tribus fas nefas, divina humana gerunt, ac geruntur omnia atque consistunt. Quæ cum ita sint, non mirabor posthac Ranam Mecænatis omnibus in Hetruria formidabilem fuisse, habuit autem istam Ranam in annulo signatorio sculptam: neque mirabor Sphingem Augusti, ensiferum Leonem Pompei; & Seleuci anchoram

omni-

omnibus Romanis formidabilem fuiſſe, id eſt, ipſos timuiſſe litteras his animalium ſignis obſignatas.

Plin. l.37.c.1. Haidfeld. ſphing. phil. c.9.

LXXI.

Hirundinum eſus, hyberna, paſtus.

Cum Hirundines hominum alimentis omninò inutiles ſint, nec cibum hyeme reperire, nec avium rapacium cibo inſervire poſſunt, (omnes etenim incredibili celeritate prætervolant) poſt æſtatis ac muſcarum interitum (ſine his enim vivere *(a)* non poſſunt) officio, quod illis à Conditore præſcriptum erat, perfunctæ, ne poſt Æquinoctium autumnale, ſpirantibus Coris, qui Sole Scorpionem ſubeunte flare incipiunt, ab imbribus frigidis intereant (id enim certiſſimâ experientiâ cognitum eſt, nec ulla vivens reperta) ad oras maritimas gregatim feruntur, ac totos ſex menſes, ſub altiſſimis rupibus ac promontoriis, mari imminentibus deliteſcunt, mutuis complexibus & ſaxis cohærentes, quoad Æquinoctio verno Aviarii venti flare cœperint, ut patriam quæque ſuam ac domos avitas repetant. Maris etenim Baltici Aquilonaris alſioſi piſcatores & accolæ, qui cum ſuccinum ſub rupibus legerent, Hirundinum cumulos deprehenderunt. *(b)* An ea loca ab æſtu maris tepeſcunt tempeſtatibus maris, aſſiduè ventis agitati, nunc Africis, nunc Auſtralibus, non rarò incaleſcentia? An antra, hybernantiumq; hybernacula calent, exteriori frigore calorem undiquaque intro ad terræ intima pellente? *(c)* Fuêre, nonnulli, qui renuntiârunt, Hirundines fundum ipſum maris petere atque illic obdormire: ſed per naturam fieri nullo mo-

lo modo poteſt, cum Hirundini pulmones inſint, & aquis immerſæ omninò pereant: quin etiam Glires ſopore ſepulti, ſi in aquam mergantur, repentè exiliunt. Non defuerunt etiam, qui Hirundines omnes in mari perire arbitrarentur, & ex earum cadaveribus in littus ejectis alias renaſci: quod quia quotañis accideret, latere poſſet neminem: prætereà quî fieri poſſet, ut majorum domos ac nidos tot peragratis regionibus repeterent, ſi in littoribus naſcerentur? aut cur ovis excluſis genus propagarent? (*d*)

a) *Scalig. exerc. 250. part. 3.* b. d) *Bodin. l. 3. th. natur. p. 364. 365.* c) *Ruland. l. 2. probl. 244.*

LXXII.

Hirundo Epilepſiæ reſiſtit; nunquam manſueſcit.

Hirundinis caro vi; quadam occultâ Epilepſiæ reſiſtit. (*a*) cibo aliàs nec utilis, necunquam capta mitescit, ſed indomitâ feritate fame perit, priuſquam cibari ſe patiatur, tametſi hominum ſocietate mirificè delectatur. (*b*)

a) *Foreſt. l. 10. obſ. 61.* b) *Scalig. com. in text. 19. Ariſt. l. 1. hiſt. de anim. Bodin. l. 3. p. 366.*

LXXIII.

Hirundo cur omnium proximè & longiſſimè à terris ſubvolet.

Proximè quidem à terris ſubvolat, ut muſcas impellens venari poſſit, neque enim aliter paſcitur quàm volando: altiſſimè verò ac interdum ad nubes uſque evehitur, non modo ad oblectationem, ſed ad refrigerationem, in æſtatis ardoribus ab aëre terreſtri & calente ad mediam aëris regionem frigentem ſe recipit: atque etiam ut pullos ad volatum aſſuefaciat.

ciat: nam ut in altis Oceani gurgitibus facilius natatur quam in littore, sic in aëre medio, denso, nubiloso, altissimo, facilius quàm in infimâ regione volatur.

Bodin. l. c. p. 364. Ruland. l. c. probl. 242.

LXXIV.

Prandiolum Erasmianum.

Erasmus à Fausto Andrelino per ministrum conviva accersitus: accedam, inquit, hac conditione, si nullos herus tuus præter formicas ac muscas sumptus fecerit. Puer hero suo Erasmum venturum renunciat, sed ut præter formicas ac muscas nihil apponat. Hic Faustus lepidi & festivi ingenii facetiam subodoratus, pro formicis Cuniculos, pro muscis minutas volucres apparari jussit.

Forest. l. 10. observ. 104.

LXXV.

Quî sibi adversum tempestatem consulant Pisces.

Marini Pisces plurimi, ubi primùm imminentem tempestatem sentiunt, saburrant sese, ne temerè ad tempestatis arbitrium hûc illuc jactentur. Alii rupium cavernis ad exactam usque maris sævitiam se abdunt.

LXXVI.

Piscis averso flumine nat; Grus averso vento volat; Cervus adverso flatu fertur; cur.

Pisces adverso flumine adnant, eâ de causâ & industriâ, ne scilicet undarum, fluctuumque impetu squa-

ſquamas ſibi ſublatas dejiciat, ac branchias aqua impleat, unde nandi difficultas major & reſpirationis interceptio. Quo eodem conſilio Grues volant adverſus ventos, quos alioqui ſi ſecundos haberent, disjectis diſperſisq; pennis volandi impotentes redderentur. *(a)* Sed Cervus quare adverſo & non ſecundo fertur flatu? an quia ventorum refrigerio delectatur? an ut ſui odorem veſtigiaq; feris atque canibus ſagaciſſimis eripiat. *(b)*

a) *Paræus de hom. & animal. præſtant. p. 44.* b) *Ruland. l. 2. probl. 236.*

LXXVII.

Quòd piſces reſpirent, caſu inventum.

Quòd piſces aërem inſpirent, nos hyeme quodam præterito, experimento quodam, caſu didicimus. Cum enim ſtagni quidam ex diuturno frigore ſummoque, craſſiſſimâ glacie obducti diu permanſiſſent, liquata glacie piſces omnes præſertim majores mortui deprehenſi ſunt: etſi enim piſces, utpote, qui maximè frigidi, & exangues ſint, per determinatum tempus paucâ aëris inſpiratione indigentes, ſub glacie denſiſſimâ præſertim fluente, degere poſſint, præcipueque minores, nihilominus per longùm tempus, in aquâ ſtagnante haud vivere poſſunt, ſed ſuffocati intereunt. Ex prohibitâ autem aëris inſpiratione, & non ex frigore excedente, præmemoratos piſces peremptos eſſe, rei eventus indicavit. Cum enim Mantuana tellus, ob varias Padi inundationes, pluribus ſtagnis diverſis in locis abundet, ex quorum nonnullis, non modicos piſcium proventus Domini percipiunt, Piſcatores quidam labori minimè par-

cen-

centes, primis diebus de frangenda glacie cogitarunt, atque rem securibus, ferreisque aliis instrumentis aggressi, plura foramina diversis in locis aperuerunt, mirum certè dictu, vidisses maximas piscium turmas accurrentium, maximo cum strepitu, eò statim confluere, qui aëris desiderio tracti ora extra aquam extollebant, illi ita inhiantes, ut nullo ferè cum negocio, maximam eorum copiam piscatores caperent.

Marcell. de med. histor. mir. l. 2. c. 6.

LXXVIII.

Pisces in Aere vivere (diu) nequeunt.

Quare pedestria in Aqua, pisces in aëre vivere nequeunt? an quia similia similibus conservantur, contraria contrariis corrumpuntur? requirunt igitur animantia Elementum, in quo vivant & conserventur, suæ naturæ simile. Pedestrium autem humidum, in quo vita consistit, temperamento est aëreum magis, piscium magis aqueum. Aër pedestrium; aqua piscium temperamento similis est. Aër nostro, aqua piscium calori & spiritui cognata est: pedestrium enim spiritus sunt aërei & tenues, piscium sunt aquei & crassi. Non immerito igitur Natura illis Aerem, his Aquam habitandam dedit. *(a)* Pisces autem aqua extractos, in aëreque positos nihilominus respirare videmus; quod si verò diutiùs non vivunt, quod extra proprium locum sint, in ambiente, illis minimè proportione respondente, est causa. *(b)*

a) *Ruland. l. 1. probl. 281.* b) *Marcell. l. c.*

LXXIX.

LXXIX.

Muscarum in animalibus quibusdam, flagellum.

Panniculi carnosi in collo interventu, Bruta muscas abigunt. Sic Elephantem cutis coruscatione, muscas interficere asserunt. Sic Equi ex hujus motu, Equitem minus exercitatum, dejiciunt.

Bauhin. l. 1. theat. anat. c. 5.

LXXX.

Cauta cerva, sed minus quam Cervus aut Lepus.

Cauta Cerva, quæ secundum semitam parit, quam scit à feris devitari, propter hominum frequentationem; ne illam fatuissimam, quæ si id scit, hoc quoque non nôrit, homine tetriorem belluam nullam esse. Quare mirum, Cervam feras vitare, & hominis vestigia non perhorrescere; jamque visas in venatum ajunt urgentibus canibus, ultrò ad hominem confugere, quasi salutem aut veniam petens.

Cautus Cervus, qui ubi pinguedine distentus est, latet, ineptus enim ad fugam: cautus qui amissis cornibus non comparet, inutilis factus ad defensionem, & conscius amissi præsidii.

Cautus Lepus, qui decurso spacio, retrospicit, lassus clunib. solis demissis considit, ut capite erecto hostem speculetur, idem sentes, sarmentaque prope semitam porrecta, prærodit, eousque, quoad iter cursuro laxius fiat, sublato impedimento.

Scalig. in com. in text. 23. Arist. l. 1. hist. de animal. & text. 130. l. 2.

LXXXI.

Flante Zephyro, cur canes aberrare contingit.

Flantibus Zephyris, id eſt ventis è directo occidentalibus, difficilem & minus ſecundam venationem habent venatores, & canes à feris frequenter aberrant, propterea, quod hi venti, ſuâ tum humiditate, tum etiam continuo & terris admodum vicino flatu aërem ita denſant & confundunt, ut ferarum odorem, quo penè ſolo ad inſequendum ducuntur canes, nec ſatis idoneè in ſe recipiant, nec etiam diu integrum ſervant.

Ariſtot. probl. ſect. 26. q. 24. Ruland. l. 2. probl. l. 193. Keckerm. curſ. phil. diſp. 7. coroll. 8.

LXXXII.

Bufonius lapis, ex Rubetâ à formicis devorata, veneni antidotum.

Rubetas ſenio ac veneno, quod à terris undique contraxerunt, graves ac pingues, formicarum exercitus avidiſſime ſugit, nec quicquam reliquum facit præter oſſa, & Bufonium lapidem, cujus etiam ea vis eſt, ut omne virus eluat ac curet, ita fit, ut animal illud quod omnium impuriſſimum judicamus, (ejus etenim caro exitialis eſt, & ſolo halitu necare poteſt) non modo vivens ab ipſis terris venenum auferat: verum etiam moriens veneni Amuletum nobis relinquat, & jucundiſſimum formicis præbeat alimentum.

Bodin. l. 3. th. nat. p. 312. & 338. vide centur. 4. mem. part. 31.

LXXXIII.

Seres vermiculi unde nutriantur, & eorum miranda metamorphoſis.

Ver-

Vermiculi, qui σῆρες Græcis, Latinis Bombyces, ac Seres nominantur, Moti foliis quadraginta ferè diebus à Vergiliarum exortu, usque ad Solstitium pasti, sericeum vellus, quo turget uterus, pedibus explicantes conficiunt: nulla enim in re aliâ Natura sagacior deprehenditur, nec ars aliquid ab iis accepisse videbitur, in quo ingeniosius laboraverit, si tam multas, dum id vellus perficitur, naturæ mutationes & artis, dum ad vitæ usum disponitur, labores æstimemus. Appetente siquidem vere, ova, piscium ovis haud dissimilia linteolo, chartæve adhærescētia, quæ proximo autumno produxerunt, radiis Solis exponuntur, aut calido in loco, hypocausto nimirum, servantur. Quo fit, ut vermiculi excludantur exigui, qui mox mori foliis nutriuntur, quoad grandiores facti fuerint; tum, statim penulæ cuique chartaceæ, vel potius involucra conficiuntur, quibus inclusi, mirabili naturæ opere lanitioni sese involvunt, ac congesto glomeri se condentes, postquam suum nendi obierunt munus, emoriuntur, adeò ut semestris tantum illis apud nos vita sit. Mortuis testacea subinde tunica inducitur, quâ aliquot diebus obducti, reviviscunt, ac ascitis sibi alis in volucres papiliones degenerant, qui assiduè invicem insidentes, coëuntesque, tandem relictis ovis, milii formâ & colore, quibus rediviva proles sequente anno renascitur, iterum moriuntur, atque adeò, cùm nullius præterea sint usus, abjiciuntur. Ova autem ad veris usque initia servantur. Hanc mirificam metamorphosin non rarò summâ cum admiratione ac delectatione sum admiratus.

Fuchs. plant. histor. c. 199. vide Libav. l. 2. singul. p. 366.

&

& seqq. Scalig. comment. in text. 217. l. 5. Arist. hist. de anim.

LXXXIV.

Ignis in Silice unde.

Ignis qui è silice elicitur, generatur attritu, & potentiâ tantum inest in silice, ut rectè Poëta dixerit:

—— semina flammæ
abstrusa in venis silicis ——

è silice autem excussus ignis deorsum fertur, tum quia particulis silicis, quæ deorsum tendunt, inhæret, tum verò quia ad suum pabulum, fomitem videlicet, per naturam rapitur, ut flamma lychni superioris ad linum fumigans lychni inferiori loco constituti. (*b*)

a) *Virgil. l. 6. Æneid.* b) *Keckerm. disp. 4. curs. phil. coroll. 2. & 6.*

LXXXV.

Sub lunâ dormientes cur capitis gravitatem incurrunt; & cur vites noctu potissimum augeantur, lilia & rosa dehiscant.

Quare vigilantes in lumine Lunæ etiam diu immorantes nihil prorsus offenduntur, in ipso dormientes verò, gravedine capitis catarrhisque tentantur? An Luna dormientium capita vaporibus onusta, humentia, irradiatione madente & tepente plethoricis causis replet? an vigilantium capita calent sicciora, ideoque minus disposita ad recipiendos ictus Lunares? an radiis Lunaribus, cerebri dormientium humiditates liquantur, cienturque, quæ in capite coërcitæ calido nativo, minus ad extra actuoso, catarrhos progenerant; vigilantium calore dissipabi-

 les?

les? an ut τῇ ἀρδεῖᾳ aquæ è sublimi cadentis, super aliquam corporis partem, locus obstruitur potius, quam rarefit: ita radios lunares ex humiditate ponderosos, ictûs instar ferri in caput dormientium ante obstructum contingit, gravitate inductâ, ob transpirationem prohibitam vigilantibus vegetam? (a) Iis autem præsertim, qui aperto ad Lunæ lumen capite dormiunt, capitis dolores & morbos ciet, propterea quia Luna cum suo lumine humores in corpore & capite, tum auget, tum ciet, & commovet: commotos deinde ac augescentes, ob luminis & caloris imbecillitatem absumere nequit. Quæ causa etiam est, cur flores & herbæ, inprimis autem vites, interdiu quidem alantur attracto humore, noctu autem potissimum augeantur & crescant; & quod lilia ac rosæ, noctu tantum dehiscant, & calices suos aperiant. (b)

a) *Ruland. l. 2. probl. 292.* b) *Kecker. l. c. disput. 3. coroll. 11.*

LXXXVI.

Semen potius, quàm truncati trunci natura degenerat.

Ex seminibus nec Ficus, nec Pyrus, nec Vitis, nec olea provenit, sed caprificus, pyraster, Vitis sylvestris, oleaster: quod fieri videtur non aliâ de causa, quàm quod truncus majorem vim habet, quàm semen, & ab arboris specie propius abest, nec tanta mutatio est à trunco ad arborem, quanta est à semine.

Bodin. th. nat. l. 3. p. 276.

LXXXVII.

Plantæ extra solum viventia.

Cœpe & Allium post multos menses è terrâ separata,

ta, sine ullo terræ alimento germinant, non modo nutriuntur, quia humorem multum crassumque habent, qui marcori & siccitati plurimùm resistat, caloremque insitum, nullius humoris de novo asciti ope foveat. Sic Semper-vivum nuncupata herba, ac faba inversa, aliæque hujus generis, quia viscidum & copiosum in foliis crassissimis succum habent, è terrâ evulsæ & suspensæ diutissimè vivunt.

Marcell. l. 4. de hist. med. mir. c. 12.

LXXXVIII.

Semina minora cur feraciora.

Cur semina sunt feraciora, quò minora? an quia minora citiùs conficiuntur, quam majora, proptereaque milium, erysimum, papaver fertilissima? an vis omnis angustiore loco coacta efficacior, feraciorque, virtute unitâ aliàs validiore diffusâ existente.

Theophr. l. 2. c. 7. de caus. plant.

LXXXIX.

Arbores quædam semper virent.

Cur ultra citraque tropicos quædam arborum genera virent semper, cætera temporibus hybernis intermoriuntur? an ea virent vegetantia, quæ insito calore foventur adeò valido, ut occursanti frigori satis reluctari queat integer? an quia insitum habent pinguedinis liquorem, quo folia tenacius hærent, & sulphure nativo undiquaque perfusum, ut perennare per hyemem incolumia possint, sua frigiditate in cassum illa ferientem, sed potius oleum igni τῇ ἀντιπεριστάσει addentem?

Ruland. l. 2. problem. 152. Bodin. l. 5. p. 277.

XC.

Plantarum partes vivunt etiam à reliquo corpore avulsæ, aut amputatæ.

Quia medulla, quæ plantis pro corde omnibus partibus insita est: idcirco vim animæ habent in omni parte præsidem & caloris vitalis fontem ubiq; scaturientem; humidum insuper lentum, nec facilè dissipandum, ut ejusmodi influentiâ à certâ corporis sede, nempe corde, plantæ non egeant, ut animalia: hinc nimirum pars rami, quæ terræ infoditur, tantum in se conservat vitæ, tantum caloris & humoris, quantum sufficit, ut attracto ex terrâ succo, possit intumescere & spiritum concipere, & partes humoris graviores deorsum distribuere, unde radix efformetur nova, leviores verò sursum spargere, unde novus generetur truncus. Et sicut stirpes ex terrâ tanquam utero, ita insiti surculi, ex eo, cui inseruntur trunco, vi animæ & caloris, quem ex suâ retentum nativâ plantâ servant, succum alimentarium attrahunt, ut continuâ vegetatione earum partium, quæ desunt, fiat generatio. Hinc nimirum fit, ut plantæ sylvestres per insitionem mansuescant, quia puriori & sinceriori fruuntur alimento, & hinc adeò mira fructuum varietas, usque adeò, ut unâ in arbore, diversi fructus, non tantum colore, sapore & odore, sed etiam specie queant educari.

Keckerm. l. c. disp. 13. probl. 13.

XCI.

Ex fungifero lapide, fungi.

Jucundum est, quod de fungifero lapide, vir & stupen-

ſtupendi ingenii, & laboris maximi, GESSNERUS, (ad quem ex toto penè orbe confluxit, quicquid ubique eſt τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων) refert, quod terra dodrante opertus aſperſusque tepidâ irroratione quarto poſt die fungos edat. Neceſſe certè eſt ſeminarium quoddam intus exiſtere, virtutem ex ſuo ſinu promere, aquâ aſperſâ tùm materiam & nutrimentum afferente, tùm προκαταρκτικὴν quandam.

Libav. l. 2. epiſt. chym. 30. vide centur. 3. part. 96.

XCII.

Anatomia interna ligni buxei, ejuſque natura & facultas.

In ligno buxeo vis quædam narcotica, & ſoporiferum ſulphur abundè continetur, unde fætorem contrahit, quemadmodum cicuta, ruta, mandragora, omniaque papaverum genera, quæ ingratum odorem exſpirant, quòd narcotica ſint, hoc eſt, narcotico ſulphure nimium tincta & infecta. Adde etiam, in perpetuo virore ligni buxei, & ejus in ſaxoſis ac montanis locis delectatione, ac origine, ubique partium illius vitriolatâ planè naturam internæ ejus ſignaturæ eluceſcere. Ex ejus etiam raſurâ exſtillatur aqua, & major acidi liquoris irritantis ac pungentis, ſolventisque, ſpiritus vitriolati inſtar, quàm alius humoris, copia extrahitur. Quemadmodum etiam vitriolum alia omnia mineralia narcotico ſulphure ſuperat: ſic ſimplex hoc naturæ illius prorſus fit particeps, eamque induit, ſpiritus ejus ex locis montanis & petroſis, ubi libenter naſcitur, ereſcit & luxuriat, exugendo, atque hinc fœtidiſſimum ſulphur contrahendo, vi ignis in oleum putore gra-

vissimum extorquetur. Cujus narcoticæ virtutis magnum est argumentum, quod eâ quilibet, vel gravissimus dentium dolor, omnes alios dolores superans, uno momẽto sedetur, si dentiscalpium oleo ejus intinctum, in radicem dolentis immittatur, quæ vix eo attingitur, cum statim miraculi & incantationis instar dolor prorsus avolat & opprimitur. Præstantissimum igitur est, inter omnia simplicia, mitigativum auxilium, necnon adversus omnem virulentiam & verminationem, ut ita loquar, quæ ut plurimum Epilepsiatum causas inducunt, præsentissima antidotus: quale inter Mineralia narcoticum vitrioli sulphur habetur, primamque sedem occupat in curatione Epilepsiæ. Tantæ quoque virtutis oleum ligni buxei reipsâ esse experti sumus, ut omnis generis dolores edomet, corruptiones & putrefactiones corrigat, vermes enecet & expellat, malignosque vapores, ex quibus symptomaticæ Epilepsiæ procreantur, quæ facilè tandem in Idiopathicas transeunt, arceat & absumat.

Quercet. in tetrad. c. 16.

XCIII.

Aqua pluvialis cur ad satorum incrementum salubrior.

Aqua pluvialis plus confert incremento frugum & fructuum, quàm alia quævis, quia magis est à Sole cocta, atque idcirco calidior, dulcior, tenuior; quæ causa est, cur ejusdem salubritas à Medicis commendetur, si præsertim æstiva sit, & per cisternarum meatus veluti percolata.

Ruland. l. 2. probl. 197. Kecker. l. c. disp. 7. coroll. 21.

XCIV.

XCIV.

Lapis Calaminaris oculis dicatus.

Singulare remedium est, & à multis expertum ad oculos inflammatos, vel lachrymantes & lippientes, lapis Calaminaris in pollinem redactus, & albumine duriter cocto, exiguo hujus pulveris immixto, deinde hujus humoris expressa gutta una atque altera, oculo instillata.

Forest. l. 11. schol. ad obs. 10.

XCV.

Culex in oculum incidens, quomodo profligandus.

Famulæ meæ cum culex oculum intrasset, alterum oculum confricabam. Hoc enim modo, si in oculum culex, aut alia quævis bestia inciderit, spontè tædium illud exsilit. *(a)* At, cum hoc modo nondum exiret, leviter palpebra sursum tracta, cum linteo molliori eximebam. Ad idem valet, ut in me ipso expertus sum, ut una narium parte occlusa, digito oppressa, per alteram vehementior fiat exsufflatio vel anhelitus contineatur, ut lachrymæ prosiliant, aut facta sternutatione (si leve est, quod oculum intraverit) facilè exsilire solet. *(b)*

a) *Alex. Veron. l. 2. c. 24.* b) *Forest. l. 11. obs. 16.*

XCVI.

Opio, cassidi certantis Equitis illito, eques extinctus.

Nelphus cum in certamine equestri Patavii victor extitisset, depositâ galeâ, ut respiraret, ab invidis, quod plebejus esset, copioso illito intus opio extin-

ctus eſt. Nam calor galeæ, tum ſpiritus hauſerant, quicquid halitus pernicioſi intra caſſidem continebatur. Calore autem venarum oſcula omnia patebant, unde ſtatim receptus intra penetralia, hominem ſtrangulavit.

Cardan. de ſubtil. l. 18.

XCVII.

Malorum Citriorum dignitas.

Citria ſeu Medica mala cum limonibus magnam habent affinitatem. Omnia pariter grata palato. Ex interiori ſubſtantia, ſuccus acidiſſimus extrahitur, cujus vis eſt incidere & attenuare craſſos & viſcoſos humores, diſſolvere & comminuere arenulas & calculum. Eadem enim ejus operatio intra corpus humanum, quàm extra, in diſſolvendis gemmis, unionibus & corallis, quævis aliunde non dependet, quàm à vitrioli natura. Quid hâc philoſophiâ jucundius? quid præſtantius? in eâ enim qui profundius verſatus, ab occultis illis proprietatib⁹, ad quas tanquã ad aſinorum pontem, multi confugiunt, facilè excuſatur. Communis eſt Medicorum opinio, frigidos eſſe iſtiusmodi liquores: frigidi autem eſt condenſare & conſtringere. Sed quis non videt, illos contrariâ prorſus operatione incidere, attenuare & diſſolvere, quod non frigoris, ſed caloris propriè officium eſſe aliàs creditur. Succus præterea appetitum ſtimulat, ardorem bilis attemperat, ardentes & peſtilentes febres curat, cum ol. amigd. dulci, ad dolores nephriticos ſedandos plurimum conducit: ad unciam unam vel duas cum vino albo, vel raphani decocto, hauſtus calculum atterit & expellit. Aqua ex eodem ſucco deſtil-

la-

lata, cor aliasque corporis partes corroborat. (*a*) Scribit Athenæus (*b*) mira vi resistere venenis Malum Citrium, ac eleganti historiâ fidem fecit. Cum Princeps quidam Ægyptius, maleficos duos condemnasset, eosque aspidibus in prædam exponendos dixisset; ii fortè Citrium in itinere comederunt, quod caupona quædam illis objecerat. Mox dum in theatrum descendissent, ac à ferocissimis feris demorsi essent, nihil noxæ senserunt. Præfectus à satellitibus cunctari cœpit, num Antidotum præsumpsissent; respondentibus Citrium: postridiè jussit uni præberi, alteri verò denegari. Quo facto, iterum demorsi: qui comederat nihil injuriæ sensit; alter læsus, undique livore deformatus confestim interiit. (*c*)

a) *Quere. diat. poli. sect. 2. c. 3. Camer. in horto.* b) *l. 3. dipnos.* c) *Heurn. l. 1. M. M. p. 128. a. Goglen. de prer. vit. p. 320. Matthiol. l. 1. herb. c. 75.*

XCVIII.

Miles Gallus cum equo ab apibus occisus.

Narravit mihi Pater bello Carolino, tyrunculus Gallus cum mel surripuisset, injuriâ affectis apibus, atque aversis alveariis, ubi vespere equum conscendisset, potum vehens, eum atque equum, ab apibus interfectum.

Scal. in comment. ad text. 373. libr. 9. Arist. hist. de anim.

XCIX.

Nux Muscata dysenteriæ dicata.

Inter simplicia, quæ alvum in dysenteria constringunt, non infimum locum obtinet Nux muscata, quandoquidem diversas facultates, omnes in hoc affectu

fectu necessarias, in se continet. Terrestri enim substantiâ adstringit, roborat, ulcera exsiccat, cicatricem inducit. Oleosâ substantiâ dolores lenit, intestina oblinit, ne ab humorum acrimonia lædantur. Aromaticâ verò qualitate, quę in aëreo spiritu consistit, ad partes omnes nobiles penetrat, epar & ventriculum ac ejus orificium roborat, flatus discutit, visum acuit. Ubi ob febrilem calorem aliquid mali ab ejus caliditate metuitur, stupis cannabinis involuta sub cineribus calidis leniter torrenda, vel potius assanda, non verò, ut vulgo fieri solet, in lamina ferri candente torrefacienda, cùm non solum oleosa pars hoc modo pereat, sed adustione quoque acrimoniam facilè acquirere possit.

G. Fabric. & Sennert. de dyssent. c. 10. Fernel. l. 3. M. M. c. 19. & 22. Avic. l. 2. tract. 2. c. 502. Arn. de villa nova c. 38. comm. schol. Salern.

C.

Pinguedinis à sevo discrimen, ortus & congelatio.


Pinguedo (Plinio (*a*) Pinguitudo, quæ in cornutis axungia, in Porcis lardum (*b*) dicitur) πιμελὴ εἰς πίον μελέων duum est generum. Alia quidem durior, nervosior & glandulosior, Sevum vulgò (usebum & Sepum idem est, ut apud Athenæum, pistacia, bistacea, phistacia (*c*) fortè etiam στέαρ, ὡς ἱστὰν ἄερ quoniam collatum cum pinguedine multo sit solidius, (quo nomine etiam massam fermentatam sive pastam efferunt, an divinantes, quod uti pasta fit ex farinâ fermento subacta, sic sevum ex humore pingui, spiritu acri congelato) nempe pro partium & animalium

diver-

diversitate (*d*) promtè coit, sed solvitur difficulter. (*e*) Alia verò mollior & purior, Axungia & Adeps, fortè similis λίπα ἐλαίῳ mananti oleo. Oritur ex sanguinis parte pinguissima oleosus humor, & spiritus salsi ope concrescit in adipem: propterea in iis tantum partibus, ubi majora sunt vasa, vel copiosiora, accrescit. Nulla proinde in periostiis, cordis capsulâ, pulmonis & Epatis tunicis. Vulgò à frigore congelari ajunt: At congelationem à spiritu salso fieri ad sensum ostendi potest in oleo communi, per spiritum salis, urinæ: item in oleo anisi, per oleum vitrioli; *(f)* calore facilius funditur, difficulter cogitur rursus, sed nec frangi potest. *(g)* Alba est, ratione illius membranæ, cui adhærescit, ab hac enim candorem contrahit. Nam omnia quæ in corporibus mutantur seu alterantur, sortiuntur naturam mutantis, & fit assimilatio ad partem corporis, in qua fit alteratio, juxta illud, alteratum trahit naturam alterantis; ita ex sanguine efficitur lac, quia caro mamillarum est alba: sanguis elaboratur rubicundus, quia caro Epatis est rubicunda. *(h)*

a) *l. 29. c. ult.* b) *Bauhin. th. anat. l. 1. c. 4.* c) *Scaliger. comment. in text. 186. l. 3. c. 13. Arist. hist. de anim.* d. f) *Zwinger. physiol. l. 2. c. 10. c. 32.* e. g) *Bartolin. instit. anat. l. 1. c. 3. Capovac. in Meth. anat. p. 301.* h) *Knobloch. disp. 3. anat. c. 4.*

CEN-



CENTVRIÆ VIII.

Particula I.

Mutatio vini in acetum, ex Hermeticorum opinione.

VInum redditur acidum, separato suo spiritu, quemadmodum experientia testatur, quo enim diutius Soli, aut locis calidis exponitur, eo majorem acrimoniam sensim contrahit. Quicquid in eo aëreum est, & de essentiâ quintâ vini, vi caloris exhalante, ac detractâ cœlesti ac ætherea essentiâ, quâ vinum mira suavitate perfundebatur, (cum punctione tamen aliqua, sed gratissimè palatum feriente, ex singulari illa temperie aciditatis vitriolatæ, per dulces & sulphureos Spiritus, à Naturæ archæo, vino indita & conciliata) tandem acescit, cujus aciditatis causa non est elementaris quædam frigiditas, sed pendet ab occultis illis & Salis acidis Spiritibus, qui vinculo sulphureæ substantiæ, hoc est vini spiritu proprio in officio continebantur, quo soluto luxuriare effrenes solent, & occultam ante suam naturam, utpote liberam & solutam manifestam faciunt. Hinc fit, ut aceta alia aliis sint acriora: prout magis vel minus in se continent Salis armoniaci naturæ, nihilque prorsus sulphureæ substantiæ. Simplex enim Aqua, omni Sale destituta, nulla unquam frigiditate acescere potest. Est igitur Sal quidam acidus, quem vitriolatum vocant, quod in vitriolo maximè abundet,

det, qui in aceto, cum aquosa substantia (detractâ sulphurea essentia) acore suo se conspiciendum præbet. (a) At quò generosius fuerit (b) Vinum, eò acrius fermentum Aceti, & vehementior ejus acrimonia sese prodet, ex quo attenuantes spiritus penetrantes & promte dissolventes à perito artifice extrahuntur. (c)

a. c) *Querc. defens. contra Anon. l. 1. c. 20. p. 256. l. 2. de signat. intern. p. 101. in Tetrad. c. 7. pag. 67. de prisc. Phil. Med. p. 37. Unzer. de Sale c. 2.* b) *D. Cramer. com. in vers. 2. c. 37. Syrac.*

II.

Acetum cur contrariarum operandi facultatum

Quæ sit ratio, diversarum illarũ in Aceto partium, quæ jam calefaciunt & incidunt, jam refrigerant atq; reprimunt, facili negotio demonstratur; quòd enim Acetum cum acrimoniâ sit acidum, & consequenter vim attenuandi atque dissolvendi habeat, hoc fit, ratione salis acidi, cum quo perfunditur, respectu cujus tenuissimæ essentiæ penitissimas ac durissimas etiam partes penetrare potest: quòd autem etiam insuper refrigeret, propterea fit, quia sulphurea & ignea vini qualitas separata est in Aceto, remanente copiosa aqua frigida elementari, respectu cujus frequens immoderatus vini usus diuturnorum frigidorum morborum causa est. *(a)* Hæc Aquæ frigiditas, juvante vi penetrante, quæ propter dictas causas inest, in penitissimas partes fertur ac penetrat, & consequẽter strenuè refrigerat. Adde, quod Acetum ex accidenti quoque tales operationes præstet, quatenus ratio-

tione suæ aciditatis vitriolatæ potentiam obtinet colligendi vel coagulandi fervidas exhalationes & dissolvendi corpora: ita enim in Inflammationibus coagulat, & consequenter compescit exhalationes intro sulphureas calidissimas, ac dissolvit materiam, ex quâ tanquam ex minerâ, tales fervores exhalant, unde causam calefacientem tollendo refrigerat. *(b)*

a) *P. Sever. in Idaa c. 7.* b) *Horst. decad. 5. probl. quæst. 1. th. 12. & 13.*

III.

Acetum quotuplex; utrum præstantius; contentio de qualitate Aceti inter Galenicos & Hermeticos.

Acetum minerale est & Vegetabile. Sed vegetabile præ cæteris excellit, cum non Ars tantùm id producat, verùm etiam Natura in Pomis acidis, præsertim citriis, limoniis, arantiis: item in baccis Oxyacanthæ: in herbis, oxalide, trifolio acetoso, nasturtio Indico &c. Arte paratur ex vino potissimùm nobili & tenui ex aquositate ejus spiritu evocato, prætereà his quæ vini loco sunt, ut potibus ex hordeo, melle, pyris, pomis, lacte &c. Quin & ex fermento & similibus putrefactis, adeò ut etiam in homine acida pituita existat, quam vitriolo vel alumini comparant parabolici. Contentio est inter Galenicos & Hermeticos Medicos de naturâ elementati Aceti, voluntque illi, quia putrescendo nascitur Acetum, seu corruptione vini (quando scilicet exhalat spiritus vinosus, in quo calor primùm erat relictâ aquositate interminatâ, quam rem Aristoteles vocat putredinem, quâ res seipsâ fit frigidior, quod insitum calorem

lorem perdiderit; unde humores putrescentes comitatur aciditas) frigidum esse, sociâ partim siccitate, partim humiditate, item tenuitate, & aliis qualitatibus, quæ possunt diversas Aceti partes occupare; at, qui se Hermeticos appellant, repugnant, asserentes in Aceto etiam esse igneum calorem, nec omne acidum frigidum, quod axioma spiritus sulphuris & chalcanthi, configunt, dispunguntque. Sunt autem Adversarii Galenicorum maximè ii, qui se à Mago illo vesano Paracelso, Paracelsicos & Theophrasticos appellare solent, & non tàm veritate, quàm odio quodam plusquam vatiniano, illos insectantur. Si judicandum est de Aceto respectu vini, pronunciandum absque hæsitatione, vinum esse in censu calidorum, propter dominium spiritus vinosi, qui & inflammatur, & inebriat, calidosque morbos procreat; vappam autem esse frigidam, quia insitum calorem & spiritum perdidit, estque cadaver vini. E. effecta in medicatione, frigida sunt &c.

Libav. tom. 1. syntagm. arcan. chym. l. 6. c. 1. l. 8. c. 28. comment. Alchym. part. 1. lib. 3. de distract. c. 20.

IV.

Acetum per Spiritus & Salis volatilis, quæ in vino sunt, fixionem fieri.

Acetum è vino fieri spiritûs & Salis volatilis, quæ in vino sunt, fixione, ut chymici loquuntur, putamus. Neque enim spiritus sulphurei è vino separatione, fit Acetum: cùm è vino, à quo spiritus separatus est, aut quod corruptum est, spiritumque amisit, nullum fiat Acetum: sed quò generosius vinum est, eò fortius ex eo fit Acetum: ex vino quoque

quæ ex uvis immaturis expresso, & quod omni ferè spiritu destituitur, nullum sæpè fiat Acetum. Neque solùm ex vino, verùm etiam ex cerevisiâ, Hydromelite & fructuum nonnullorum succis spiritu abundantibus, & è quibus spiritus, spiritui vini similis, destillando elici potest, fit Acetum: ex aliis verò, quæ spiritu destituuntur, non fit. Et quòd per Spiritus & Salis volatilis fixionem, non per separationem fiat Acetum, ex sequentibus satis patet. I. quod post destillationem vini nihil vel parùm salis in phlegmate deprehenditur: post Aceti verò destillationem salis acerrimi plurimùm relinquitur. II. quòd in vini destillatione primò spiritus ascendit, utpote volatilis, phlegma verò post spiritum: in Aceto verò primùm phlegma destillat, post phlegma demùm spiritus acidus, fixior scilicet & ad evaporandum minùs aptus jam, quam ipsum phlegma. Nimirum Spiritus & Sal, qui in vino est volatilis, ad lenem ignem, (quæ natura est volatilium Chymicis ita dictorum) evaporat, in alembicum attollitur, & à phlegmate separatur: in Aceto verò Spiritus & Sal, quæ in vino volatilia erant digestione per lentum calorem, quo Acetum generatur, fixa jam reddita, non statim in calore elevantur & ascendunt (quæ fixorum natura est) sed ut Spiritus Aceti ascendat & destillet, majore calore opus est, imò magna pars salis acidi fixi in phlegmate relinquitur, & in altum non elevatur. III. vini spiritus est φλογιςὸς & facilè flammam concipit; Aceti verò Spiritus nullo modo, sed etiam ne alia facilè accendantur, prohibet.

Sennert. de Scorbut, c. 3.

V. *Ga-*

V.

Galeni assertio de generatione Aceti.

Acetum fit ex vino, cum ingenita vini caliditas amittitur, & alia ex putredine vini, partiali scilicet, partibus remanentibus aquosis acquiritur; vinosæ etenim vini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerantur: & aqueum recrementum putrescens ascititiam caliditatem acquirit, veluti quæ putrescunt omnia, fitque Acetum, quiddam ex contrariis facultatibus mistum, partim refrigerantibus, partim calefacientibus.(a) Planiùs hanc vini mutationem in Acetum declarare conatur Zarabella, duplicem primùm in vino præsupponens calorem; σύμφυτον unum, quem calorem elementarem, seu temperaturæ nominat; alterum ἔμφυτον, quem animalem & vitalem appellat, ab animâ vitis sibi insitum, atque impressum, eo modo, quo semen animantium & plantarum, calorem vivificum, præter elementarem sibi communicatum habet, etiamsi animâ actu destituatur. Deinde duplicem etiam cum Galeno in vino agnoscit humiditatem, ubi substantiam vinosam & substantiam aquosam à se invicem distinguit: Substantia vinosa est illud humidum, quo fit conjunctio partium; at humidum aquosum est illud, quod ex alimentis contractum est tunc temporis, ubi cum vite vinum adhuc jungebatur. His præsuppositis, docet Acetum fieri per interitum caloris ἐμφύτου, manente calore συμφύτῳ, sine separatione humidi continuantis à sicco: quòd si præterea calor σύμφυτος (temperaturæ) quoque corrumperetur, humidum con-

continuans quoque separaretur, & vinum verè putridum redderetur: (*b*) sed hæc assertio suis dubitationibus non destituitur. (*c*) Galenum aliquo modo sequitur Simon Simonius de aceti generatione ita scribens: Acetum fit ex vino, putrefactione. Quæ enim vina imbecilliora sunt, atque frigidiora, ea promptè ambientis contagio refrigerantur: abeunte igitur calore, in pristinum humorem resolvuntur, id est, in illum acidum, ex quo primùm provenerant. Est igitur Acetum vinum, sed vinum adhuc putrescens, non enim certæ ac determinatæ speciei quiddam in quo se Natura sistat, Acetum est, sed ad uberiorem putrefactionem, eo modo quo & cadaver (hoc voluerunt illi, *(d)* qui Acetum vinum mortuum nuncuparunt) destinatum. Quia expirârunt vini calidiores partes in Aceto, supremus ille mistionis humidi cum sicco gradus exolutus est, quò vinum erat: paulò autem post, quicquid calidiorum partium superest, amissurum: ut facta tandem prorsus mutua secessione materiæ partium, illarum dico tenuiorum aquearum, & siccarum interest, ac prorsus putrescat. *(e)* Jacobus Scheckius, Philosophorum Aquila, corruptione violenta, quam διαφθορὰν appellat, non σημαρμένῃ & naturali vini corruptione seu putredine vera, Acetum generari contra Simonium scribit. *(f)* Idem non rectè sentire Galenum ait, scribentem Acetum fieri putredine: *(g)* cùm enim ratione putrescentiæ omnia evanida sint & ἐξίτηλα ac nullius efficaciæ, Acetum autem non sit ἐξίτηλον, sed facultates suas atque vires habeat, ideò non putredine, sed aliâ quâdam corruptione id provenire, statuit. (*h*)

a.g)

2. g) *Galen. l. 4. simpl. med. facult. c. 3.* b) *l. 3. de mist. gener. & inter. c. 7.* c) *Verbez. dode cap. calcanth. p. 150. Horstius dec. 5. probl. therap. quaest. 1. th. 10.* d) *Gal. l. 1. simpl. med. fac. cap. 17.* e) *in exam. sent. Seidelii, de febrium. nat. p. 44. 45.* f) *confut. err. Simon. p. 713.* h) *de occ. med. facult. c. 5.*

VI.

Qualitates Aceti, apud Galenicos, controversa.

De Aceti Natura, tanta est Medicorum & Philosophorum dissensio, ut difficillimum sit ad veram Aceti cognitionem pervenire; si enim ab effectis de causis judicium facere licet, sine dubio acetum erit naturæ calidissimæ, (*a*) 1. sanguinis etenim fluxum sistit, tanquam cauterium, ἐσχάραν inducendo. (*b*) Hanc urentem Aceti facultatem in Aceto cognoscentes Medici Anatomici, ad demonstrandas venas per Epatis substantiam occultatas, totum Epar in Aceto macerant, donec corruptâ & exesâ carne venæ in conspectum veniant. (*c*) 2. acre est & mordax. (*d*) Ovum etenim in Aceto acerrimo triduò maceratum, aut plus paulò, in eam teneritatem testa mollescit, ut veluti tenuis membrana, per annuli angustiam adigatur. Coricula quoque aut silex Aceto septem dierum spacio domitus, digiti attritu in pulverem resolvitur. (*e*) 3. tenuium est partium & penetrativum. (*f*) Hinc Hannibal, cum Alpes sibi pervias faceret, atque Italiæ inhiaret, ferventi Aceto saxa dissolvere ac dissilire coegit, alterius oculi jacturâ; tanta est enim ac tàm penetrabilis Aceti vis, ut saxa corrodat ac comminuat. (*g*) Cujus aliquando experimentum feci in gemma, atque unione seu margarita. (*h*) Cùm igitur isti effectus caloris proprii sint, non sine

causa Aristoteles (*i*) Acetum calidæ naturæ esse pronunciavit. Hunc ex recentioribus sequitur Fallopius (*k*) qui Acetum magnam calefaciendi facultatem possidere scribit, quod ex putredine acquisiverit partes igneas, cum putredo causa sit magnæ caliditatis & siccitatis. Sed hæ probationes omnes sunt ἐκ τῶν πόῤῥωθεν & proinde inutiles. (*l*)

Ex altera parte Hippocrates (*m*) & Dioscorides (*n*) Acetum simpliciter refrigerare testantur. Nec desunt etiam effecta, quæ excessivam Aceti frigiditatem comprobant: (*o*) sanguinem enim sistit refrigerando, densandoque partem, grumos sanguinis dissolvit, itidem constringendo & veluti premendo. (*p*) In omnibus quoque nervosis partibus, suâque naturâ frigidis inimicum Acetum experimur. In colica quoq; passione, & morbis frigidis Aceti usus est perniciosissimus, & cum omnia acetosa refrigerent, ipsum certè Acetum minimè calefaciet. (*q*)

Galenus mistam operandi potentiam Aceto attribuit, ita ut vim refrigerandi & calefaciendi possideat. Ex primo enim contactu manifestè refrigerare docet: postea autem etiam calorem quendam excitare, præcipuè si fuerit acre admodum. Ejusdem caloris causam esse, aut quod ex diversis partibus constet, ut multa alia: aut quod ipsius acredo atque penetratio dolorem aliquem excitans, levem fluxionem moveat, quem comitatur calor exiguus & rubor. Id probavit primùm sensu. Quia partibus sanis adhibitum Acetum, eas manifestè refrigerat: postea mordicationem excitat & calorem recurrentem cum quodam (*r*) rubore. (Sed hoc nimis frigidè & jejunè probatum esse arbitror (*s*) eò quod inter essentialem & accidenta-

lem

lem operationem, nulla sit distinctio. Idem enim pueri nive ludentes experiuntur; dum primùm frigus, mox calorem non sine dolore, persentiscunt. Verùm calor iste minimè per se & ex naturâ Nivis, sed per accidens supervenit, dum videlicet nativus puerorum calor per admotam nivem repulsus, mox cum impetu recurrit, membrisque dolentibus succurrere opemque ferre annititur) 2. quia calidos affectus ab illitâ thapsiâ ortos, sanat. Phlegmonas quoque & Erysipelata mitigat. Deinde rationibus & argumentis ex rei naturâ desumptis. 1. Quia sitim sedat in oxycrato, sitis autem à calore & siccitate oritur. 2. quod biliosis Naturis prosit, Melancholicis noceat. 3. quod cerato simplici ac temperato adjectum, efficiat ut ipsum postea sit refrigeratorium. (*t*) Sequuntur Galenum reliqui Medicorum principes, hinc Paulus Ægineta: (*u*) Acetum mixtæ facultatis est frigidæ & calidæ, quæ ambo tenuium partium existunt: prædominatur tamen frigida calidæ: in tertio verò ordine siccat; iisdem verbis consentiunt Oribasius (*x*) & Aëtius (*y*) Actuarius etiam idem dicit, dum inquit: habet Acetum, quod in incidentium ordine recensetur egregium quippiam, quòd præterquam quod discutiat, reprimat, repellatque influxum, utpote substantia sua modicè calidum & plurimùm habens frigoris, idque tenuium partium (*z*) P. Monavius ex recentioribus: Acetum, quantumvis manifestè refrigerare credatur, haud dubiè tamen aliquid etiam occulti ἐμπυρεύματος à vini caliditate adhuc reliquum possidet, quo sese in ima corporis insinuare, illudque tacitè excalefacere aptum est. (*aa*) H. Capivaccius: Vinum cùm in Acetum mutatur, non to-

tum putreſcit, ſed pars humidior ſeu ichoroſa: unde in locis nonnullis vinum decoqui ſolet, ut abſumatur humor, qui cauſa eſſe poſſet corruptionis & putredinis. Cùm autem finis putredinis ſit terra, fimus vel ſitus: in Aceto ſitus reperitur. Proinde Acetum licet frigidum ſit (potentiâ) obtinet tamen etiam quandam caliditatem. (*bb*) Frigidum eſt, quia propria vini caliditas eſt imminuta, ut Acetum dicatur vinum mortuum. (*cc*) Calidum verò ſtatuitur, quoniam portio ichoroſa putreſcit, cujus finis eſt ſitus, qui cum aceto miſcetur: & cum hic ſit calidus, fit ut Acetum alicujus caloris ſit particeps. Acetum ergò propria natura eſt frigidum & tenuiſſimum, è putredine tamen alienam caliditatem eſt adeptum. (*dd*) Acetum autem quantò fuerit acrius, tantò minus frigidæ naturæ eſt: hujusque acor ſacharo aut uvis paſſis in eo decoctis mitigatur: Acetum igitur quò acrius, eo ad acetariorum uſum accommodatius eſt. (*ee*) Joan. Langius: Acetum vini vitiati ſoboles, cujus calore genuino per adventitium reſoluto, Acetum congeniti caloris expers alieno imbuitur: contrarias ob id caloris & frigoris vires obtinet: frigoris quidem, dum ſpongiis exceptum, inflammationes eo madidas ſedat: in ore contentum æſtum balnei arcet: fronti illitum, ardorem capitis febrilem extinguit. Nec caloris actiones in eo deſiderantur, nam partibus ſuis tenuioribus calore præditis ovorum putamina ita colliquat, ut per annulum traducere poſſis, quibus Theomneſtus *(ff)* veterinariæ artis Medicus, equorum ex pulvere tuſſim ita curabat: Ova, ait, quinque quum adveſperaſcit, in Aceto acri macerabis, dum in diluculo exteriorem putaminis

cal-

callum intabuisse agnosces: qualia sunt ova præcoci aut intempestivo Gallinarum partu edita, hæc si Equi tussientis faucibus linguâ exertâ ingeres, tussim curabis. Novit & Cleopatra, novissima Ægypti Regina, tabificam Aceti acredinem: quæ superbo simul, procaci quoque fastu, ut Regina meretrix, Antonio Consuli Rom, unâ cænâ, se solam, centies sestertium absumpturam objiciebat, factis sponsionibus, duos habuit Uniones, ex auribus pendulos, quibus pondere, magnitudine & candore pares non spectavit Oriens, dum secundæ mensæ bellaria apponerentur, ipsa alterum aure detractum, oxybapho Aceti immersit, quem liquefactum absorpsit; alterum quoque absumsisset, nisi L. Plancus, sponsionis judex, obstitisset. (*gg*) Adde, quod & Singultus, vi Aceti calorificâ, ut refert Aristoteles (*hh*) tollitur; quia, (inquit) humor circumstans ventriculi orificium, prohibens eructandi licentiam, per vim Aceti calefactoriâ extenuatur. Margaritas igitur & ovorum putamina in tabem resolvere, lentos dissecare humores, calori, partiumque tenuium acrimoniæ calore præditarum, accepta referuntur. At inflammationes, febrisque ardorem, balnei æstum & ex calore sitim sedare, id Acetum frigoris energiâ operari in confesso est. (*ii*) Ex recentissimis Joan. Carolus Rosenberger: Acetum arctat, & simul penetrat, cohibet & expellit, retrahit & sudores movet, laxat & adstringit, pro diversâ, variâque heterogenearum partium suarum naturâ, & pro multivariâ occasionis aut subjecti ratione. (*kk*)

a. c. o. q) *Matth. in enod. q. med. q. 30.* b. d. f. l. p) *Stupan. disp. 3. de temperam. th. 76. & seq.* c. h. i. hh) *Lemnius. l. 2. de occult. nat. mir. c. 36. ex eo Goglen. de*

pror. vit. p. 603. Plat. de dol. p. 962. g) *Liv. l. 1. dec. 3. sect. 33. probl. 5.* k) *c. 18. de fossil.* m) *l. 3. acut. morb. text. 38.* n) *l. 5. c. 17.* r. t. bb. cc.) *l. 10. M. M. c. 9. l. 11. c. 18. l. 14. c. 7. l. 1. de Simpl. med. facult. c. 17. 19. 24. l. 3. de temp. c. 3. l. de atten. victu, lib. 1. simpt. c. 19. & aliis in locis sexcentis.* f) *Math. in spec. sanit. c. 3.* u) *l. 6. de re med. c. 3.* x) *l. 15. coll. c. 1. & l. 4 synop. c. 32.* y) *tetrabl. 1. serm.* z) *l. 6. M. M. c. 1.* aa) *Epist. Scholtz. 215.* dd) *l. 6. pract. c 11. & 21.* ee) *Gogl. de pror. vit. p. 328.* ff) *lib. 1.* gg) *Plin. l. 9. c. 35. Macrob. l. 3. Saturn.* ii) *Lang. l. 22. ep. 33.* kk) *anim. med. 9.*

VII.

Controversia decisio.

Ad componendam hanc controversiam, respondendum, sæpè uni & eidem rei, propter diversas partes ei inhærentes, diversas etiam & contrarias facultates inesse, quemadmodum Lacti inest, Aqua, Butyrum & Caseus, unde diversæ vires Lacti insunt. Interdum etiam uni rei sine mistura diversarum partium diversus inest sapor & qualitas diversa. Hujus rei exemplum habemus in Rosis, quibus dulcedo quædam & amaritudo simul ac proinde diversæ qualitates insunt. In hisce tamen rebus una qualitas ita semper excedit, ut ab illâ excessivè sit facienda rei denominatio. Cùm igitur in Aceto aciditas maximè excedat, meritò Hippocrates *(a)* Acetum ad classem refrigerantium retulit. Galenus verò, acerrimus rerum naturalium scrutator, quando ipsam Aceti acrimoniam simul expendit, aliquem ei calorem assignat. At instet aliquis, Galenum *(b)* Aceti calorem maximè extollere, facta nimirum Aceti cum cineribus

com-

comparatione, quemadmodum in cineribus factis ex ligno per combustionem corrupto, manifesta inest caliditas, sic etiam in Aceto facto ex vino, per putrefactionem corrupto, manifesta caliditas remanet. Sed pace Galeni, corruptionem ligni per combustionem factam comparare cum corruptione vini facta per putrefactionem, absurdum esse dixerim: quæ enim comburuntur, etiamsi frigida sint, adustione tamen calorem acquirunt: quæ verò per putrefactionem corrumpuntur, omnem calorem deperdunt, quod ipsum Galenus (*c*) non diffitetur. Hinc Acetum vinum mortuum non ineptè nominatur. Cùm verò sine destructione caloris nihil mori possit, constare arbitror, ratione quidem putrefactionis nil caloris inesse Aceto posse. Quapropter Acetum per se, & secundum omnium aliorum acetosorum naturam, maximè refrigerat, per accidens autem superveniente vetustate, & temporis diuturnitate (quâ & vinum, Mel, Adeps, oleum &c. quoque acria & calida fiunt *(d)* aliquam acrimoniam & per consequens obscuram calefaciendi vim acquirit, quæ cum essentiali Aceti frigiditate minimè comparari potest.

Ad Argumenta igitur ab effectis in contrarium adducta respondetur ad Anatomicorum artificium, quo substantia Epatis in Aceto consumitur, ex Galeno, *(e)* multos esse corrumpendi & consumendi modos, nec omnia solis causticis, sed narcoticis etiam & putrefactoriis medicamentis corrumpi.

Ad 2. respondetur, Acetum testas Ovorum propriè non colliquare, sed dissolvere & comminuere, simili scilicet modo, quo renum & vesicæ calculi,

Acetoſo vitrioli ſpiritu, quo nihil æſtum febrium ardentium melius compeſcit, comminuuntur & diſſolvuntur. Addatur etiam hoc, non ſolùm manifeſtas, ſed occultas etiam rerum qualitates maximè conſiderandas eſſe: videmus enim adamantem omnium gemmarum duriſſimum, ſolo ſanguine hircino emolliri, quem nec malvaticum, nec alia decuplo calidiora, emollire poſſent.

Quod de Hannibale ſcribitur, pro figmento potius, quam pro vera hiſtoria habendum, nuſquam enim, multò minus in Alpium anguſtiis & difficultatibus tanta Aceti copia dabitur, quæ immacerandis Alpium ſummitatibus ſufficiat, ſimplex verò Aceti affuſio nihil proderit, niſi ſaxa diſſolvenda juſtam moram in Aceto traxerint.

Chymicorum autem operatio non ſimplici Aceto, ſed laborioſè præparato & rectificato perficitur. *(f)*

a) *l. 3. de rat. vict.* b) *ſimpl. cap. 19. libr. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 3.* c) *libr. 11. M. cap. 8.* d) *l. 3. de compoſ. med. ſ. loc.* e) *l. 5. de ſimpl. med. fac. c. 5.* f) *Mathaeus in quaeſt. med. q. 30.*

VIII.

Aceti uſus varius, I. Internus.

Acetum lue Vngaricâ correptis valdè commodum eſt, *(a)* quia acrium humorum & bilis effervеſcentiam retundit, *(b)* unde etiam Acetum bilis flavæ mors nominari ſolet. *(c)* αἱ ἀπὸ ὀξέως ὀξύτητες πικροχόλοισι συμφέρουσι, τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται, καὶ φλεγματοῦται μεταπεριζόμενα ὑπ' αὐτῆς, id eſt, quæ vis ab Aceto in remediis micat, bilioſis prodeſt; etenim amara reſol-

solvuntur & pituitescunt, ita ut dilutiora reddantur, veluti ab Aceto subacta & in majorem molem fusa. *(d)* salsam calidamq; pituitam refrigerat & humiditatem siccat, crassitiem incidit, *(e)* putredini resistit. *(f)* hinc fructus acidi vermiculationi minus obnoxii quam dulces; *(g)* interius & exterius usurpatum omnis generis venenis, & præsertim fungorũ resistit, si vel cum aquâ vel oleo parum permisceatur, *(h)* sive cum cibo sumatur, sive aquæ mixtum bibatur, humores corporis à peste ipsâ & putredine *(i)* cum rutâ præsertim, nucleis juglandis & granis juniperi excorticatis, quantitate cochlearis sumptum, eâ die à peste præservat. *(k)* Sic quoq; cum theriacâ mixtum & epotum primâ die in pestilentialibus febribus, eas sæpè statim tollit *(l)* internorum viscerum oppilationes aperit (præsertim si cum capparibus sumatur) eorumque calorem mitigat *(m)* refrigerat atque exsiccat *(n)* suâ quadam ratione vel per se, vel cum olivis sumptum ventriculum corroborat, phlegma etiam in ventriculo mundificat, in cibo sumtum alvum sistit, sed ejus acrimoniam non fert oris ventriculi subtilis sensus *(o)* appetentiam valdè excitat, jusculis inditum, aliove modo usurpatum, in acetariis, bellariis, vel per se ante pastum bibitur, *(p)* hinc Galenus *(q)* & Dioscorides *(r)* scribunt, ab Aceto stomachum recreari & appetentiam promoveri, & sanguinem undiquaq; fluentem cohiberi; incidit, attenuat & simul discutit *(s)* fluxiones sistit & tumores resolvit *(t)* narcoticorum (opii) efficaciam obtundit. Cum aquâ dilutum bibitum, vel per se bonâ quantitate sumptum, Ebrietatis est antidoton, quo insignis quidam potator, jam longo tempore indies ebrius, se, ne inde

de labem contrahat, præmunire solet, vomitum etiam impedit vel mitigat (u) Hydropicis sitim extinguit mirificè & compescit. Expertus ego sum Acetum, aquâ chalybeatâ dilutum, solâ oris ablutione sitim fregisse. Cavendum tamen est, ne quid aquæ in viscera descendat, imò quorundam opinio est, Aquam Hydropicis vel ipso intuitu nocere. (x) Sitim quoq; à caliditate & humiditate mitigat, sed à siccitate provenientem, quemadmodum nec in febribus (præsertim ardentibus) sine aquæ admixtione (cum hac enim magis penetrat, magisque humectat) nunquam sanare potest, verum etiam auget. (y) Acetum etiam per seipsum singulare est remedium adversus ictus Serpentum, etiam ipsorum venenatissimorum, quales sunt Aspides, ut testatur Celsus, (z) qui de variis præstantibus remediis contra omnes Serpentum ictus in genere differens, tandem hæc in specie subjungit verba: hæc adversus omnes ictus communia sunt: usus tamen ipse docuit eum, quem Aspis percussit, Acetum potius bibere debere: quod demonstrasse dicitur casus cujusdam pueri, qui cum ab hac ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, Acetum quod fortè secum habebat ebibit, & liberatus est. Credo (addit) licet id refrigerandi vim habeat: tamen habet etiam dissipandi, quo fit ut terra respersa eo spumet. Eâdem ergo vi verisimile est quoque humorem hominis ab eo discuti, & sic dare sanitatem.

a. n) *Oberndorf. de præs. l. Ung. p.* 257. b. f. p. u) *Plat. de dol. p. 108. 111. de læs. funct. p. 67. 126. 283. 307. de vit. p. 809.* c) *Matheus in spec. sanct. c. 3.* d) *Hipp. 3. acut. text. 38.*

e. σ. *Capivacc. l. 3. c. 8. & 15. l. 5. sect. 1.* g) *Bodin. l. 3. th. nat. p. 391.* h) *l. Horst. de vit. vemf. th. 411. Pansa de Ther. c. 6. th. 65.* i) *Horst. l. c. th. 413.* k) *th. 414. 15.* l) *th. 416.* m) *th. 434.* q) *8. simpl.* r) *l. 5. c. 7.* s) *Gal. l. 2. comp. f. loc.* t) *Horst. l. c. p. 14. b.* x) *Trincavell. l. 3. consil. 32.* y) *Gal. l. 1. simpl. Horstius th. 439. & th. 421. 423. & seq.* z) *l. 6. c. 27.*

IX.

2. *Externus.*

Plinius summam Aceto vim esse in refrigerando, nec minorem discutiendi affirmat, unde terræ infusum spumare, Medicosque nescivisse, quantum contra Aspides polleret, ab Aspide enim calcatâ percussum utrem Aceti ferentem, quoties deposuisset, ictum sensisse, illæso aliàs similem. Sed mirabile & hoc in eo exemplum, quod idem addit. Nam M. Agrippa supremis suis annis conflictatus gravi pedum morbo, cum dolorem illum perpeti nequiret, unius Medicorum portentosâ scientiâ, ignorante D. Augusto, tanti putavit usu pedum sensuque omni carere, dummodo & dolore illo careret demersis in Acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi. *(a)* Quidam Acetum frigidum infusum, vel cum panno in eo madefacto applicatum, sæpeque repetitum, in Articulorum doloribus valdè laudarunt. Ex aquæ tribus partibus & Aceti unâ idem fieri potest. *(b)* Odor Aceti acerrimi, siccando vigilias inducit *(c)* hæmorragiam narium sistit *(d)* præsertim si eo sæpius laventur nares *(e)* Naribus admotum, (præsertim ex *(f)* malvatico) & cum pulegio odoratum *(g)* syncopen tollit *(h)* cum rutâ contra Epilepsiam valet *(i)* & lethargum mitigat

gat *(k)* Naribus (*l*) & pulſibus applicatum (*m*) ſæpius, (ſed valentius cum ruta (*n*) infuſum) à peſte præſervat. Fumigium per nares frequenter aſſumptum, ex vapore Aceti, ſuper ferrum vel tegulam candentem ſæpius fuſi egregiè ad catarrhum conducit. (*o*) Aceti gutta in oculum infuſa, ſomnum probibet. *(p)* Faſciam Aceto irrigatam & ventri circumligatam aliquid efficere poſſe in dyſenteria, quidam ſcribunt. (*q*) Acetum ex incidentium ordine exiſtens, ultra hocquod diſcutit, præcipuum quiddam in ſe habet, quo reprimit, ac quod influit, depellit, utpote quod ſubſtantiâ ſuâ modicè calidum eſt, plurimum verò frigidum & partium tenuium: in achoribus & capitis tineâ utiliſſimum exiſtit, cum metallis adhibitum. (*r*) Impoſitum, cum aquâ mixtum, cum linteo vel ſpongia inflammationibus ex fluxionibus medetur *(ſ)* exterius illitum pruritum cutis tollit, & ſimul aſtringit, (*t*) herpetes tollit, (*u*) cum omphacis infuſum fiſtulas atterit (*x*) Aceti vi frangitur Sinapi indomita adurendi potentia, *(y)* calidorum & acrium ciborum vires, quæ fauces aliàs inflammant, mirè compeſcit, quod etiam in Cepis & Raphanis fieri videmus, ſi cum Aceto edantur (*z*) Pavimento ædium inſperſum, contra peſtis contagium valet. *(aa)* Inter ea, quæ vim habent extinguendi, nullum ignis extinctivorum Aceto eſt efficacius, maximè omnium evincit & ſupprimit flammam, ob frigoris exceſſum. *(bb)* Plinius author eſt, Typhonis impetum tenui remedio Aceti, in advenientem infuſi, poſſe mitigari vel tolli. Idem cauſam adſignat, quod Aceti frigidiſſima natura calidiſſimi fumi vehementiam extinguat. At melius hoc attenuandi virtuti, quam Ace-

tum

tum possidet maximam, adscribendum. Ejus enim tanta vis est, cum non solùm durissimos uniones dissolvat, sed etiam solidissimas rupes macerando penetret & comminuat. (*cc*) Quidni igitur Aceti infusio Typhonis halitum dissiparet. (*dd*)

a. cc) *l. 2. 50 l. 9. 35. l. 23. 1. Liv. l. 1. dec. 3.* b) *Plater. c. 16. de dol. p. 728.* c) *Forest. l. 1. obs. schol. ad obs. 23. Plat. de l. funct. p. 57.* d) *Plat. de vit. p. 191. 685.* e) *Iac. Horst. de vit. vinif. th. 479.* f) *th. 492.* g) *Gal l. 9. de comp. med. sec. hoc.* h) *th. 454.* i) *th. 456.* k) *th. 457.* l) *th. 420.* m) *th. 451.* n) *th. 452.* o) *Valesc. cap. de dol. cap. ex rheum.* p) *Forest. l. 7. schol. ad obs. 23.* q) *Plat. de dol. p. 300.* r) *For. l. 8. obs. schol. ad obs. 20.* s) *Horst. th. 475.* t) *th. 476.* u) *th. 483.* x) *Plater. de dol. p. 962.* y) *Banzer. in fabr. recept. p. 635.* z) *Plater. de las. f. p. 61. 200. de vit. p. 662.* aa) *th. 450.* bb) *Plutarch. Sympos. 3. c. 5.* dd) *Tandl. disp. 7. meteorol. probl. 3.*

X.

Acetum quibus noceat.

Fugiant Melancholici crebriorem Aceti usum. (*a*) τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται καὶ μετεωρίζεται, καὶ πλαταλασιοῦται, ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος. id est, nigra verò fermentantur, & majorē acquirunt molem, & accessione & quasi incrementis augescunt, nam nigra Acetū movet. (*b*) Melancholicus humor & atra bilis quasi fermento effervescunt, nam in sublime feruntur, & iis fit accessio. ζυμοῦσθαι est quasi fermenti vi acri attolli & effervescere. Nam ζύμωσις Platoni fermentatio dicitur τῆς γεώδους ὁμοῦ κίνησις καὶ ἄρωσις, id est, terreni corporis motio & ab aëre intus concepto sublatio, ac velut quædam ebullitio. (*c*) Multus quoque Aceti usus

cor-

corpus extenuat & ſiccat, præſertim ſi acre fuerit. Quibus verò amara bilis exuperat, Aceti uſus non nocet: hinc febricitantes acidis rebus delectantur, quippe qui bilis fervorem leniunt, & dejectam appetentiam reſtaurant. (*d*) *γυναιξὶ δὲ τὸ ἅπαν πολεμιώτατον ἢ ἀνδράσιν ὄξος, ὑστεραλγὲς γάρ ἐστιν.* Sed mulieribus omnium magis bellum indixit Acetum, quam viris, nam utero dolorificum eſt. (*e*) Ratio hujus aphoriſmi eſt, quod Acetum nervis ſit inimicum & nervoſis corporibus: idque duabus de cauſis. 1. quòd ſit frigidum. (*f*) 2. quod tenuiſſimarum ſit partium, ideoque ſubit corpora nervea omni ex parte, & illâ leptomeriâ Aceti uterus omnes nobiles partes in ſympathiam trahit. Uterus enim nerveus eſt. (*g*) Et ocularis inſpectio id declarat, & ratione id evadit probabilius. Quia uterus ſe colligit in anguſtiſſimum ſinum ac craſſam ſubſtantiam, ſeque dilatat ampliſſimè, quod nerveis corporibus peculiare. Nam ventriculo conveniſſet magis carnea ſubſtantia ratione ſui officii: ſed dilatationis & conſtrictionis neceſſitate, debuit eſſe nerveus, ergo multo magis Uterus: hæc autem affectio dilatandi & contrahendi ſe tantùm cadit in corpora nervea. (*h*) Oculis quoque inimicum eſt. (*i*) Podagrici ab ejus frequentiori uſu in paroxyſmo & extra eum diligenter abſtinebunt: Unde nuper mihi Podagricus quidam retulit, ſe majores exacerbationes incurriſſe, ex eſu naſturtii cum Aceto; cujus cauſa eſt ſubſtantiæ tenuitas, cujus gratia Acetum ſe altius inſinuat & frigiditatem, quamvis moderatam in intimas rerum ſolidarum partes deducit, *τὸ ψυχρὸν γὰρ νεύροις πολέμιον.* Hinc dentibus quoque Acetum plurimùm obeſt, partim

διὰ

διὰ τὴν ὑπερβολὴν ψυχρότητος, id eſt, propter nimium exceſſum frigoris, partim διὰ τὴν ὀξύτητα, propter acorem, qui vel ſolus dentibus ſtuporem inducit. (k)

a. d. k) *Panſa l. 2. pract. gen. de vit. pror. c. 12. Mercur. l. 1. pract. c. 10. Lemn. l. 3. de oc. nat. mir. c. 7.* b. e) *Hippocr. 3. acut. text 38 39.* c) *Heürn. in comm. l. c. l. 3. M. c. 7* f) *5. aph. 18.* g) *Galen. in com. 6. epid. 1. 2.* h) *Plater. de l. f. p 382. Capivac. l. 1. c. 24. l. 2. c. 2. l. 4. c. 1. Heürn. l. 2. M. c. 15. 18. & 19. Galen. 1. de ſimpl. med. fac. 19. l. 8. c. 22. Schol. Salern. c. 46.* i) *Plater. de dol. p. 300.*

XI.

Acetum roſaceum an in omni Syncope conveniat.

Συγκοπὴ dicitur παρὰ τὸ συγκόπτειν, intercipere vires, τὸ συμπίπτειν (a) quâ, inquit Aretæus, (b) nihil majus, nihil celerius. Eſt præceps vehemensque jactura cunctarum virium, maximèque vitalium, etenim pulſus vix micat, ac omnes cordis affectus ſopiuntur. (c) Etſi verò plurimas ob cauſas hoc malum accidere poſſit, commodiſſimè tamen ad tres claſſes reducuntur: vel 1. enim fit Syncope ſpirituum caloriſque diſſipatione, ut in evacuationibus excedentibus; vel 2. eorundem ſpirituum oppreſſione, ut in timore aliiſque affectibus, in quibus calidum principium ſuum repetit, vel 3. denique corruptione caloris nativi, quod in cacochymicis quibusdam vulneribusque venenatis fieri conſuevit. (d) idq; ſolet accidere, vel primariò, quando cor ipſum magna quâdã intẽperie cũ vel ſine materia, aut venenata qualitate afficitur, vel per conſenſum laborantibus partibus

 aliis,

aliis, ut patet in syncope stomachicâ, item in illâ, quæ uteri suffocationem comitatur & in aliis. *(e)* Quamvis autem in syncope valida Medicinæ locus non sit, *(f)* interdum tamen ubi vires adhuc aliquo modo consistunt, auxilia Medica expetit, quam ob causam celerrimè, ubi spes quædam salutis superest, ægrotantibus in tali affectu succurrendum. Et cum in tam gravi morbo bis peccare non facilè liceat, quæritur, num Acetum rosaceum, quod vulgariter in omni Syncope adhibetur, intentioni rationali semper respondere possit? Cui quæstioni negativè respondemus, cum enim causæ contrariæ non nisi per contraria remedia tollantur, ideo manifestum est aliter 1. spirituum resolutionem, aliter quoque eorundem 2. suffocationem, atque 3. infectionem curari debere. *(g)* Quare concludimus, quod Syncope à 1. Spirituum resolutione facta, per usum refrigerantium, potissimum fronti, faciei, regioni cordis & pulsuum applicatorum optimè corrigatur, ubi Acetum rosaceum convenit, quod propter aceti qualitates penetrat & respectu rosarum vim refrigerandi, colligendique spiritus majorem acquirit. Quod si 2. suffocatio in causa est, necessario requiritur attenuatio, ac dissolutio materiæ morbificæ, quæ per frigida minimè præstatur, quare hic ad nasturtium, nigellam, sinapi, Mithridaticam confectionem, aq. Cinamoni; extremorum frictionem & alia hujus generis accedendum est. Tandem si 3. malignitas in causâ, Bezoarticis & appropriatis cordi prospiciendum. *(h)* Jam ergo non mirum, quod sæpius in absentia Medicorum ægri lapsu virium pereant: potest enim fieri, ut comuni remedio refrigerante adhibito spiritus, aliàs

suf-

suffocati, circa principium suum ulterius conglobentur, & penitus hac ratione vitalis facultas supprimatur. *(i)*

a. c) *Heürn. de morb. pest. c. 9.* b) *de caus. acut. morb. c. 3.* d) *Paræus l. 8. op. chir. c. 14.* e) *Galen. l. 12. M. c. 5. l. 1. art. cur. c. 14. l. 5. de loc. aff. c. 1. & 2.* f) *Paulus. l. 3. c. 34.* g. i) *Horstius decad. 5. probl. ther. q. 1. th. 3. 4. 14. 16.* h) *Capovac. l. 2. c. 9.*

XII.

Contraria eidem subjecto inesse posse & quomodo.

Magnum & iniquum est postulatum, contraria eidem subjecto inesse non posse. Quis enim in re tepida, calorem & frigus licet non in extremis gradibus, inesse negaverit? *(a)* Probè etenim notandum advertendumque, rebus quibusdam naturalibus, sæpe diversas ac contrarias qualitates planè, vires ac facultates, mirabili quodam modo inesse, quas quidem vel in prima statim rerũ omniũ creatione, à Deo sapientissimo opifice impressas ita acceperũt, vel postea vario elaborationis ac præparationis modo seu genere ab Artificis manu acquisiverũt adeptæq; sunt. Causæ autem ejusmodi diversarum in illis, imò & adversarum operationum ac virium, partim sunt evidentes ac manifestæ, partim verò occultæ seu incognitæ. Hæ dependent à formâ (ut vocant) specificâ seu substantiali, post primam 4. simplicium corporum mixtionem rebus à superioribus causis, modo quodam ἀνευαποδείκτω adveniente. Illæ verò à primis elementarium corporum qualitatibus contrariis, sæpe unius ejusdemque materiæ partibus diversis in-

hærentibus proficiscuntur. *(b)* Plurima namque Alimenta & medicamenta videntur simplicia πρὸς τὴν αἴσθησιν, τῇ δὲ φύσει καὶ τῷ λόγῳ sunt composita ex diversis, & sæpè ex pugnantibus: & propterea diversissimas inter se continent facultates; *(c)* nempè excernendi & sistendi, incrassandi, rarefaciendi & condensandi, illinendi atq; abstergendi, contrahendi & laxandi &c. *(d)* Sic Hippocrates: Multa ex talibus sunt, inquit, quæ & alvum emolliunt & sistunt, siccantque & humectant. *(e)*

Apparet autem hujusmodi virium discrepantia seu qualitatum repugnantia ac contrarietas *(f)*

1. In Absinthio, quod stipatam alvum laxat, laxamque restringit, frigidum jecur calefacit, & ex accidenti, obstructiones aperiendo calidum hepar refrigerat, unde Icterum tollit, febres arcet, ac fugat, bilem domat ac expellit, tàm calidis, quàm frigidis jecinoris languoribus suo modo dextrè adhibitum, familiare.

2. In Aceto. Hoc è vino natum, quod calidum est, frigidum evadit, ac frigefaciens, partim putrefactione quâdam aut fermentatione, sequestrationem partium vino inditarum habente, aut separatione spiritus inebriantis, & caloris vivifici depressione vel evanescentia, atque sic divisis partibus contraria ex eodem subjecto, in quo hærebant & cui inerant prodeunt & producuntur. *(g)*

3. In Rha Barbaro; quod per se vel in substantia datum, vel cum aliis in infusione propinatum, solvendi ventrem facultatem habet egregiam, quem tamen eundem, leviter torrefactum, rursus cohibet, ac sistit, adeò ut ejus usus in profluviis alvi immode-

ratis ac fluxu dysenterico, præclaram persæpè opem visum sit præstitisse.

Quæ effectuum repugnantia quoque perspicitur in Spiritu Sulphuris & vitrioli, siquidem uterque potestatem obtinet partim sistendi immodicas hæmorragias, aliasq; evacuationes præternaturales, simulque coagulandi fervidas ac nitrosulphureas febrium exhalationes, partim etiam corpora dura dissolvendi crassosque vel pituitosos humores, ac mucilaginosas cruditates digerendi, incidendi & absumendi.

Nec minor qualitatum pugnantium diversitas reperitur in Opio, hoc enim propter summam quam in 4. gradu possidet frigiditatem, (*h*) calorem nativum opprimit & extinguit (*i*) & unà, ratione calidæ qualitatis, sitim, pruritum & sudorem movet & excitat, nec non oris linguæque exulcerationem, pustulasque inducit, & quod mirabilius, ad venerem stimulos addit, animositatemque parit & conciliat. (*k*)

Talem contrariam operationem, à contrariis caussis provenientem, proficiunt etiam Plumbum, Hyosciamus & Cicuta, quæ singula paulo majori dosi interius exhibita, adeò vehementer refrigerant, sensusque omnes obstupefaciunt, ut primum (*l*) ventriculi dissolutionem & ventris cruciatus intolerabiles cum dyssenteria; alterum, (*m*) insaniam, mentis alienationem, Epilepsiam ac furorem; postrémum (*o*) verò profundissimum somnum, stuporem, dementiam ac mortem denique ipsam adferat & inducat. Cum tamen eadem exterius (*p*) tumoribus ædematosis, strumosis ac scirrosis applicata, caloris effectus demonstrent, eos nimirum digerendo, emolliendo ac resolvendo (*q*)

Virtus Urticæ adurens superficie tenus manet: intus verò tantum frigoris latet, ut ea contusa arteriis metacarpii ac temporum applicata, febris fervorem extinguat in corde.

Pari ratione Argentum vivum contrariis præditum viribus experimur, nam partibus calorificis stannum exedit; aurum netile & illius bracteas adeò liquefacit, ut cum eo imbutum, per colum trajici possit. Nervos verò ac cerebrum adeò suo frigore ferit & humectat, ut ejus saltem vapore afflati, nervis paralysi relaxatis Aurifabri, metallorum fossores & artis Chymicæ opifices, velut siderati attoniti concidant, proinde quæ sit ejus constitutio, calida an frigida, sub Medicorum judice adhuc lis est. (*r*)

Rosæ terrestri portione ac siccitate sua exsiccant, adstringunt ac corroborant, aqueâ seu serosâ parte refrigerant, aërea igneaque spiritus reficiunt odoris suavitate, corpus relaxant, humores expurgant. (*f*)

Flores chamomillæ olfactu prosunt capitis dolori, folia nocent. (*t*)

Lapathii folia ventrem subducunt, semen assumptum eundem retinet & constipat.

Brassicæ decoctum alvum solvit, ipsa Brassica comesta vel comprimit vel pigriorem reddit.

Lactis pars serosa ac butyrosa subducit ventrem, illa nitrositate quadam aperiendo & abstergendo, hæc emolliendo laxandoque: caseosa cohibet ac siccat terrestreitate.

Vinum licet calidum sit & rectè dicatur, habet tamen partes frigidas & aqueas: ubi namque partes calidiores exhalant, remanent frigidiores, unde etiam

etiam ex largiori vini potu morbos fieri frigidos rectè monet Rod. à Fonseca *(u)* Ejusdem sententiæ est Angelus Sala, spirituosas nempe & sulphureas inesse vino partes, atque etiam alias aquosas, ichorosas seu mercuriales, & hinc etiam accidere, ut assumto largius vino homines tantisper lætentur, vegetasque corporis functiones edant, imò furere soleant, donec vivifico vini spiritu exhausto, frigidæ & aquosæ ejusdem partes vim suam exerere incipiant, corpusque languidum reddant & relinquant. Ut jam nihil dicã de Chalybe, spiritu salis, aliisque, quæ hermaphroditeæ, ut ita dicam, sunt naturæ, modò calefaciunt, modò refrigerant, modò aperiunt, modò adstringunt, occultioresque produnt operationes, pro ratione variarum circumstantiarum atque adjunctorum. *(x)* Verum nempè id est, infinitæ cum fiant principiorum permutationes, infinitas eam ob rem in mistis reperiri probabile est, temperamenti proprietates. Quarum si consequi liceret cuipiam notitiam, eundem Æsculapio similem fore prædicat Galenus. *(y)*

a) *Taurell. in alp. caf. l. 3. q. 1. text. 7. fol. 794.* b. f. q. x) *Unzer. de Mercur. l. 1. c. 12.* c) *Verbez. in disquis. 2. de vitr. contr. Castell.* d) *Gal. l. 3. de simpl. med. fac. c. 13.* e) *l. 2. de diæta.* g) *Minderer. de chalc. c. 3. & 12.* h) *Gal. l. 19. simpl. Diosc. l. 4. c. 65. Ægin. lib. 7. Trallian. l. 3. c. 1. Ætius tetr. 3. serm. 1. c. 18. Scrib. Larg. de comp. med. c. 48.* i) *Lemnius lib. 2. de occ. nat. mir. cap. 52. Plinius l. 20. c. 18. Marcell. Donat. l. 4. hist. mir. c. 18. Alex. Ben. l. 6. Pr. c. 13 Fallop. de comp. med. c. 8. de tumor. c. 14.* k) *Scal. de subtil. exerc. 154. & 175. sect. 1. Mathiol. in com. in l. 4. Diosc. Capov. de venen.* l) *Fernel. l. 7. de lue ven. Palm. de hy-*

hydrarg. c. 5. m) *Jul. Alex. annot. ad c.* 3. *Gal. quod mores animi. &c. Schenck. l* 7. *obs.* 152. n) *Cardan. l.* 1. *de ven. c.* 4. *Scal. exerc.* 12. *Dalechamp. annot. ad cap.* 13. *l.* 25. *Plin. Math. ad comm. c.* 11. *l.* 4. *Diosc. Tragus l.* 1. *hist stirp. c.* 159 p) *Fallop. de metall. c.* 22. *Paraus de tumor. Libav. l.* 6. *syntagm. c.* 13. *& comment. Alchym part.* 2. *l.* 1. *c.* 7. r) *Lang. l.* 2. *epist.* 33. *Vitruv. l.* 7. *c.* 8. s. x) *Rosenberg. in ros. nobil. exerc.* 9 t) *Gal. l.* 2. *de simpl. med. fac. c.* 2. u) *tom.* 2. *consil. c.* 89. x) *Gal. l.* 8. *de constit. art. med. c.* 8. y) *l.* 2. *M. c.* 4.

XIII.

Transmutatio Metallorum, controversa.

Etsi reperiantur, qui Metallorum transformationem rejiciant, tamen cum experientiæ reclamare nefas sit, satisque hujus testimonio constet, Artis Chymicæ opera Metalla ignobiliora in nobiliora transmutari posse, non est cur hunc Chymiæ usum rejiciamus. *(a)* Quærere autem rationes & dimittere sensus, infirmitas quædam mentis est. *(b)* Ex cineribus vitrum fieri hodie notissimum est, de quo, si experientiâ non constaret, cui id rationibus facilè persuaderi posset, aut quid contradici non posset? Metalla autem transmutari toties hodiè experientia comprobatum est, ut disputando de eo frustra tempus teratur. In Ungaria ad oppidum Smolnitium, in monte Carpatho, fontes sunt, ad quos Ferrum conjectum in cuprum optimæ notæ vertitur. Idem fit hodiè Goslariæ. Neque hoc Aquæ saltem naturales præstant, sed & arte idem fieri potest. Ferro enim in Aquam vitriolatam conjecto, pulvis rubens adhærescit, qui igne fusus Cuprum evadit. Et propterea ἀῤῥωςίᾳ διανοίας la-

laborat, Nic. Guibertus, Medicus Lotharingus, qui nihilominus iſta in dubium vocare & tot experientiis totâ Europâ notiſſimis convictus etiam de transmutatione Ferri in Cuprum ſcribere audet: Id apud aliquos ſemidoctos fidem inveniſſe: miſtionem quidem eſſe & temperaturam ſatis exactam, quæ dederit mendacio locum, non eſſe formæ mutationem; qui ſi ad examen judicii & rationis prius hoc revocaſſent, longè aliter ſenſiſſent, &c. Quaſi verò per totum Imperium Romanum, fide publicâ, omnium artificum & Docimaſtarum conſenſu, non eſſet notiſſimum, Cuprum illud genuinum eſſe, imò eô, quod multis in locis terra effoditur præſtantius, & Guiberto neſcio quas rationes in medium afferenti, plùs quàm tot Artificum cenſuræ & non unius ſeculi experientiæ fidei habendum, & umbratilis ad pulpitum ſpeculatio experientiæ tot Artificum præferenda ſit, &c. *(e)* Certè homine imperito nihil eſt ineptius. Quâ de re pulchrè Lucianus, in Hermotino. Si quiſpiam fortaſſe illorum interrogaret, dic mihi, inquiens; ô Lycine, ſi quis Æthiops, qui nunquam alios homines conſpexiſſet, quales nos ſumus, propterea quod nunquam peregrè extra patriam profectus ſit, in quadam concione & conventu Æthiopum pertinaciter affirmaret diceretque: nuſquam gentium homines albos aut flavos reperiri nuſquam nullius alterius coloris, quàm nigros, nunquid fidem aliis ſuis dictis faceret? Diceret autem ad illum quiſpiam ex ſenioribus Æthiopibus: tu verò unde hæc cognita expertaque affirmas audaciſſime? neque enim unquam à nobis ſuſcepta ad exteros populos

 pro-

profectione peregrinatus es? neque, qualiter apud exteras nationes sint, unquam pervestigasti, aut præsens oculorum testimonio didicisti?

a) *Sennertus l. 5. instit. part. 3. sect. 2. c. 1.* b) *Aristot. l. 8. phys.* c) *Sennert. de cons. & diss. c. 2. l. 5. epit. sci. nat. c. 5.*

XIV.

Negantes transmutationem specierum sunt fatui.

Qui dicunt, artem versari tantùm circa accidentia, & non posse mutare substantiam, quasi cùm ex petroleo nigro, fit bitumen, ex hydrargyro Aurum, ex Ferro Æs, tantum fit mutatio facta in adjunctis, quæ est alteratio mera, fatuitatem suam & judicium bliteum satis hoc ipso produnt. Nam & substantiam Ars facere ex præexistente substantia, in qua est dispositio ad sequens, potest: licet primùm, ubi nulla est omnium & negativè substantia, non possit, nisi Deus ipse. Appellamus autem & hanc Artem cum utitur naturæ adminiculis, & ex ligno per ignem facit cineres, salem, aquam, oleum: ex aqua aërem, ex vino acetum, ex aquâ & melle hydromeli, ex bove apes, ex caseo vermes, & sic in cæteris, ubi adhibentur artificiosè agentia patientibus, & gubernatur opus ingenio. Cernere verò est absurditatem istius opinionis etiam in definitionibus, quas comminiscuntur valdè ineptas ex isto suo fundamento. Nam cum definiendus est lapis ex sale factus per artem, siquidem ars non mutat substantias, sed accidentia tantùm, essentialiter dicendum est, quod talis lapis sit sal saxeus, vel sal saxum, ut adhuc magis delirent; ita de ærugine, ex ære corrupto, quod sit Æs: de liquore plum-

plumbi, quod ſit plumbum, de oleo, Ceræ, quod Cera, & ſic in cæteris. Quî verò poteſt his rebus tribui ſubſtantia, ſeu materia formaque, quam non habent amplius? quam ſtultum eſt carbones & Cineres arte confectos, ſaleſque inde paratos dicere ligna? at hoc neceſſe eſt fieri, ſi ars, licet adminiculo naturæ (nulla enim ars humana naturæ auxilio carere poteſt) relinquit ſubſtantiam, & ſaltem mutat affectiones. Quomodo etiam jure exploſerunt Peripatetici veterum condenſationem, rarefactionem, atomos & ſimilia deliria, ſi verum eſt, quod putant? cur verò in iſtam ſtultitiam ſeſe demerſerunt? nimirum, ut quod ipſi nullâ vi ingenii, nedum arte aſſequi poſſunt, imò ne viſum quidem & comprobatum accipere volunt, negent ſpecies rerum tranſmutari poſſe, & ex metallo uno aliud fieri. Verùm ad Antyciras cum iſtâ perverſitate.

Libav. part. 3. ſingul. l. 7. ſchol. ad c. 4.

XV.

Ars faciendi Auri nulli revelanda.

Aurum ex Hydrargyro, non eſt tantopere à Natura remotum, quin poſſit fieri, ſi eam ingenioſè tractet Artifex. Verum induſtriæ tantæ eſt, ut hebeti ingenio & tardo qui eſt, non ſit ad eam rem idoneus. Non tamen manca eſt vita noſtra, etſi illa Ars non extet vulgo: conſentaneum eſt, Deum ideo à conſpectu multitudinis eam arcere, quia cupiditatum improbarum nullus penè eſt finis, quamquam & vileſcant vulgata, ſicut olim argento evenit tempore Salomonis, & Auro apud Indos, antequam experirentur Hiſpanorum Gallorumque aviditatem. Væ illi Magiſtro qui offici-

ficinam auri faciendi aperuerit. Itaque ſapientes qui callent artem, ſibi tacendum putant, & conſortia procerum vitandum, ut præclarè monuit ex veteribus quidam. (a) Etenim qui theſaurum invenit precioſum, poteſtne tam exiguæ mentis eſſe, ut iis oſtendat & aperiat, à quibus ſibi periculum, ignominiam, calumniam exinde imminere certus eſt? ita infeliciſſimi illi, qui aliis ſcientibus ſciunt hanc Lapidis conficiendi artem. Modò Reges & Principes, eam ab iis poſcunt, aut per pollicitationes magnas favoris & honoris obtinendi, aut per minas, carceres, torturas, mortem. (b) Et licet ob hominum perditiſſimorum impoſturas, qui aliis Aurum promittunt, quo ipſi carent, quique alios fraudulenter emungunt, tota Ars apud pleroſque malè audiat: tamen viri prudentes genuinos Artifices ab Impoſtoribus, & errata Artificum ab ipsâ Arte diſcernere norunt. (c)

a) *Libav. l. 1. epiſt. chym. ep. 3.* b) *P. Müller. in proœm. lib. de lap. philoſ.* c) *Sennert. in inſtit. l. e.*

XVI.

Species quomodo transmutentur.

Præcipuè hoc nonnullos movere ſolet, quod metalla, quæ ſpecie differunt, inter ſe transmutari non poſſunt. Verùm quid obſtet, non video. Forma quidem Ferri, in formam Cupri, & Plumbi in Aurum non vertitur; ſed formâ Ferri decedente forma Cupri, & Formâ Plumbi decedente Auri forma introducitur. Et quidem inter Metalla facilior eſt tranſmutatio, cum communem habeant materiam, atque inter ea, quæ ſymbolum habent, facilior fiat transmutatio. Et ſi hâc de cauſâ Metallorum tranſmutatio neganda eſſet, plurimæ aliæ rerum

trans-

transmutationes negandæ essent. Ut jam de Elementorum transmutatione nihil dicam; triticum & aliæ plantæ in suo censu & suâ formâ sunt perfectæ species, nihilominus in chylum mutantur; Sanguini sua forma est, per quam est, quod est, nihilominus in carnem, os, membranam mutatur. Atque idem aliis quoque accidit, & vulgatissimum est, ex rebus in sua specie perfectis ad alias formas suscipiendas dispositis, alias res ab alio principio generari. Absurdum quoque nonnullis videtur, quod tàm brevi temporis spacio metalla in Aurum transmutari possint. Verùm isti vim & potestatem spirituum ignorant, & Chymicarum operationum parùm periti videntur. Quanta enim vis fulminis in Metalla & alias res; quanta vis aquarum fortium & Regalium, & Spirituum aliorum Metallicorum, ut vel ex Bezoardici mineralis & Auri fulminantis præparatione videre est?

Sennert. de consf. & diss. c. 2.

XVII.

Paracelsus Aurum confecit.

Paracelsus pecuniæ erat prodigus profusor, & eâ ita sæpè destitutus, ut ne obolum quidem ei superesse scirem. Crastino statim rursum crumenam benè instructam se habere ostendebat, ut non rarò admiratus fuerim, unde ei fuisset suppeditata. (*a*) Aurum autẽ fecisse Paracelsum ex plumbo & argento vivo, Michaël Neander, testes producit *(b)* tùm privatum quendam Franciscum, cujus etiam Epistolam affert: in eâ ille Franciscus, Annorum tunc 72. pietate, doctrinâ & opibus dignitateque in Bohemia præstans, qui adolescens per semestre Basileæ cum Paracelso familiari-

ter

ter vixerat, scribit: jussisse aliquando Paracelsum pecuniâ destitutum, dato floreno Rhenano, ut ex Pharmacopoleo libram Mercurii peteret. Quo allato Paracelsum quatuor lateres in foco composuisse, Mercurium in catinum conjecisse, ignemque excitasse. Postea cum inciperet Mercurius fumare, dedisse Francisco huic globulum, ac jussisse, ut pyragrâ prehensum parumper in Mercurium demergeret, donec liquesceret. Hinc aucto igne utrumque in hypocaustum rediisse, reversosque post dimidiam horam aurum in catino invenisse. Hinc catino fracto, jussisse Paracelsum, ut Franciscus Aurum istud ad Aurifabrum, qui habitabat super pharmacopolium, deferret & pecuniâ permutaret. Aurifabrum pondere cognito ad stateram (erat autem librale minus semuncia) crumenam ex serico plenam aureis Rhenensibus detulisse & Paracelso misisse. Medicamen autem, quod in catinum immergebat Franciscus, erat globulus mediocris avellanæ instar, inclusus ceræ rubræ signatoriæ. Quæ res autem intus fuerit, se ignorare scribit iste Franciscus, & quâ re ipse præparaverit, an aliunde acceperit, non satis liquet. *(c)*

a) *Oporinus in quâdam epistolâ* b) *Geograph. p. 56. 57. & 61.* c) *Sennert. c. 4. de Parac. lib. de cons. & diss. Libav. t. 2. defens. Alchym. transmutat. contra Guibertum.*

XVIII.

Artis transmutatoriæ Autoritas.

Obiit ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus, Sacerdos ex minorum ordine, senex, nobis notus, integer vitæ. Is & Bononiæ Argentum, & Carpi Aurum ex ære fecit multorum testimonio. Fecit & Hieroso-

rosolymis, ubi multos Annos versatus est; ubi Aurum ipsum fecisse, vivit adhuc, qui contestetur.

Praeterea fuit inter mortales aetate nostrâ Apollinaris, ex ordine Praedicatorum, sacerdos boni nominis, qui non dubitavit Amicis affirmare, sese modos plus viginti constanter tenere, quibus verum Aurum conficeret. Romae publico in templo scriptum erat: Auri ex plumbo collectori.

Fuit ante paucos Annos Venetiis, qui publico multorum nobilissimorum virorum testimonio, ex re parvulâ, quae nec piperis granum quantitate excederet, magnum satis Auri pondus ex vivo argento fecerit.

Fuit in ditione meâ, qui tribus testimoniis, ex re, Tritici granum aequante, argenti vivi unciam, vertit in probatissimum Argentum, atque unum ex his, qui viderunt, cum alloquerer, audivi dicentem, se diligenter conversionem inspexisse, colorisque cinerei fuisse Medicinam.

Vivit adhuc vir mihi notus & amicus, qui plus sexagies suis manibus ex rebus metallicis Aurum & Argentum confecit me praesente, nec unâ tantùm viâ, sed multis id est consecutus.

Vidi in confectione Aquae Metallicae, in quâ nec Argentum, nec Aurum, nec Sulphur, nec Hydrargyrum ponerentur, ex insperato simul Aurum & Argentum generatum.

Vidi Aquarum vi ex aere Argentum extrahi.

Est alius, cui quoties libuerit, suis ex furnulis promitur Aurum, quod publicis officinis pro purissimo vendit, cui satis amplae sunt opes.

Vivit adhuc, cui non desunt opes ad sustinendam semi nobilis conditionem, cujus manibus vidi aes conver-

versum in Argentum & Aurum succo quodam plantæ.

Quidam inops, monstratâ sibi in somnis aquâ aurum fecit, qui item Ferrum bis in Aurum vertit, ex Auripigmento ter quaterve fecit.

Vidi alium, qui duobus modis in verum Argentum mistum Auro, vertit Argentum vivum.

Vidi ex Cinabari, adjectis quibusdam rebus, excluso Argento & Auro, simul Aurum fieri simul Argentum.

Vidi ex mera Cinabari, olei alicujus simplicis admistione, Aurum & Argentum sed parvi momenti fieri.

Vidi sæpenumerò hydrargyron, & qui erat ex Plũbo & Ære detractus, in Argentum & Aurum transformari.

Superioribus diebus & oculis vidi & manibus contrectavi Aurum, quod me inspectante factum fuit ex Argento, trium circiter horarum spacio, nulla prius facta Argenti mutatione, nec in hydrargyrum, nec in Aquam.

Vidi non semel minus decimâ parte horæ disjici metallum, sicut Sulphur alta petiverit; hydrargyros ima.

Vidi prioris metalli forma prorsus abolitâ subitò novam, id est, Auream, solertiâ artis imponi.

Ego seorsim Aurum, seorsim Argentum, diversis granulis effici, uno eodemque pharmaco, itemque simul & Aurum & Argentum, eodem tempore, eodemque pharmaco sæpenumerò sum intuitus.

I. *Francisc. Picus, l. 3. c. 2. de Auro. Rob. Vallens. de verit. & antiq. art. Chym.*

Vide

Vide Centur. nostr. 4. memor. part. 89. centur. 5. partic. 92.

XIX.

Autores & testes Artis transmutatoriæ.

Quò minus multi sunt, qui de re Metallica scripserunt, eò magis mihi mirum videtur; tot Chymistas extitisse, qui composuerunt Artificium de metallis aliis in alia mutandis. Multos Hermolaus Barbarus, homo dignitate generis, & gradus, & omni doctrinarum genere ornatus, nominatim prætulit. Ego plures proferam, sed insigniores tantùm. Delectum enim servabo. Itaque χυμευτικὰ scripsit Osthanes, Hermes, Chanes, Zosimus Alexandrinus ad sororem Theosebiam, Olympiodorus Alexandrinus, Agathodæmon, Democritus, Orus Chrysorichius, Pebichius, Comerius, Joannes, Apulejus, Petasius, Pelagius, Africanus, Theophilus, Synesius, Stephanus ad Heraclium Cæsarem, Heliodorus ad Theodosium, Geberus, Callides Rachaidibus, Veradianus, Rhodianus, Canides, Merlinus, Raymundus Lullius, Arnoldus Villanovanus, Augustinus Pantheus Venetus, fæminæ tres, Cleopatra, virgo Thapuntia, Maria Judæa; atque hi Chymistæ omnes orationem solutam usurparunt, præter Joannem Aurelium Augurellum Ariminensem, qui solus verba versu inclusit. *(a)* In his Geberus est, Hermes & Arnoldus qui affirmant sanctâ fide, se fecisse, vidisse, tetigisse lapidem; quibus accedit & Thomas de Aquino, & Bernhardus Comes, Arnaldo Guilhelmus Speculator attestatur, quod virgas Auri à se factas omni examini Romæ subjecerit. Idem de Paracelso superiorum temporum ejus discipulus

pulus αὐτόπτης sanctè contestatur; idem præstitit pharmacopola Tarvisinus, licet à Fallopio *(b)* sophisticè eludatur; Joannes Rungius Chymicus præclarus scripsit se vidisse Argentum Chymicum, Baptista Porta, Hier. Rubeus, Picus, Dornesius &c. ex cinabari utrumque factum edocent. Ita Quercetanus, Joan-Dee, Vogelius, Penottus & alii innumeri uno ore Veritatem Artis asserunt. Quibus qui fidem non potest adhibere, nullâ fide dignus est, neque uberiori argumento convincendus, cùm si artificibus non credit, multò minùs suis oculis & manibus, præsentique experimento sit adstipulaturus, quâ malitiâ inveniuntur multi, qui experimenta potiùs omni sophisticâ eludunt, quàm acceptant. *(c)*

a) *Agricol. in præf. rer. metall.* b) *de fossil. c. 11.* c) *Libav. comment. lib. 1. de nat. metall. pag. m. 47. Theob. ab Hogel. ande de Alchym. difficult. Wolf. Dinheim. de univ. Medic. c. 4. Nic. Barnaud. comment. in ænigm. quoddam Epitaph. Bonon. Ruland. F. Progymn. Chym. quæst. 67. Sennert. de cons. & diss. c. 2. Bernh. Penot. in præfat. apolog. cont. Guibert.*

XX.

Vis caloris & facultatis naturalis Animalium in metalla.

Edidit hoc 1619. Anno prognosticum Astrologicum vir Clarissimus D. Franciscus Wendlerus, Medicus Gorlicensis, in quo mira quædam de Gallinâ aureâ & argenteâ Philosophicâ, quam appellat, recenset. Ita autem ille. Hoc loco facere non possum, quin mentionem faciam, quâ ratione Gallina foliis auri & argenti cum saginâ reliquâ cibanda sit, & quàm

quàm mira meis oculis viderim, referam. Cum Sol signum Cancri ingreditur, quod 22. Junii eveniet, Gallinam aliquam, quàm fieri potest, optimè sagina. Saginæ folia argenti insperge: quorum quò plura cum cibo ingerit Gallina, eò meliùs sese res habet. Primis quidem quatuor diebus Argentum cum excrementis per alvum rejicitur, quinto verò vel sexto die assuescit ventriculus Argento, idque arripit & immutat, in suam quintam essentiam meliùs quam Chymicus aliquis. Si mensem unum ita Gallinam nutriveris ac saginaveris, mactare eam licet & mira videbis. Quæ domi meæ saginata & mactata est, candida fuit instar argenti: intus viriditas tanta apparuit, qualem nec Chymicus arte ex Argento parare possit. In massâ illâ quæ Ova continet, innumera ferè ova magna & parva apparuerunt, quasi ab Artifice aliquo ex Argento formata essent. Postea, quando Sol in Leonem ingreditur, quod accidit 23. Julii, alia Gallina eodem modo nutriatur Auri foliis. Hoc modo meo suasu, nutrita & saginata est Gallina à Senatore quodam hîc primario, & lautioris fortunæ, qui cum Uxore, Dei beneficio adhuc in vivis est. Comederat illa Gallina 4. circiter volumina (4. Büchlein) Auri malleando in folia ducti. Ubi mactata fuit, mirum, quàm pulchra & pura intus fuerit. In pectore verò tres lineas penè aureas habuit, quasi ab Artifice aliquo inductæ fuissent. *(a)* Matrona quædam in mea viciniâ aluit in hypocausto Gallinam, in gratiam filiæ suæ, quæ, cum observasset nummos à Gallinâ devorari, noluit eam amplius ferre, suntque in occisæ Gallinæ ventriculo inventi nummi aliquot, ad medietatem

consumpti, in primis Argentum digitalis argentati filiolæ, ut præter æs nihil restaret. *(b)*

a) *Sennert. in præf. ad lect. lib. de cons. & dis. Arist. cum Galen.* b) *Sig. Schnizer ep. 50. cista Medica Hornungi.*

XXI.

Aureas monetas & torques juribus incoquere, absurdum.

Stultum meâ sententiâ est, Aureas monetas, annulos, aut catenas intra capones, juscula aut stillatitios liquores, aliosve quosvis coquere, cum in his nihil aliud absumatur, quàm multarum manuum sudor adhærens? nihil enim ponderi penitus detrahitur post illorum elixationem, nec etiam quicquam Aurum Aquæ imprimat, nec etiam saporem, odorem, aliudve adjiciat.

Septal. animadv. med. l. 5. caut. 57.

XXII.

Plumbum Argento gravius innatat.

Mirum est, quod Plumbum in pondere vincat Argentum, & illi liquefacto innatet. At gravius debebat subsidere. Vidi autem hoc in officinâ reductoriâ, ubi pastilli segregantur (in der Treibhütten) Plumbum liquatum Argento insistit. Quid hîc causæ? num elevantur fugaces partes instabilis in Igne plumbi? Argenti verò ob homogeniam, & quia non divaporant, subjacent. Non ubique plumbum gravius Argento est, sed in solido & illiquato. In catinis liquatoriis, quod optimum est plerumque est medio loco, innatantibus scoriis, & subsidente face.

Libav. l. 2. epist. chym. ep. 98.

XXIII.

XXIII.

Bismuthum, telis sulphuratis hactenus admixtum, quid, noxium & cur.

Telarum sulphuratarum (einschlag (*a*) zu den Weinen) scopus est præcipuus duplex: tum ad vasa, tùm ad vinum, potissimum tamen propter vinum à Germanis hæc mistura excogitari solet, scilicet ut vasa à putredine defendantur, & ut vinum novas quasi vires acquirat, majoremque calorem aut spiritus acriores. Veteres id tentabant coctione, vel immissione plantarũ acrium & salubrium, vel ignis beneficio, & alio etiam artificio, circa ipsa vasa. Compendiosius Germani in frigidis regionibus id tentârunt, per talia sulphurata, vel alia, vim sulphuris habentia, ut vinum sublimatũ, vel spiritum, vel potens aliud simile ex plantis, è Sinapi, Sambuco, & Sclarea, vel aliis etiam petitis. (*b*) Telam autem talem sulphuratam, quæ Bismuthum capit, non laudo, ejus enim usum potius noxium puto, quàm salubrem. Minerale etenim hoc (in quo ferunt esse caput chrysopeæ) si quis in primam materiam posset deducere, fumis pestilentialibus, Arsenicalibusque est plenum, quamquam sine resolutione ignis vim purgandi habeat, ut Regulus Stibii. (*c*) Telæ verò sulphure perlitæ, vi sulphuris resolvuntur, fumosque istos Arsenicales habent. Fors inventor ejus putavit, facere ad defæcandum vinum, sicut videmus fieri musto, in stanneis vasis servato, vel etiam stanno eodem liquato & in dolia conjecto, nescio enim quam vim defæcatoriam habeat Stannum. (*d*) Bismuthum autem, tùm Græci, tùm Latini veteres

ſcriptores ignoraſſe videntur. Atque hinc eſt, quod Plinius (*e*) duo tantùm plumbi genera commemoret. Noſtri Biſemuntum, Germani Biſemunt oder Wißmunt oder contra feßn appellant. (*f*) Albicans eſt, cum livore, medium inter antimonium album & plumbi genera, ideò etiam plumbum Cinereum (*g*) vel cinerulentum vocatur, quod lucet ac ſplendet, friabile eſt (ita ut vertatur in pulverem, non ſolùm ſi lapide, vel piſtillo teratur, verùm etiam, ſi digitis fricetur, & vocatur Marcheſita librariorum, vel Impreſſorum, quoniam qui imprimunt, characteres, & literas in ſtatuis & vaſis, ſolent cum ſtanno admiſcere aliquid hujus plumbi, quoniam eliquatur ſimul cum ſtanno, & reddit Stannum durius, & ſic magis retinet (*h*) characteres) naſciturque in venâ Arſenicali, cadmiosâ, ſulphureâ, cujus fætor & virulentia ſatis arguit infecta, impuraque principia. Ob terream naturam, & quia malleo dilatari non poteſt, ſed frangitur, inter Metalla locum non invenit, ſed in Marcaſitis remanſit. Neque enim quicquid ex Mercurio & Sulphure conſtat, etiam metalli nomen & rationem meretur. (*i*)

a) *Schnizerus ep. 32. ciſt. Med.* b) *L. Doldius. ep. 251. l. c.* c) *Libav. ſyntagm. Tom. 2. de igni nat. c. 32.* d) *Libav. ep. 56. l. c.* e) *l. 34. c. 17. & 18.* f) *Fuſch. l. 1. de comp. med. c. 17.* g) *Sennert. l. 5. c. 3. epit. ſcient. natur.* h) *Fallop. de foſſil. c. 22.* i) *Libav. comment. metall. l. 1. c. 10. Tom. 1. ſyntagm. Alch. l. 2. c. 24. De Aquis Bismuntho infectis vide Tabern. in theſ. aquar. c. 97. 59. & 53.*

XXIV.

XXIV.

Corallis ortus admirandus, differentiæ, usus internus, externus

Corallum, vel ut aliis placet, Corallium, ut in imo maris incredibili naturæ artificio productum, ita mirabiles ab eâ dotes sortitum est. (*a*) Aliqui λιθόδενδρον appellarunt, marina planta est, quæ alto mari exempta duratur statim atque emergit, quasi à circumfuso nobis aëre lapidescat, concrescátve. (*b*)

——Corallum, quo primum contigit auras
Tempore durescit, mollis fuit herba sub undis. (*c*)

Cujus rei causa est, quòd plurimum Salis & succi lapidescentis huic plantæ inest: id quod vel resolutio ostendit, quâ Corallia penè tota in Salem abeunt. (*d*) Triplici constat differentiâ, albâ, rubrâ, nigrâ, Prima est preciosior; altera usitatior; ultima (*e*) rarior, quæ vocatur Græcis ἀντιπαθὴς, arboris & ipsum figurâ, at magis ramosum. (*f*) Sunt & ex his, stellatum, racemosum & articulatum sub iisdem speciebus reponenda. (*g*) Probatissimum rubens colore Sandarachæ aut Sandycis saturatæ, ut quod in lapidis duritiem coit; scabrosum, fistulosum seu concavum, præterea inane seu spongiosum, vitiosum existimatur. (*h*) Quare potissimum hoc nobis in usum venit, quod quidem non nobis solum Europæis innotescit: verùm & Asianis & Afris. Hinc Turcæ, Indi, & pleræque aliæ nationes barbaræ ipsum integrum collo gestatum insignes habere vires constanter credunt. (*i*) Inde fit, ut pretiosius sit apud Indos Corallium, quàm Indici uniones, Adamantes, Saphiri, & his maximè temporibus, quibus Coralliorum rupes Africanæ penitus

effætæ videntur. (*k*) Colligitur hodie in maximâ quantitate in mari mediterraneo, Barbariam versus, quod Massilienses ut quotannis adeunt piscatum, sic id artificii genus appellant, eo quod retibus ipsum ex imis Oceani visceribus extrahant. Traditur etiam, id in Ligustico mari enasci, verùm potius Ligures cum Massiliensibus in Barbarico ipsum reperiunt, & inde postmodum Genuam advehunt. (*l*) Refert Linscottus, ad caput bonæ spei scopulos esse, qui magnâ ex parte Corallio, eoque acutissimo, asperrimoque & omnifarii coloris, ut nigri, albi, æruginosi seu viridis, constant. (*m*) Frigidum est numero 1. & siccum in 2. occultâ vi firmat cor, & luce quadam spiritus rigat, & cum adstrictione firmitatem præbet. (*n*) Æris squamæ & æruginis est alexipharmacon. (*o*) Refrigerat mediocriter; sanguinis fluorem & rejectionem ex quacunque corporis parte manantē sistit; Epilepsiæ auxiliatur. (*p*) Sitim placat, non solùm proprietate occulta sed etiam manifestâ, cum sit corpus gelidissimum. (*q*) Bononiæ puellæ id collo gestant, tanquam ornamentum & virginitatis signum. (*r*) Collo admotum, turbulenta somnia propulsat, & nocturnos puerorum terrores compescit, vi quadam specificâ & occulto effectu, abditaque proprietate, cujus rei causa indagari nequit. (*s*) Collo suspensum, ut stomachum attingat, occultâ proprietate Epilepsiæ resistit. (*t*) In orbiculos elaboratum ac lævore perpolitum, si à viro gestetur, rubescit exuperantiùs, quàm si hoc gestamine fœmina decoretur. In pallorem enim muliebri consuetudine elanguescit, ac colore nativo destituitur, partim ob emanantes ex illâ fuliginosos densosque spiritus, partim quòd langui-

dum

dum calorem habeat, ac frigidæ humentisq; sit naturæ, quæ qualitates aliquid conservare tuerique nequeunt; cum vir caloris innati substantiam vaporosam, mitem ac suavem sit consecutus, ac velut aromatis odore imbutam. Quâ ratione & Sinapis semen Corallum rubicundum efficit, si illo obruatur, caloris scilicet ratione, quo tanquam ignitâ re incalescit. *(u)*

a, g, i, l, r) *Dispensat. chym. l. 2. c. 49.* b) *Dioscor. l. 5. c. 139.* c) *Ovid. l. 15. Metamorph.* d) *Sennert. l. 5. c. 4. epit. scient. natur.* e) *Plin. l. 32. c. 2. l. 37. c. 10.* f, h) *Bauhin. in pinac. theat. botan. l. 10. sect. 4. p. 367.* k) *Bodin. l. 2. th. natur. p. 269.* m) *part. 3. Or. Ind. c. 1.* n) *Heurn. l. 2. M. c. 5. Fuchs. l. 1. de comp. medic. c. 41.* o) *Dispens. August. c. 8 in proleg.* p) *Sennert. l. c. Weck. l 1. antid. spec. sect. 7. Dunc. Bornet. in Iatrochym. p. 113.* q) *Mercur. l. 3. de cur. aff. c. 9.* s) *Pansa de pror. vit. l. 4. pract spec. c. 56.* t) *N. Piso de med. morb. Bajerus l. 2. pract. c. 16. Unzer. de Epil. l. 2. p. 240.* u) *Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. c. 22.*

XXV.

Concha Margaritiferæ admirabilis contra febres tertianas virtus.

Concharum aliàs varia occurrunt genera, sed præstantiores & elegantiores sunt exoticæ, quæ reperiuntur tùm in Mari Persico, quod in Oriente est, unde & Orientales nuncupatæ, tùm in Chynarum tractu & Indiæ Regionibus, in quibus Concha Margaritifera ab Incolis Berberi vocatur, & à quibusdam Barbaris Cherippo, ab aliis Chanquo, quod Mater, seu ut vulgus loquitur Nacra Perlarum perhibetur, Gallis Na-

ere de Perles. Conchæ hæ magnæ ſunt & ſpiſſæ, modicè cavæ, exterius minimè ſtriatæ, ſed planæ & aliquantulum flaveſcentes, ſcabræ tamen inſuper & impolitæ, intus leves, ſpendidæ, argentei coloris & adſpectu pulcherrimæ. Aëri expoſitæ hiant, vel ferro aperiuntur, atque intus cum carne Margaritæ reperiuntur.

Maxima Concharum iſtarum copia delectat Maſſileæ, ubi innumeri Artifices, qui varia exinde formant tùm ornamenta, è collo & manibus fœminarum puellarumque ſuſpendenda, tùm utenſilia pro delicatulis, ut cochlearia, pyrones, manubria cultellorum, & id genus.

An verò in uſus Medicos hæ hactenus vocatæ ſint, parum ſcio. Apud me quidem in dubio non eſt, paulò minus valere eas in virium refectione, quàm ipſas Perlas, quas uno conſenſu recentiores cum veteribus valdè cordiales aſſeverant. Quin & Serapio, ubi Margaritarum deſit copia, earum Conchas uſui proponit; annuente etiam doctiſſimo Coſtæo.

In eo tamen & ipſas Margaritas & cætera quævis pretioſiora ſuperare videntur, quod in febrium tertianarum fugâ ſpecificam quandam efficaciam in ſe contineant: cujus ego me primum Inveſtigatorem (ni fallor) ſtatuere audeo.

Conchularum quidem aduſtarum genere, & Græcos uſurpatos eſſe video, ſed extrinſecus. Arabes verò etiam intrinſecus, velut Meſuen in Electuario ſuæ inventionis, at Manardus tunc eas intelligit teſtas, quas Cappatotia vocant, ſive Onychas, id eſt, Blattas Byzantinas.

Lau-

Laudet ſuas Cochleas, longas habentes teſtas, quæ propè piſcinas & Lacus reperiuntur, Crollius quarum uſus ante ipſum in Empiria Matronarum Illuſtrium decantatus fuit: oppono his & oppono, tùm loci natalis nobilitate, tùm generis ſplendore, & formæ venuſtate Perlarum Matres, quas non tantùm vulgari quidem & eo, quo aliàs ipſæ Margaritæ præparari ſolent modo lævigatas, præſentaneum & unicum poſt uniones cordis languentis, ſupra aſſerui, & adhuc aſſero refrigerium, ſed uſtas quoque certum & admirabile. Nunc propono Febrium tertianarum propugnaculum, ubi ſequenti venerit in uſum medicum, formula.

Recipe unam, 2. 3. vel etiam plures Perlarum Matres, quas ab exteriori parte ſcabritie uſque ad flavedinem ſublatentem politas in fruſta confringito, quæ crucibulo indita calcinando incinerato uſq; ad niveam albedinem. Tandem pulveriſa & in uſum adſerva.

Habebis ſic ἀντιπύρετον præſtantiſſimum, quo innumeris febri tertianâ divexatis, divinâ afflante gratiâ infallibili tuli opem, idque per multos annos, apud me in arcanis habitum, Chriſtianâ nunc charitate perſuaſus benevolæ poſteritati publicè dicare volui.

Doſis maxima ſcrup. 4. mediocris drachma 1. minor drach. ſem. minima ſcrupulus unus, pro viris, mulieribus, pueris, infantulis. Uſus nondum præſente, ſed ſaltim inſtante paroxyſmo. Eſto enim hæc regularis regula, ut tales Medicinæ ſemper ante paroxyſmum exhibeantur, & quidem ſæpius, in 2. 3. vel 4. paroxyſmis, & ſi non redierit, ſuo quoque tempore, ut ſic

sic junctis viribus, cum Natura ad expulsionem auræ febrificæ accincta operentur.

Vix memini, quin frustra ultra tertiam exhibuerim vicem, quâ plerumque februa hostilitas eliminaretur. Indiget autem hic pulvis vehiculo & liquore convenienti, qui est haustus calens cerevisiæ (si haberi possit) albæ, (si non) nigræ, cum tantillo liquamine butyri recentis: quo epoto statim in lectum se recipiat æger, sudorem inibi expectans largissimum, qui spem ipsi faciet certissimæ sanationis.

I. Steph. Strobelberg. de rem. sing. pro cur. febr. p. 10. & seq. Vide lib. Würtemb. D. Gabelkov. p. mihi 156. de medicamento universali ad omnes febres, ex concha fluviatili decorticatâ, Germ. Scheffmilterlin.

XXVI.

Magnetis stupendi effectus, & conversionis causa.

Magnetis Lapidis effectus sunt planè admirandi, & in quorum causâ reddendâ, multi docti viri laborarunt. Sunt autem magnetis effectus, vel solius lapidis, vel Ferri Magnete fricati, vel utriusque Lapidis & Ferri. Lapidis simplices effectus sunt, trahere ferrum, versus polos mundi converti. Versus polos Mundi dico: nam in plerisque locis non exactè respicit polos Mundi Magnes, sed ab iis declinat, in aliis plus, in aliis minus. Quæ declinatio à polis mundi nostro seculo præcipuè innotuit, & magni omnino usûs & momenti est. Cùm enim Antiqui, in quo Mundi Meridiano in Mari versarentur, de die saltem ex Sole cognoscerent: & per Stellas noctu elevationem Poli & in quo mundi loco secundum latitudinem

nem

nem degerent, cognoscerent: nunc beneficio Magnetis, locus etiam secundum longitudinem inveniri potest. Antiqui enim gradus longitudinis ab Insulis Fortunatis numerabant, atque ibi globi hujus mundani initium ac finem constituebant. Recentiores verò Cosmographi, cum animadverterent, Polum Magnetis & Polum Mundi in uno Meridiano consistere in 10. gradu, ultra Insulas Fortunatas, versus occidentem, circa Insulam, quæ caput viride & caput Cotno appellatur: eo loco initium longitudinis, & quidem non ex arbitrio solùm, sed naturali hac de causâ constituunt: quòd scilicet in isto Meridiano, Poli Magnetis & Poli Mundi conveniant. Ab isto initio verò & Meridiano versus Orientem, magis & magis augetur declinatio. In Germaniâ præcipuè circa Noribergam est declinatio, 10. graduum. Belgæ, qui in Norwegiam & vicina loca navigârunt, versus Orientem, declinationem Magnetis à Meridiano 16. graduum invenerunt, & ad novâ Zemblam 17. graduum in locis, magis versus Ortum sitis, modo exactis in observando instrumentis usi fint. Imò Gilbertus (a) citat quendam, qui declinationem poli Magnetis à Polis Mundi 23. graduum observarit. Unde probabiliter colligitur, summam declinationem Magnetis à Polis Mundi & Meridiano esse 23. graduum. Et probabiliter asseritur, si Hollandi iter istud versus Orientem absolverent, quo magis in loca Orientalia & Chinam versus penetrarent, eò magis declinationem Magnetis à Meridiano imminui, eos observaturos, tandemque ad eum locum versus Orientem venturos, in quo Poli Magnetis & Mundi in uno Meridiano essent, nullaque

que Poli Magnetis sit futura deflexio, in 180. gradu longitudinis opposito initio longitudinis in Occidente.

Ex quibus omnibus satis probabiliter colligitur, declinationem Polorum Magnetis à Polis Mundi, & declinationem Polorum Mundi à Polis Zodiaci esse eandem, & cum declinatio Planetarum summa sit 23. Graduum, & aliquot Minutorum, eandem procul dubio quoque esse Declinationem Magnetis à Polis mundi.

Ex iisdem satis probabilis causa conversionis magnetis & Indicis magnetici ad polum reddi potest. Sunt quidem nonnulli in eâ sententiâ, esse quosdam magnetis montes sub polo, ad quos similitudine Naturæ moveatur magnes. Verùm nec satis compertum habent, quales vel quanti isti montes sint, nec aliis mundi locis mineræ magnetis desunt, sed plurimis in regionibus reperiuntur, præcipuè in Ægypto.

Alii ad polum, alii ad stellas quasdam circa polum converti magnetem dicunt. Verùm exactè & directè polum non spectat magnes, nisi iis in locis, ubi meridianus per polum mundi & zodiaci simul transit, in aliis omnibus declinat, & quidem magis vel minus, prout loca à meridiano illo remotiora, vel illi propiora sunt. (*b*)

Deinde quod de conversione ad polum septentrionalem (*c*) dicitur, viri docti in dubium hodiè vocant. Et alii quidem in magnete duo opposita loca statuunt, quorum unum ad Boream, alterum ad Austrum dirigatur, si lapis liber & pendulus relinquatur. Quod etsi alii non negent planè, punctum tamen, quod

quod versus Austrum movetur, fortius esse illo, quod versus septentrionem tendit, atque ita magnetem potius ad Austrum, quam ad septentrionem moveri statuunt. Et quamvis nihil esset in magnete, quod suâ naturâ ad polum arcticum converteretur, sufficeret tamen ad polum ostendendum, si tantum versus polum antarcticum converteretur. Nam cùm polus austrinus arctico directè opponatur, si una pars magnetis, aut indicis magnetici ad austrum vertatur, necessum est ut altera polum arcticum monstret. Cujus rei illud insigne documentum est; quod pyxidum nauticarum & horologiorum magneticorum fabri ei parti indicis, quæ meridiem spectat, non cruci, seu illi, quæ septentrionem respicit, magnetem affricant, unde index magnetis versus austrum primariò movetur, cujus pars opposita septentrionem spectat & indicat.

Hinc ergò alii, in eam veniunt sententiam, magnetem verti versus austrum, quia vis & operatio omnium planetarum sit à meridie, cum planetæ ab ortu per meridiem versus Occasum suos cursus peragant. Verum enim verò, etsi in nostris regionibus ita sese res habeat: sunt tamen opposita loca, in quibus Ecliptica ab Æquatore versus Septentrionem declinat, & planetæ ab ortu per Septentrionem, versus Occasum suos cursus peragunt. Deinde planetæ eodem in loco non consistunt, sed alius in alio, & præterea non fixi hærent, sed singulis diebus totum cœlum peragrant. Si ergò planetas spectaret magnes, unum locum, cum sint plures planetæ, spectare non posset, nec quietus hæreret, sed perpetuò moveretur & planetarum motum sequeretur.

Pro-

Probabilior aliorum eſt opinio, qui ſtatuunt, ut res aliæ, Terra, Aër, ad ſuum locum tendunt, ita magnetem, niſi impediatur, ſemper eum ſitum appetere, quem in ſuo Natali & minerâ obtinuit. Ubi tamen experientia conſulenda, & quomodo ſitus magnetis in fodinis metallicis ſeſe habeat, inquirendum eſt.

Maximè verò probabilis illa eſt ſententia, quæ à proximâ, modò experientiâ cum eâ conſentiat, non diſcrepat, magnetem moveri verſus Zodiaci polum auſtralem, vel ſolùm: vel ſi duos polos magnes habet & una pars ejus verſus Septentrionem, altera verſus auſtrum vergit (de quo itidem experientia conſulenda) præcipuè tamen verſus auſtrum tendere: quæcunque etiam, cum eo loco, aut iis, quæ ſunt eò loci, cognationem habeat. Sufficiat illud nobis (*d*) quod Scaliger ſcribit: (*e*) Concors, inquit, atque conſentiens Natura ſibi, rerum omnium tum ſuperiorum, tùm noſtratium connexionem admirabili ſerie hac, quâ totum hoc unum eſt, perpetua neceſſitate conjungit. Ita ut non ſolum ſint in rebus, tanquam gradus, aditus, receſſus, ſeparatis: verùm etiam earum, quæ ſejunctæ penitus videatur, ſubſtantiarum commiſtiones.

a) *in philoſ. magnet.* b. d) *Sennert. l. 5. c. 4. de lap. & gem. epit. ſcient. natur.* c) *Quamcunque in Regionem transportetur magnetica Pyxis, ſcilic. cujus lingula ferrea imbuta eſt Magnete, ſemper Pyxidis lingula Septentriones ſpectat. Itaque ſi circumeas Caſtellum quodpiam, geſtans Pixydem, fiet, ut jam Caput, jam Cauda lingulâ ſpectet Caſtellum, eo ipſo, quod caput ſemper in omni parte cir-*

cui-

enitus Septentrionem spectat. Keppl. l. 4. epit. Astr. part. 3. p. 583. d) *exerc. 131.*

XXVII.

Magnes ex æquo quatuor Mundi Regionum Index est.

Magnes non magis plagam Septentrionis, quàm cæteras plagas indicat, sed quatuor ex æquo Mundi Regionum index est, cardinum, inquam, ac decumanorum: cardines cum Latinis appello Septentrionis & Austri, Decumanos verò Orientis & occasus funiculos. Acus enim ferrea leniter attrita Magneti, ab eâ parte Magnetis, quâ antequam excinderetur è rupe, ad Septentriones spectabat, si ad æquilibrium acus statuatur, extremitas lapidi attrita ad Septentriones convertetur. Eadem vis est in plagam Australem, si à parte Australi Magnetis acus atteratur. Nec minor vis ab Orientali & Occidentali parte Magnetis, tametsi lapis seipsum ad regiones mundi convertere non potest, sed tantùm acus ferrea, id autem quod diximus, nisi experientia intelligi non potest. Si enim Magnetis fragmentum ligno natanti in aquâ superposueris, & Magnetis latus, quod ad Astrum spectabat, priusquam de naturali sede dimoveretur, opposueris alterius Magnetis lateri, quod etiam ad Austrum spectabat, priusquam exscinderetur, lapis natans refugiet in oppositam vasis aquei partem: sin partem magnetis Septentrionalem Australi parti alterius magnetis in aquâ natantis converteris, magnes innatans repentè accedet: & uterque utrique, mirabili naturæ consensu conjugabitur, tametsi lignum vasis aquei intercedat. Idem quoque fiet, si vel acum

ferream, in vase vitreo aquâ pleno, & calami frustulo transfixum imposueris, ac manu magnetis fragmentum teneas, latus unum magnetis acum repellet, alterum attrahet: vel etiam acus magnete delibuta & in perpendiculo posita, illud indicabit, si magnetem manu teneas & admoveas horologio magnetico, quod Compassum vocant: experientia ipsa partes lapidis Australes ac Septentrionis indicabit. Verùm acus ferrea Magneti illita veros cardines Septentrionis & Austri non planè denotat, declinat enim versus Orientem 12. gradus, ac 30. circiter momentorum, qualium graduum circulus sit 360. id est, amplius trigesimâ parte circuli magni: nam linea meridiana denotat mirabilem illam declinationem, quam ego Stellæ polari tribuissem, nisi eadem Stella rapido motu circumageretur circa polum Mundi, ac præterea motu trepidāti accederet, & à polo discederet: cùm maximè discessit, tantùm quatuor gradibus distat: acus verò Magnete oblita situm nacta immobilis perstat.

Bodin. l. 2. theat. nat. p. 245. & seq.

XXVIII.

Magnes Ferrum trahit.

Magnes (quem meritò inter naturæ miracula habuit Fallopius, quid enim eo utilius, quid admirabilius, quid preciosius? *(a)*) est lapis mineralis, ruffus, niger, cæruleus, varicolor, vel in suâ per se minerâ, vel ferri fodinis natus inventusque, ferri adeò cupidus, & alterius *(b)* Magnetis, (oculis hoc patet.) Ipse cum hoc experirer, omnem scobem detersi à magnete, postea abrasi ab eo pulverem ex propriâ substantiâ.

Hunc

Hunc instratum papyro vel ligneæ tabulæ subtus adhibitus ille ipse, à quo abrasus pulvis fuerat, Magnes movit, (c) trahitque. Trahit autem magnes magnetem certâ parte & lineâ, quia spiritus cognatus etiam illi inest. Et naturâ appetit ferturque simile ad simile quantum potest, maximè quâ parte vis exoritur & hæret, apprehenditque alterum sibi familiare *(d)* ut id pro virium robore diverso ex distantiâ competente arripiat, sibique jungat quantum potest. Ferrum magnes trahit, & Ferrum quoque sequitur trahentem, non pro pondere inprimis, sed pro virtutibus maximè, nisi nimis id sit vastum fixumque, cum deprehensum sit leviorem magnetem ponderosius adduxisse ferrum. Evenit autem etiam, ut ipse seipsum ad ferrum promoveat, si id pertinacius restiterit. Neque tamen omni ex parte trahit excellenter, sed maxime juxta fluxum virtutis secundum lineam rectam. Itaque quâ virtus non porrigitur, convertuntur apices, & dum alter sese inclinat ad ferrum, accidit alterum averti, & ferrum quasi respuere. Par ratio est, in magnetibus diversis. *(e)* In Sardiniæ mediterraneis ad radices montium, quâ parte in orientem vergunt, narrant magnetem esse, qui trahat ferrum: sed in parte oppositâ qui abigat. *(f)* Theamedes (Germani ein Bläser / quasi reflatorem *(g)* nomines) ob id dictus. Non adeundi sunt montes toti, ut id contemplemur vel oculis nostris. Non est officina, in quâ magnes, in quâ id experiri non liceat, vel in parvâ portione. Diversæ particulæ seu massæ conferantur. Videbis has conspirantes & veluti basiantes invicem. Nam scobs ferri utrique adhærens erigitur,

&c conjungi quasi amore mutuo cupit, argumento, ibi esse quasi affectus mutui aditum & emissarium, illiciumque in societatem mutuam, tanquam amantium duorum vultus, per quos anima meat remeatq;, & corda conjuncta cupit. Si ad latus moveas portionem unam, scobs in alterâ hærens sequitur: si restituas in rectum, restituitur & ipsa, facitque quasi barbam, in quam meant remeantque ramenta. Sed oppositis partibus tantùm abest, ut fiat conjunctio appetitusque, ut etiam proflentur ferramenta hærentia in massa altera, respuantque societatem omnium, nec velint jungi. Fugiunt & delinant in latus, ad suum magnetem, in quo hærent applicati, stratique. Si removeas è regionè adhibitum magnetem, consurgunt ramenta, & in rectum situm redeunt. Itaque oppositis partibus, in uno eodemque lapide, contrariæ sunt virtutes, ipseque in partes divisus, hac secum consentit, illac dissentit, habetque sympathiæ & antipathiæ exemplum in seipso, sicut viperæ, Scorpiones, aliaque venenata in seipsis habent, & amicos suos & hostes. (*h*) Quare mira subtilitas est Scaligeri, scribentis, Ferrum non trahi, sed moveri ad magnetem, tanquam ad matricem suam, cujus abditis principiis perficiatur, quemadmodum ad centrum terra: (*i*) q. verò tanquam ad locum perfectionis suæ feratur, aut ibi absolvatur, cum videamus ferri scobem inter medios magnetes corrumpi carie ferrugineâ. (*k*) Semipedis autem ferè spatio ferrum à lapide distare oportet, quamquam lapidis bonitas, quæ rubeo colore magis probatur, atque etiam lapidis magnitudo, vim exerit efficaciorem: id autem non sine volu-

luptate ſpectatur, plurimas acus aut claves alias aliis cohærentes, ac veluti penſiles in aëre à magnetis tactu detineri, modo graviores magneti propiores ſint, & graviſſima quæq; lapidem tangat: ex quo apparet, longiore intervallo vim minui, nec aliam acum, ab alia divulſam conſiſtere poſſe in aëre penſilem, ſed alias aliis cohærere oportet. (*l*)

a) *Fallop. de morb. gall. c. 26. & 76. Th. Plater. in castastr. consult. de carbunculo. thes. 34.* b. d. c) *Libav. tractat. 3. singul. l. 1. c. 12. pag 91. 93.* c. g) *Libav. schol. ad l. c. p. 100.* f) *Plin. l. 2.* h. k) *Libav. syntagm. art. Chym. tract. 1. l. 1. c. 19.* i) *exerc. 102. 6.* l) *Bodin. lib. 2. thes. nat. p. 247*

XXIX.

Cur ferrum trahat?

Cauſam hujus miraculi quæris? Bituminoſa natura eſt principiũ hujus in magnete, quæ ad ſingularitatem cum ferro redacta directaque eſt, ſimilitudine conſpirationis, miſturæque quâ eadem principia in ferro coaluerunt: & eſt ferreus ſpiritus, bituminoſusque communis utrique, ſed non effluit continenter tamque valide è ferro, ſicut à magnete, propter diverſam coagulationem, ſeu commiſtionem. Dicimus autem ad trahendum non ſufficere cognationem ſpiritus ferri in magnete, cum eo qui eſt in ferro; ſed in magnete eſſe ſpiritum magneticum bituminoſum, cum ſpiritu tamen ferri commiſtum, contemperatumque, ut ita magnes trahat vi bitumineâ certâ ratione diſpoſitâ & affectâ erga ferri ſpiritum, trahat verò teneatque etiam magnetem, quia hujus ſpiritus cum ferro ſocietatem habet. Itaque agens ſemper

eſt magneticum, patiens verò ferreum, quamquam ex accidente eveniat, ut immoto ferro magnes ad hoc transſeat. Ut autem cupidis experiendi & ſententiæ veritatem ex naturâ, non ex opinione incerta demonſtrandi, anſam præbeamus, inveſtigationis noſtræ evidentiam & modum adumbrabimus, quâ poſſumus perſpicuitate. Magnetem tractoriâ virtute fæcundum ſelegimus, & probavimus, id quod Auguſtinus aliique, cum Hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus, de eo ſecundum veritatem tradiderunt memoriæ. Traxit ferrum & magnetis particulas diſtantia debita, & fortius quidem magnetis ramenta, quàm ferri, & utraque poſtea etiam cultrum ferreum ſequebantur. Admovi Stibio, Æri, cornu cervino, & aliis quæ obſervaveram à Succino rapi, ſed fruſtra. Experiebar in vena ferri Ilmenoitani pulverea, nihil memoratu dignum apparebat; movit idem per tabulas ligneas, vitrea, chartam &c. nec inefficax etiam fuit per chartam & lignum ſimul. Suſtulit non tantùm fruſtilla ſcobis ſingularia, ſed contexuit multa, adeò ut videretur barbatus, in morem arborum, quæ hyeme canæ pruinis videntur, vel muſco filoſo ſcatent. Ut primum autem revelleretur, detegereturque prima commiſſio cum lapide, diffluxerunt arenulæ, id eſt funiculos ex arena nectere virtute magnetica ſophiſtarũ, qua ſublata corruunt & diſſipantur. Ideò verò puto cohærere tùm ſcobem, tùm aciculas & annulos, quia à magnete trahuntur, ex certo intervallo omnes, & dirigitur virtus per prima fruſtilla viciniora. Hinc pervenit ad alias portiones, quæ non ad lapidem ipſum imediatè tendunt, ſed in extremitate priorũ particularũ ſubſiſtunt, tanquam hæ quoqȝ eſ-

essent magneticæ, aut ibi impedirentur porro procedere. Observavi autem ab omni quidem parte tractionẽ fieri, ubi non est solidum & sterile ex lapidibus vel ferrugine corium: maximè tamen ad angulos dirigitur Spiritus, ibiq; trahit efficaciter, in planis non item.
Libav. c. 12. de bitumin. l. 1. p. 92. & 103.

XXX.

Aliorum de vi tractrice opiniones.

Nunc auscultemus quasdam aliorum opiniones.

I. Scheckius: Quamobrem magnes alliciat ad se ferrum, nulla causa potest reddi alia, quàm quod facultas hæc magnetis producatur à forma magnetis: & quod ventriculus concoquat cibos, nulla alia causa est, quàm forma substantialis ventriculi: & quod calidus est ignis, nulla alia causa est, quàm forma substantiam ignis constituens, quarum formarum species, cum sensum nostrum effugiant, meritò occultæ & abstrusæ causæ esse dicuntur. *(a)*

Idem: Magnes quando dicitur trahere ad se ferrũ, diffundit in ferrum qualitatem quandam sensibus nostris ignotam, qua ferrum imbutum & affectum ultro & sponte, versus magnetem etiam quiescentem, & non localiter motum provehatur. *(b)*

Idem: Ferrum ad magnetem citari motu locali consuevit, propter qualitatem magnetis in ipso ferro κατὰ σχέσιν diffuso. *(c)*

L. Lemnius: Quâ vi magnes, in pyxide nautica (quam Plautus versoriã vocat) hæc perficiat, qui ex adverso septentrioni se opponit, eamque cœli partem obtuetur, non facilè ratione expediri potest:

quanquam multorum ingenia anxiè torserit hujus rei investigatio. Sunt, qui in mutuum consensum ac concordiã referant, qua alter alteri similitudinis ratione, qua peficitur attractio, mirificè afficiatur, sic ut magnes odoretur ferrũ in montibus Septentrionalibus, ex quibus erutus est, non secus quam vultures, naturæ sagacitate, cadavera maxima locorum distantia, biduo etiam, ut plerique opinantur, antequam cædes facta sit: multa autem perfici occultâ, abditâque facultate, quorum non facilè ratio iniri potest, palàm est, ita ut effectum rei conspiciamus, causam verò ignoremus. *(d)*

Mathiolus negat, ulli rationem, cur magneti insit facultas tantùm attrahendi ferri, compertam esse, quod nulla Philosophorum investigatio eam unquam assequi potuerit. Putat tamen necessarium esse, illam vim ei tribuisse cœlum & rerum omnium parentem Naturam, idque declarat, Rha Barbaro & torpedine, quæ maximè æmulentur vim magnetis. *(e)*

I. Fernelius: Magnetem ferrum allicere videmus, & Rhabarbarum bilem, Agaricum pituitam, epithymum atram bilem: insuper Strutiocamelum ferrum coquendo atterere, viperæ aut Scorpii veneno hominem necari: veratrum & cicutam esse homini pestifera, illo tamen coturnices, hac sturnos vesci. Horum tamen obscuræ sunt causæ, & adeò occultæ, ut percipi à nemine possint, nullâque certâ ratione comprehendi. Latent enim obscuritate involutæ naturæ, quæ dum neque evidenter percipi, neque verbis dici possunt, occultæ nobis rerum

pro-

proprietates appellantur, uti Græci ἰδιότητες ἄῤῥητοι. *(f)*

I. Langius: Sunt in macrocoſmo ſub concavo orbis Lunæ pleraque, quæ tacito virium conſenſu divinitus conſpirant. Magnes lapis ille Herculeus, ferrum ad ſe rapit: cujus affrictu ferreum in pyxide navigatoriâ ſub vitro pendulum, delibutum, arcticum ſemper polum conſectatur. Magnetis quoque contagione, acus aut ex ferro annulus infectus, alter alterum, ut in catena annulum, ſibi connectit. *(g)*

D. Sennertus: Si rem diligentius perpendamus, vix aliquid probabilius afferre licet, quam illum mutuum rerum naturalium conſenſum. Eſt nimirum, in quo jam ferè omnes, qui magnetis naturam jam diligentius perpenderunt, docti viri conſentiunt, magnes ferri quædam vena, & ex eo ferrum generari poteſt. Ubi notandum, non totum id, quod vulgò magnetis nomine oſtenditur, magnetem eſſe, non enim totus lapis trahit ferrum, ſed magnetis ſubſtantiam in lapide ſuo quaſi per venas diſperſam eſſe, ſicut & alia metalla, rarò ſola & pura, ſed in ſuis matricibus generantur. Ideoque lapis magneticus eâ etiam parte ſaltem trahit, in quâ eſt vena magnetica. *(h)*

I. Bodinus: Plerique magnetem ac ferrum ſimilitudine quadam copulari & conjungi putant: ſed non ſatis argutè, cum metalla metallis ſint ſimiliora quàm ſaxis, nec tamen ullum metallum trahit, aut trahitur à ferro: eandem ſuccini rationem afferunt, quod paleas allicit. Quid enim frumento vel paleis cum ſuccino commune? at æris & ferri tanta ſimilitudo eſt, ut alterum in alterius naturam facilè converti poſſit,

nec tamen alterum allicitur ab altero: ego libenter fateor, me causam penitus ignorare. *(i)*

a) *de occ. med. facult. l.1. c. 4. l. 2. c. 4. & 5.* b) *de med. purg. p. 197. 204.* c) *ib. p. 205.* d) *l. 3. de occ. nat. mir. c. 10.* e) *in com. in Dioscor. l. 3. c. 10.* f) *l. 2. de abd. rer. caus. c. 2.* g) *l. 2. epist. 55.* h) *l. 5. c. 4. scient. nat. epist.* i) *l. 2. theat. natur. p. 244.*

Plura vide apud Scalig. exerc. 102. 6. ex. 131. Cardan. l. 7. de subtil. Querc et. de præpar. med. spag. c. 4. Baptist. de Porta Mag. natur. l. 7. Ficin. l. 3. c. 15. de vit. cal. par. Fr. Rueum l. 2. c 24. de gemm. Paracel. l. 2. de pest. l. 3. de orig. morb. invisit.

Vide quoque centur. nostr. 4. part. 74. & seq.

XXXI.

Cur non semper trahat.

Magnes vim trahendi ferri amittit, cum igni est exagitatus, candefactusque. *(a)* flagrans enim ejus spiritus sulphureus provolat, *(b)* exitque ignitione halitus bituminosus pinguis, qui unà conflagrat, & flammis immiscetur, specie cæruleâ, bitumineâ, ferrugineâ. Hoc perdito frustrà attractionem speres. *(c)* Vidimus non sine magna animi nostri voluptate, Magnetem accensis carbonibus tumulatum, cæruleam flammam, sulphuream & ferream eructare, quâ dissipata, simul cum abeuntis animæ qualitate, trahendi beneficium amisisse. *(d)* Solet etiam aliàs exolescere virtus injuriis aëris, undique liberè appellentis, ut sic vetustate putetur fieri inutilis. Prohibetur exire unguinibus allitis, item succis tenacibus porri &*(e)* allii (quod tamen confessum negat Cardanus *(f)* nisi in imbecillibus) hydrargyro, oleo lateritio &c. Nec ferrum

rum rubiginosum apprehendit, multo minus rubiginem. Aliàs si scobs ferri pulvere defossa fuerit, aut ferrum ex alterâ parte argenteæ, vitreæ, ligneæ, lapideæ tabulæ, nihil impeditur spiritus attractorius, quin moveat ferrum sub tabula. *(g)*

a) *Libav. l. 2. singul. p. 130. 140.* b) *Id. sintagm. art. Chym. tract. 1. l 1. c. 19.* c. g) *Id. tract. 3. singul. l. 1. c. 12.* d) *Porta mag. natur. l. 7. c. 2.* e) *Lemn. l. 4. c. 10. Scalig. exerc. 112. Lang. l. 1. ep. 33. l. 2. ep. 18. citans. Drusian. ex 3. microcosm. com. 60. Magir. in com. phys. l. 5. c. 2. p. 356.* f) *l. 7. de subtil.*

XXXII.

Scoria chalybis corneæ membranæ infixa, ingeniosissima per Magnetem curatio.

Cum quidam Rusticus, chalybem apud Mercatorem emeret, optimumque eligere vellet, & proinde, ut fieri solet, frustum contra frustum allideret, scintilla ipsi in illam corneæ oculi partem, ubi Iris conspicitur, prosiliit, ibidemque membranæ firmiter inhæsit, idque non sine dolore maximo. Adstantes cum per plures dies frustra omnem adhibuissent diligentiam, dolores quin etiam atque inflammationes, mirum in modum adauctæ fuissent, venit ad me Bernam 5. Martii. Tunc prius instituta optima victus ratione & evacuato corpore, tàm per Pharmacum, quàm venæ sectionem, (est enim plethoricus) Primò instrumentis, & quidem diversis vicibus, & per dies aliquot tentavi, an scoriam extrahere possem, sed adeò erat exigua, ut instrumentis illam extrahere non licuerit. Quapropter aliam viam inire, & beneficio succuli, cujus fit mentio cent. 4. obs. 27. illam

extra-

extrahere constitui, sed iterum oleum & operam perdidi, en Uxor mea remedium longè aptissimum excogitat. Interim enim dum ego ambabus manibus palpebras aperio, illa Magnetem oculo, quàm proximè æger id sufferre potuit, admovet. Id cum aliquoties, & repetitis vicibus fecissemus (non diu enim lucem, quâ tamen hac in re summopere opus fuit, sufferre potuit) tandem scoria ex oculo, nobis omnibus videntibus ad lapidem prosiliit. Postea applicato collyrio anodyno, brevi convaluit.

Notandum autem, plerumque in uno eodemque frusto hujus Lapidis, contrarias reperiri facultates, videlicet ipsum ex una parte ferrum attrahere, ex altera verò ipsum repellere, quod idem in lapide, quo nos in hac operatione usi sumus, observatur. Ne itaque error committatur, ante operationem omnes anguli lapidis, quàm accuratè examinandi sunt ne pars illa quæ ferrum repellit, oculo adhibeatur. Facilè autem id exploratur, si limaturæ ferri in tabula aut charta munda dispersæ lapis paulatim admoveatur.

G. Fabric. obs. chirur. l. 5. obs. 21.

XXXIII.

Ferrum candens, aquâ gelidâ immersum, cur tantopere indurescit, in chalybem facessens.

An frigiditate Aquæ ferri partes conniventes coguntur, solidescentes, Aquæ ritu algore hyemis concrescentis minusque loci occupantis? an Aqua subit Ferri candentis meatus? an mollicies à Mercuriali

Aqua,

Aqua, quæ ferro candeſcente, & Aqua perfuſo expirat tota, Mercurio omni in igni fugaciſſimo? *(a)* Hæc tamen poſterior ratio contraria eſt omni ſuperiori, quæ veriſimilior eſt, cum ferrum candens Aceto immerſum, malleos reſpuat, ac frangatur potius, quam duci poſſit: ac propterea Lacedæmonii numiſmata ex ferreis baculis conflare ſolebant *(b)* eaque candentia mergere Aceto, ut fragilia eſſent, ne in alios uſus converterentur, quod ſatis argumenti eſt, Acetum ferri meatus intimos ſubire, alioquin ſubſtantia, quæ nihil intus admittit, fragilis non eſſet. *(c)*

a) *Ruland. l. 2. probl. 177.* b) *Plutarch. in Lycurg.* c) *Bodin. l. 2. th. natur. p. 256.*

XXXIV.

Lapidis Nephritidis ſolum natale, vires admirandæ.

Ante paucos Annos, *(a)* ex Hiſpania nova, allatus eſt Lapis, qui Nephriticus appellatur & non ſine cauſa, ad Jaſpides (vel Smaragdos, aut Praſios Americanos *(b)* vel ſimiles lapillos, vidi enim ipſe aliquot ſpecimina) refertur. Ejus ſuperficies ſemper pinguis & oleo illita videtur, varia ejus ſecundum colorem ſunt genera. Plerumque & ex albedine vireſcentem colorem habet. *(c)* Eum geſtant variis formis effigiatum Hiſpani, ut antiquitus ſolebant Indi, alios Piſcium forma, alios avium capitibus, alios Pſittaci roſtris ſimiles, nonnullos Sphærularum modo, atque omnes perforatos, quoniam Indi eos appenſos geſtare ſolebant, adverſus Nephritidis, aut ſtomachi dolores, in quibus morbis valdè commendatur. Sed ejus præ-

præcipua laus est ad Nephriticos dolores, & ad calculum expellendum & arenulas. *(d)*

a. c) *Sennert. instit. med. l. 5. part. 1. sect. 1. c. 17. Epit. scient. nat. l. 5. c. 5.* b) *Libavius in cist. med. ep. 38.* d) *Monard. in histor. simpl. Ind. p. 61.*

XXXV.

Observationes raræ & inauditæ de Lapide Nephritico.

Nobilis mihi notus, unum habet, cui nullum alium comparandum vidi; nam eum brachio gestans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut, metuens ne ei noceat tanta ejectio, interdum eum deponat, nullumque amplius calculum ejicit. Sed cum dolor eum premit, denuo eum gestat & statim levatur aut minuitur dolor multarum arenularum, atque etiam calculorum expulsione. Eâ etiam occultâ qualitate præditus est, ut ab ejusmodi dolore præservet gestatus, renum calorem mitigando.

Ducissa Bejar ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide sibi confecit, quam perpetuò gestat, ex eo tempore, (quod decennium superat) eo dolore nunquam vexata est. Alii multi senserunt idem levamen, eamque ob causam magno in pretio sunt hujusmodi lapides, nec uti initio, tàm facilè acquiri possunt, quod soli earum Provinciarum Reguli & Domini eos possideant, nec immeritò, cum tàm admirandæ sint illorum facultates. (*a*) Sic lapidem hunc, in carpo manus, ni fallor sinistræ gestabat nobilis quædam Wirtenbergica fæmina, solita ante hac plurimos calculos excernere. Sed post admotum lapidem, non calculos amplius, verum limum

limum (turbidam limosámque aquam) saltem egessit, unde opinio esse potest, prohiberi consistentiam vi istius lapidis. *(b)* Negotiator quidam Lipsicus, non ignobilis, indagator virium rerum exoticarum solertissimus ac diligentissimus, qui ter emensus iter in Regiones Orientales, ex iisdem, inprimis verò ex Urbe Byzantina stupendam Lapidis Nephritici copiam secũ attulit, adeò ut thesauri non vulgaris loco eum habeat, illiusque partim artificiosè elaborati seu præparati, partim crudi, duodecim millium florenorum se jactet divitem, mihi retulit, de Nobili quodam, diu nephriticis doloribus miserè excruciato, cui cùm cætera vulgaria remedia, nec quicquam opis aut levaminis attulissent, illum tandem, ab aliis per suasum, ad hunc lapidem confugisse, cujus particulam emptam, collo, ut erat doctus, appendit & dies noctesque ita gestavit. Elapsis aliquot paucis septimanis, cæperunt unà cum urina egredi infinitæ arenulæ, ac lapilli quasi confracti seu contusi, quos ante lapidis appensionem tantummodò integros & quidem fabæ magnitudine, non nisi ingenti cum difficultate excernere interdum solebat, & hæ arenulæ, non tantùm eidem per canales urinarios, verum etiam, (quemadmodum ipsemet fassus est) per utrumque oculorum, nec non per habitum totius corporis externum, in magna abundantia expulsæ fuêre. 2. Affirmavit idem Mercator, cum aliquando, propter nephriticos dolores, per quinque dies hunc lapidem gestasset, tantam arenularum copiam per angulos oculorum ipsi expulsam fuisse, ut ob earundem salsedinem & acrimoniam uterque oculorum tanta rubedine fuerit affectus, non aliter ac si inflammatione qua-

quadam tentati fuissent. Cui quidem incommodo, si is diligenti oculorum ablutione, quotidie occurrisset, rem benè se habuisse, illâ autem neglectâ, per somnum sequentis noctis, tantam arenarum multitudinem in oculis coacervatam fuisse, ut agglutinando palpebras, impedimento fuerint, quo minus oculorum apertionem liberam & expeditam haberet, sed ad hanc juvandam, rerum emollientium adminiculo oculis impositarum, indigeret. 3. Affirmavit quoque, se aliquando propria excrementa alvina, ab aliquot diebus collecta, aquâ abluisse, in qua aqua postmodum ab excrementis illis separata, tanta sabuli subalbidi ac crassi subsederit copia, quantæ dimidia pars ovi anserini vacua vix capax existit. Quam quidem sabulosæ materiæ multitudinem, solius lapidis Nephritici gestati virtute, è corporis recessibus interioribus ita foràs exturbatam fuisse, ex eo is sibi persuadebat, quod alio tempore, quo gestationem hanc intermitteret, ne quicquam tale fæcibus intestinorum inhærens deprehendisset. 4. Diligenter quoque ille annotavit, interdum ex gestatione hujus lapidis, non solùm pelli arenulas, ac sedari dolorem calculi: verùm etiam alvum quoque vehementer laxari, non secùs, ac si quis pharmacum hausisset, & destillationes à capite in thoracē, insensibiliter quasi absumi, quemadmodum se in propriâ uxore hujus rei indubitatum vidisse experimentum, narravit. Illa enim, cum molestissima destillatione seu catarrho, ex capite in pulmones impetuosè descendente, afficeretur, variisque medicamentis, à Medicis præscriptis, usa, pejus semper haberet, tandem Maritus illi Lapidem appendit Nephriticum (motus nimirum hac ratione, si illi

si ille tanta polleret vi, arenulas è capite proliciendi, ac per oculos eas expellendi, utique non segniorem quoque eundem debere præstare operationem, in materia catarrhali, tùm exsiccanda, tùm prorsus absumenda.) Unde primo die 14. vel 15. secundo 9. vel 10. tertio pauciores habuit sedes, sequentibus verò singulis, non nisi semel tantùm, naturali modo ad excretionem stimulata fuit. Et cum per 3. septimanas illius gestationem continuasset, tandem præter omnem opinionem, à destillatione istâ liberata, exoptatæ sanitati integrè restituta fuit. 5. Et similem ferè effectum, ait se quoque in socru suâ, observasse, cui diuturnis ac gravissimis capitis doloribus miserabiliter excruciatæ, cum Lapis Nephriticus appenderetur, interjectis paucis aliquot diebus materiam peccantem in capite liquefactam, instar seri crassioris puri permixti, per utramque aurem effluxisse copiosissimè, per dierum sesquidecadem, adeò ut ad illius absterſionem & exsiccationem, quotidiè spongiolâ novâ uti necesse habuerit: tandem verò fædo illo fluore cessante, capitis quoque dolorem paulatim evanuisse omnem. 6. Sic cuidam Cophinopæo seu viminario Lipsiensi, calculi doloribus exquisitissimis diu excarnificato, appensione & continuâ postea Lapidis gestatione, non solùm in totum cruciatus isti ablati fuêre, verùm etiam, cum illius lotio crasso admodum, limoso ac turbido, tantus lapillorum, arenularumque numerus quotidiè ferè protrusus fuit, ut inde non tantùm in meatu urinario, sed in ano quoque dum excerneret, non levem ardorem, acrimoniam & erosionem perceperit, quam ob causam quoque, lapidem hunc per aliquot dies à corpore

Nn remo-

removere tandem coactus fuit. 7. Fuit quondam civis Lipsiensis, cui semel atque iterum in Anno alterutrum crurum ædematoso tumore afficiebatur, qui quidem, licet initio videbatur exiguus, progressu tamen temporis in tantam excrescebat molem, ut & dolorem accerseret ingentem, & unà quoque ambulandi difficultatem induceret. Ad liberandum igitur pedem ab istiusmodi tumore, ille nullo alio remedii genere,quam solo lapide Nephrit. de collo suspenso usus fuit, quo id effectum fuit, ut non solum dolor remiserit,verùm etiam indies tumor paulatim decreverit, ac tandem in totum evanuerit, qui tn. potius repullulare & adaugeri postliminiò videbatur, ex neglectâ vel intermissâ, per unum aut alterum diem, dicti lapidis gestatione. 8. Virtus quoque hujus lapidis eximia planè est in remorata aut suppressa urina provocanda,cujus quidem effectus egregium vidit specimen Senator quidam Lips. in duobus suorum liberorum, qui cum non nisi ingenti cum dolore mejerent, tandem Lapidis Nephr. appensione adjuti, expeditè postmodum hoc naturæ munus obierunt. 9. Tandem & hoc singulare & admirandum habet lapis iste, quod aliquandiu gestatus, toto ferè corpore ingentem excitet pruritum, adeò ut gestantes illum, subinde ad scalpendũ sese impellantur, pruritus tamen iste non toto gestationis tempore perdurat, sed bidui aut tridui spatio cessat ac sistitur,quem tamen facta hujus lapidis, per unum aut alterum diem remotione, ejusdemque postea iterata applicatione, rursum excitare poteris. Nonnunquam etiam idem solet plures cuniculos subcutaneos parere, qui si vel manuum frictione rumpantur,vel acu aperiantur, non exiguam minutis-

nutissimarum subtilissimarumque arenularum intra illorum cavitatem collectarum, quantitatem exhibent & effundunt.

a) *Monard. l. c.* b) *Libav. l. c. ep. 38. & 43.* c) *Unzer. de nephrit. l. 1. c. 27. & 24. Boët. de gem. & lap. l. 2. c. 110. Vidius l. 10. curat. c. 20. Plater. de dolor. c. 12. l. Fragos. in hist. medic. simpl. Ind. c. 2. Fr. Ulmus de occ. med. prop. l. 2. c. 7. Donzellin. in Consil. Scholz. 148. Witich. l. germ. de lap. Nephr. Neand. in præfat. Phys. l. 1. Phys. p. 142. Renodaeus l. 2. sect. 2.*

XXXVI.

Lapis Nephriticus, quâ vi polleat, ambigitur.

Qui lapides hodie contra Calculum gestantur, aut Jaspides sunt aut Smaragdi, varii enim ostenduntur. Hi si dejicere arenas lapidesque possunt gestatu, vires spiritusque habeant necesse est, quorum præsidio id peragant. Posse verò comprobatum exemplis est, quamquam manente quæstione, propria ne vi id effectum reddiderint, an aliena. Nam evenit interdum naturam stimulatam, vel sola persuasione, firmaque fiducia de aliqua re concepta id peragere, quod nos objecto, primum motum danti Phantasiæ adscribimus. Sed nec in omnibus par est efficacia, uti nec par assensus, fidesque, nisi velis dicere, non tantùm patientem debere esse calculosum, sed & talem dispositionem habere, ut lapidis vim admittere queat. Actiones enim & passiones sunt inter determinata, ideò & varietas interdum evenit in experimentis, dum alius purgatur valdè assumto Cassiæ extracto, alius ne tantillum quidem. Sic Cantharides gestatæ aliquibus movent cruentas urinas, non omnibus. Cinaba-

ris factitia Assylvani in plurimis non operata sic est, ut in raris quibusdam, sive imaginatio vim adjuverit, sive dispositio. Hydrargyrus præsentia sola salivationes in aliquibus excitat, non in omnibus. Sic Lapidem Nephriticum in multis inefficacem gestatu deprehendimus; at in aliquibus etiam efficacissimum, quod nos novimus certis exemplis & personis. Idiopathias experientia discimus in singulis, non in generibus totis semper.

Libav. tom. 1. syntagm. arc. chym. l. 1. c. 14. & 19.

XXXVII.

Lapidis Nephritidis usus internus.

Præparatur Lapis Nephriticus, singulari ac secreto quodam artificio, & præparati drachma una & semis pro dosi, cum aqua petroselini vel juniperi exhibetur. Hoc tamen observandum, alvum prius à saburrâ excrementitiorum humorũ debere esse liberatam, aliàs Lapis ille, quoscunque invenit humores crudos, secum ad renes, specificâ quâdam proprietate rapit, sicque obstructionem meatuum urinariorum, ne liberè profluat urina, causat, quemadmodum hoc in seipso expertum fuisse, supra dictus Mercator Lipsiensis mihi retulit. Nam cum aliquando tentaretur Nephritide, & dolores satis acerbi essent, idcirco ut eò citius ab iisdem sese liberaret, non evacuato prius corpore, intra horas 7. bis drachmam unam & semis Lap. hujus præparati sumpsit. Verùm hoc incommodum subsecutum fuit, ut non nisi cum ingenti ardore ac difficultate mejerit, urinaque exiens viscosa planè ac limosa, instarque glutinis extensibilis extiterit. Idem quoque narravit, sibi aliquando ex triduanâ

hujus

hujus lapidis, pro profligandis Lithiasis cruciatibus, sumtione, tandem molestissimum ardorem urinæ excitatum fuisse, ad quem tollendum Medici postea opera indiguerit. Admonitos itaque velim omnes eos, qui Lapide hoc uti volent, ut prius debitam ac convenientem corporis evacuationem instituant, antequam illius usum ineant, sic enim spe sua in sanando hoc periculoso affectu minimè frustrabuntur.

Unzer. de nephrit. l. 1. c. 27.

XXXVIII.

An è nive vel glacie Crystallus generari possit.

Quod Plinius Crystallum gelu vehementiore, ex nive glacieque fieri memorat: *(a)* id G. Agricola *(b)* & Cardanus reprehendunt, quod Crystallus sit succus intra terram à frigore conglutinatus & condensatus, quod in frigidissimis regionibus, in quibus, non modo rivi, sed etiam maximi amnes ad vada usque glaciantur, non reperiatur: ut nec in Alpibus glacies multis annis, imo seculis perpetuo frigore in Crystallum induratur, quod eadem denique calore Solis non liquescat ut alia à frigore congelata *(c)* sed igne in calcem seu terram & Sal redigatur, & omninò à spiritu salino aut lapidescente succo coaguletur. *(d)* Plinio tamen plures adstipulantur, tùm ipsius autoritate & rationibus, partim aliis permoti. Non tantum enim nomen id postulat, cum κρύσαλλος Græcis tàm glaciem, quàm lapidem Crystallinum indicet, παρὰ τὸ στέλλεσθαι ὑπὸ τοῦ κρύους, quod à frigore vel gelu contrahatur, dictum: sed & loci natales persuadent. Invenitur enim iis in locis, ubi ma-

ximè nives hybernæ rigent, ut in Alpium adeò inviis, ut plerumque fune pendentes eam extrahant, quodque in Asia & Cypro aratro eruatur, & à torrentibus deportetur. Sicut è rupibus Percinianis, quæ sunt in extremis Noricis & summis ibidem in montibus, nulla humo tectis, avellitur. *(e)* Quid? quod ipse Cardanus *(f)* sibi contradicat, & Crystallum perspicuam, facileque liquabilem, ex aqua pura, à frigore coagulari scribat, & ex aqua pluvia? *(g)* Nivis enim calore, per frigoris vehementiam expresso, remanens aqua in glaciem congelatur, & mora temporis in lapidem comutatur: non aliter, quam pisces, aliaque vi frigoris lapidescere possunt. Quid igitur ad opposita dicendum? Largimur quod ex humore aqueo, per excessum frigoris Crystallus oriatur: affirmamus etiam, quòd in frigidissimis locis frequentius colligatur: non tamen sub terra semper, in venis duntaxat metallicis, sed etiam supra terram gigni talem, quod experientia confirmat, certum est; neque tandem, à Solis calore liquari potest, ut Agricola requirit, *(h)* cum sit à frigore concreta: summa enim frigoris intensio tantam eidem soliditatem, quam calor modicus evincere nequit, attulit. Tametsi Crystallus etiam caloris impatiens sit, ardentissimis enim fornacibus, diuturnaque flammâ liquatur, & liquatus rursum *(i)* concrescit, & in calicem crystallinum, si liquor calidus infundatur, rumpitur. Non solùm itaque crystallus in terræ gremio, sed in superficie montium frigidissimorum (qui perpetuarum sunt nivium) è nive vel glacie consolidari potest, ut ostensum. *(k)* Quod Sebast. Verro confirmat, qui Crystallum proveni-

venire amplissimè asserit Alpibus, quæ Helvetiam ab Italia dirimunt. *(l)*

a) *l. 37. quæst. nat. c. 2.* b. h) *l. 6. de nat. fossil.* c) *l. 7. de subtil. Fuchs. de comp. med. l. 1. c. 18.* d) *Sennert. physſ. l. 5. c. 4.* e) *Scalig. exerc. 119.* f) *in calc. l. subtil.* g) *Card. l. 1. de variet. c. 6.* i) *Bodin. l. 2. theat. nat p. 229.* k) *Tandl. l. Disp. 5. meteorol. probl. 8.* l) *Mageir. in comment. Phys. l. 5. c. 2.*

XXXIX.

Crystallus unde lucida & tamen terrestris.

Crystallus quamvis tota terrestris sit, tamen lucida est, quia humidum redundans totum est transmutatum in terreum, quod inde fit manifestum, quia si crystallus comburatur, nihil humidi resudat, & generatur tantum cineris, quanta erat quantitas crystalli. Igitur per consumptionem humidi superabundantis, intelligitur transmutatio illius humidi in terram, quæ transmutatio fit ab intenso frigore & siccitate, quæ secum est conjuncta, humidum tamen illud in terram transmutatum, reservat pristinam luciditatem, & miscetur cum aliis partibus terreis, & fit Lapis pretiosus.

Fallop. de fossil. c. 8.

XL.

Crystalli facultates insigniores.

Crystallus udam efficit linguam, atque humore fluitantem, sitimq; ac calorem comprimit; si subinde aquâ gelidâ maceratus ori immittatur. *(a)* Drachmæ pondere, cum oleo amigdalarum, præsens est, verum & unicum, contra Mercurium sublimatum haustum. *(b)* In tenuissimum pulverem redacta, & cum mel-

melle, vino aut juſculo exhibita. Lac à proprietate augere dicitur. *(c)* Trita & in vino auſtero pota, Dyſentericis, quòd multum exſiccet, auxiliatur. *(d)* albos menſes ſiſtit. *(e)*

a) *Lemnius de occ. nat. mir. l. 2. c. 30.* b) *Anton. Gallus. de ligno Sancto p. 33.* c. e) *Sennert. l. 5. c. 4. ſcient. nat. epit. Dom. Leon. l. 4. prax. ſect. 2. c. 3.* d) *Fuchſ. l. 1. c. 18. de comp. med.*

XLI.

Vaſa Cryſtallina metallicis ſalubriora cur.

Cryſtallina vaſa, ex Cryſtalli glacie, hyberno frigore, ſub nivibus intra rupes concreta, ſculpta, in delitiis olim habebantur: quibus noſtra ex vitro conflata pocula, in cenſu ſunt proxima: quæ eo nomine ſunt metallicis ſalubriora, quod de nulla ſulphuris, aut argenti, plumbi ac ceruſſæ virulentiâ participent, & ſuo congenito frigore, ſaporem vini, quavis nive & glacie melius conſervent. At quando cum divitiis, amor quoque Argenti & Auri crevit, & Auri ſacra fames pectora hominum obſederat, tùm plurimùm, quamvis ſerò, ſalubriora ex figulari terrâ, lignis & vitro pocula metallicis ceſſerunt.

Lang. l. 1. epiſt. 29.

Vide centur. 4. memor. part. 100. cent. 6. part. 76.

XLII.

Adamantis etymon; ejusque vires, indomitæ duritiei non eſt, ut olim creditum.

Adamas, Lapis indomitus & duriſſimus ἀπὸ τῶ

ἀ ἡγῶ

ὁ καὶ δαμάζω dictus, id eſt domo; quod nulli materiæ cedat, ne ferro quidem, *(a)* incudibus deprehenditur, ita reſpuens ictum, ut ferrum utrumque diſſultet, incudes ipſæ diſſiliant, quippe duritiei inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura & nunquam incaleſcens. Unde & nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit. *(b)* Dictus eſt & Amchites, quod pavitantium animos à vano metu liberet, Germanis Demuth oder Demanth. *(c)* Sed falſo hoc creditum eſt à veteribus, Adamantem mallei ictu non frangi: (tantùm enim abeſt, mallei ictum reſpuere, ut etiam in ſcobem malleo redigatur; faciliimè quoque atteritur piſtillo ferreo: eo etenim in mortario confringi & atteri ſolet, quoniam ejus ſcobe alii Adamantes expoliri ſolent) ſed Hircino duntaxat ſanguine maceratum rumpi: præſertim ſi (ex quorundam ſententiâ) Hircus prius apium, aliasque diureticas plantas depaſcatur, vinumque bibat. Sed nec Magnetem impedit, quin ferrum trahat. Nam ſæpius id experiri volui, ſed figmentum eſſe deprehendi. *(d)* Ignibus quoque cedit, & in calcem redigitur flammâ diuturnâ. Ac tametſi ardenti igni appoſitus horæ ſpacio lucem ac ſplendorem amittit omnem in ſuperficie, non propterea tamen perit: nam ſi rurſus poliatur, ſplendorem recuperat, ſed pondere minuitur, ac paulatim totum corpus ignibus conſumitur. *(e)* Fabuloſum etiam eſt, quod Adamantis aciem plumbo obtundi putant, propter Argenti vivi cum Plumbo commixtionem. Nam quemadmodum & ferrum vincit & reliqua metalla: ſic etiam Plumbum eadem facilitate penetrat, quâ Napum penetraret. Illud verò ſæpius expertus

 ſum,

ſum in Adamantibus exquiſitis: ex mutuo attritu ſic glutinari, ut facilè ſeparari non poſſint: *(f)* (nimirum attritus calefacit attenuatque (*g*) & ſpiritus evocat) Sic etiam Adamantem vidi ubi incaluiſſet, feſtucas trahere, non ſecus ac electrum. *(h)* Contra Incubum amuletum eſſe, & peſtiferis cauſis reſiſtere perhibetur. *(i)* Venena quoque deprehendit & irrita facit, ſeu hauſtus, ſeu ſiniſtro brachio alligatus, quocirca Regibus unicè expetitus, maximi ſemper precii fuit. Lymphationes quoque, ſi credimus abigit. *(k)* Venenatus eſt *(l)* ejusque pulverem propinatum Dyſenteriam gignere docent. *(m)*

a) *Adrian. Jun. in Lex.* b) *Plin. l. 37. c. 4.* c. k) *Fuchſ. l. 1. de comp. med. c. 18. J. Anton. Sarracon. de peſt. c. 7.* d. f. h) *Gart. ab Horto l. 1. arom. hiſt. cap. 47.* e) *Bodin. theat. nat. l. 2. p. 231* g) *Libav. tract. 3. ſing. lib. 5. ſchol. ad cap. 19.* i) *Sennert. epit. ſci. nat. l. 5. c. 4.* l) *Sant. Ardoyn. l. 2. c. 23. de venen. Phil. Camerar. cent. 1. hor. ſucc. c. 7. ex l. Anton. Menavii, hiſt. turc. l. 2. c. 22. Avent. l. 7. Card. l. 3. de ven. c. 23.* m) *Plat. de dolor. p. 882. Hoc utrumq; negant Anſ. Boet. de gem. lib. 2. c. 24. qui ex Garcia ab Horto l. c. refert, mancipia quadã plurimos Adamantes, ut furtum tegerent, devoraſſe, quos poſtea integros, absq; jactura valetudinis, egeſſerunt: Mulierem etiam quandã Marito antiqua Dyſenteria laboranti Adamantis ſcobem per multos dies propinaſſe, absque ullo detrimento. Cardanus contrad. l. 2. tract. 5. contrad. 9. Scio (inquit) Gemmarium, qui mihi faſſus eſt, ſe pluribus vicibus cuipiam Adamantem, drachma unius pondere, ſub forma pulveris ſeu ſcobis dediſſe, non tamen magis obfuiſſe, quam ſi panem comediſſet. Alius pariter cùm inſaniret, plures acies & fruſta Adamantis devoravit, nec quicquam paſſus eſt; vide*

de

de decis. apud Casalp. l. 3. spec. med. c. 32. Sennert. c. 2. de caus. dysent.

XLIII.

Molaris & Pyrites aceto inebriati, tàm corpore, quàm vapore, scirrum Lienis, devorant, tumoribus item podagricis & convulsis utiles.

Lapis molaris, (quo frumenta teruntur in mola, Græcis (*a*) μυλίτης) Marchasita, vel (*b*) pyrites (sic dictus, quod ex eo ferri, aut alterius duri lapidis conflictu ignis excutiatur, Germ. Kyß/ Kupfferstein/ Kupffer Ertz/ (*c*) nominatur) aut alius siliceus durus, si in aceto acerrimo extinguatur, pannisque linteis obvolutus, spleni duro sæpius adhibeatur, illum emollit: vel si ab iisdem lapidibus candentibus, aceto aspersis vapor elevatus, pannis excipiatur, & cum illis sic lateri admoveatur, vel vapor ipso latere excipiatur. (*d*) Ita paratus, vaporem emittit, ad resolvendam duritiem, in Podagricis valdè proficuum. (*e*) Pyrites cum aceto acerrimo illitus alphos delet & vitiligines. (*f*) In lapidem pyritem, vel molarem, ab igne flammantem, acerrimum acetum infundito, cui scylla intabuit, & convulsam (ob humoris congelationem) particulam sic adaptato, ut calidum vaporem commodè excipiat, & circumpositis stragulis cooperiatur, ut sudet. Hoc præsidio feliciter quis uti poterit, (post universalia & inunctiones) magna cum laude: nec minori cum emolumento in maturandis ac discutiendis scirris, mirificam opem præstat. (*g*)

a. g) *Forest. l. 10. schol. ad obs. 114. Solen. sect. 1. consil. 19. Gal. l. 14. de cur. morb.* c. d) *Plat. de vit. p. 135. 136. Forest. l. 20. obs. 10. Gal. l. 2. ad Glaucon.* c) *Fuchs. lib. 1. de comp. med. c. 18.* e) *Dom. Leon. l. 6. pr. s. 3. c. ult. Holler. prax. p. 90.* b. f) *Plat. de vit. p. 185.*

XLIV.

An Ægri, vel Medici fiducia, in curatione, plus valeat.

Si occultatione & nominum censu valent Medicamenta, quis est nostrûm, quin mirifica excogitare possit? est tamen in persuasione ægrotantium, & supercilio Medicorum aliquid. Hi enim lucrantur plus, illi citius juvantur, fiducia magis, quàm medicamenti virtute: quomodo omnes morbi narrantur, miraculo curati esse pulvere, quo siccare solemus literas adhuc madentes: alius cum superstitione dato Cupressi pulvere, omnem Epilepsiam sustulit: Hydropicus convaluit decocto urticæ fatuæ, seu Galiopsis albæ ex cerevisia: quidam febricitans popofcit stillatitiam, & accepta fontana convaluit. Infinitus est numerus talium. Observavimus quosdam chartulas, in quibus Medicamentorum formæ (Receptas vocant) comedisse, & sanitati restitutos esse. Tantum potest apud plerosque concepta in re aliquâ opinio, vel potius fiducia. (*a*) Ipsi Medici negant sua arcana prodesse, si sciantur, sicuti Magi plus virium tribuunt ignotis characteribus, quàm notis. Panacea, cùm nesciretur, quid esset, multos juvisse ferebatur: cùm cognitum esset, omnis ejus gloria evanescebat. Hoc quæro, ægriné an Medici fiducia plus

plus valeat: Pulvis Saxonicus mirabilia operari dicebatur, cum quid esset, ignoraretur. Jam planè nihil facit, imò contemnitur, licet patientes nesciant compositionem. De pulvere Marchionis, qui subinde novus fit à novis Medicis, grandia audiebamus. Quid de magnificentissimis Paracelsi, Thornheuseri, Gramani, Suchtenii, & aliorum? Cur moriuntur, aut saltem ægrotant homines, tot Deorum manibus pollicentibus? *(b)*

a) *Solenand. sect. 5. consf. 15. obs. 17.* b) *Libav. epist. 41. ad Schnitzer.*

Vide centur. 2. memorab. part. 12.

XLV.

Sibi ipsi an quis medeatur.

Medetur quis, vel sibi ipsi, vel aliis, habitu licet eodem, ut multùm tamen dispare confidentia, & alacritate. Omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus, inquit ille, & qui aliis rectè consulere potest, dum corpore & mente valet, simul atque ægrotare cœperit, animum quoque in consensum corporis imbecillitas pertrahit, ut vel non videat, quid agendum, vel certè propter cupiditatum vehementiam à recta via se ut plurimum abduci patiatur. Itaque rectè Medici ægrotantes, personâ Medicâ depositâ, non jam sibi ipsis mederi, sed aliorum Medicorum rectè valentium consilia expetere & exequi solent.

Zvving. in prosf. med. c. 2.

XLVI.

XLVI.

Sanguis non in Orichalceas pelves, sed in stanneas mittendus.

Cum sanguis in pelves Orichalceas ex vena mittitur, siquidem debilium est virtutum, corrumpitur, fitque valdè cacochymus; non item cum excipitur stanneis, id quod aliquoties probavi.

Libav. in ep. 56. ad Schnizer. p. 165. epist. med.

XLVII.

Historia mirè curatæ Syncopes.

Rusticus quidam Patavii supinabat ægrum ex colico dolore, in Syncopen prostratum, & digitum minimum immittebat ejus umbilico, ac volvebat bis aut ter ægrum, quo digitus penitus invaderet umbilicalem fossam, mox magna vi digitum extrahebat, ita ut plurimus aër unà eliderecur, atque ita ille ægros subitò revocabat.

Heurn. de morb. pect. c. 9.

XLVIII.

Exempla subitæ curæ.

Narro quod ipse observavi. Restitueram febricitantem perfectè, quod ad morbum attinet. At illi animus nihilominus erat aggravatus, & recurrisset morbus ex affectu. Interveniebat cum nummis tabellarius. Ea Medicina è vestigio omnem adimebat recidivæ metum. Exultabat enim æger, fatebaturque se prorsus sanatum. O felicem inquam Medicinam!

2. Fuit quidam bonus vir, cui dentes dolebant; is curabat accersi dentivulsorem. Plures dies noctesque ægrotaverat ob dolorem. Ille verò saltim tacto den-

tu

te (obleverat autem digitum unguento) ita dolorem sustulit momento, ut præ gaudio exiliret patiens.

3. Narro historiam fæminæ melancholicæ ob desiderium absentis viri. Semestre elapsum est & consumptum in morbo; rediit vir salvus, ecce illo ipso momento convaluit.

4. Alteri cuipiam intestina doloribus ferè rumpebantur, injiciebatur clyster, dictum factum convaluit.

5. Alius præ plethorâ, jam jam apoplexiâ erat jugulandus, accessit Barbitonsor, & secta vena momento restituitur.

6. Novimus virum amplissimum, cui Enterocele extra peritonæum prominens, ingentem pariebat cruciatum. Accitus lithotomus, reposuit intestinum, mox risit.

Libav. de Panacea Am Wald. p. 58. Antigram. p. 325.

XLIX.

Exemplum temerarium & infelix curati Sudoris Anglici.

Plebejus quidam à lue Anglicâ correptus, regulas tunc vivendi præscriptas contemnens, in furnum accensum, unde panes jam modo cocti educti fuerant, se penetravit: in quo cum totus jam sudoribus destillasset, languidiusculus jam redditus tandem emersit: porrò quotquot deinde de illo pane, qui postea in hoc furno excoctus fuerat, comederunt, rabidâ morte mox abrepti fuerunt.

Sim. Riquinus in ep. de febr. sud.

L.

Decubitus in dorsum panacæa Herniarum.

Herniam in Senibus difficulter & vix curari posse, testan-

testantur viri docti, & ipsa quoque Experientia fidem facit. De Sanitate tamen semper benè sperandum esse sequens historia confirmat. Generosus quidam Bernensis sexagenarius, sed optimo corporis habitu præditus, præterquàm quod doloribus podagricis ab aliquot annis obnoxius fuerat, spacio viginti annorum insigni ac maxima hernia intestinali laboraverat, ad quam curandam, cùm me, tùm alios in Galliâ & alibi expertissimos adhibuerat Medicos & Chirurgos, sed frustra. Tandem, cum de sanitate recuperanda, nequidem cogitaret amplius, & subligaculis, ne ingravesceret malum, uteretur, in morbum incidit, Anno 1618. à quo, ultra menses 6. lecto affixus fuit. Post morbum hunc, ne minimum quidem indicium præcedentis Herniæ sensit, nec amplius utitur spleniis aut subligaculis. Ex his manifestum fit, quietem & decubitum in dorsum, unicam esse Panacæam Herniarum.

Fabric. l. 5. observat. chirurg. 54.

LI.

Empirica in Hernia.

Recentiores affirmant, Hyppoglossi, (bislinguam vocant Itali) pulverē aliquandiu in consolidæ radicis decocto potum Enterocelas persanare, tàm evidenti efficaciâ ut primis assumptionis ipsius diebus, intestina protrudi videantur: quapropter tàm diligenter providendum, ut istis diebus laxatum, vel apertum inguen exactè aptis falciis & splenio firmetur, firmatumque contineatur, ne quid damni detur ab istius usu imprudenti.

Auricula muris, dicta herba, non Dioscoridis, sed quam

quam vulgò Piloſellam vocant, antiquis, ut videtur, ignota, inteſtinorum hernias percurare certum eſt. In Majo collectæ herbæ integræ pulverem infantibus, imò pueris herniosis, continuò in cibis, in lacticiniis, puerilibusque pultibus ſeu pulticulis exhibitum, comperi mirum in modum profuiſſe.

Experimento item comprobatum, Lunariæ minoris nominatæ pulviſculum in decocto conſolidæ, vel vino rubro ad tempus exhibitum, pueros potiſſimum curare.

Perfoliata dicta, inſignis herba, etiam characteriſmo & Naturæ ſignaculo in foliis, quæ à ſtipitibus media perforantur, publicè propoſita & deſignata, ut in hoc affectu ſingularem latura opem, videatur: quocunque modo, vel in vino decocto, vel in pulvere, (ſemen pueris lacteis in cibis) vel in aquâ ipſius deſtillata exhibita, rupturas ſanat.

Novi, qui hunc affectum, 9. ex ordine diebus, cinere lactantis leporis, in vino rubro, vel decocto conſolidæ majoris exhibito ſanarunt.

Peucerus, vir doctrina inſignis, narravit D. Adolpho Occoni, Medico Auguſtano, & mihi Ann. 1566. ſe puerorum Hernias, recentis coagulati & in caſeum formati lactis impoſitione ſanaſſe.

Solenand. ſect. 4. conſil. 13.

De Herniaria Hollerii vide centur. 3. part. 48.

LII.

Hiſtoriæ, de curatâ Podagrâ.

Patiens erat hoſpes publicus. Medicus quidam Nobilis Eques, qui pacto 300. floren. ſanationem promiſit, & recepto autographo, curam aggreſſus eſt.

Patiens jussus est pedes imponere trunco ligneo, adeꝛant fortes servi Nobilis, qui sedentem tenerent. Ipse Nobilis malleo ferreo instructus, sex clavis pedes affigit ligneo trunco, moxque miserabiliter ægrotum clamantem reliquit, & se in equos conjecit. Interim crebrò expiscatus est, num morbus fuisset reversus, cognitoque jam elapso triennio non rediisse, ipse repetiit hospitium, & jocatus cum hospite cognovit de sanato morbo: itaque chyrographum produxit, & se Medicum fuisse ostendit, poposcitque sostron. Consentit hospes, licet crudeliter tractatus, Equitē tàm diu pavit, cum suis, donec trecenti floreni essent consumpti.

Cum non ita dudum una essemus amici, incidimus in colloquia de Podagrâ, & aliis Arthriticis morbis. Nobilis quidam ajebat, in Italia etiam equos Podagrâ corripi. Remedio esse incisionem corii in femore, & venæ in crus descendentis dissectionem, utrâque parte prius ligatâ funiculis: vulnus consolidari alumine, lithargyro & similibus. Equina sit ista cura, non humana. Melius Pharmacopola noster. Hic, cum nuper Lipsiæ esset inciperetque ποδαγρίζεσθαι circa pollicem pedis, seu majorem digitum, consilio accepto à famulo Hospitis, subjectum montem curavit sibi scalpello scarificari, & oppositâ cucurbitulâ, extrahi materiam dolorificam. Triduo convaluit. Pedem autem scarificatum imposuit decocto Lythargyri & aluminis ex aquâ fabrorum. Non absurda est hæc ratio.

Alius dicebat, fuisse quendam Podagricum, qui sibi singulis mensibus, Luna decrescente curasset cucurbitulas cum scarificatione dorso affigi, quibus amo-

amotis, pedes posuerit in dilutum vitrioli & hali-nitri vel salis: atque ita extraxerit multùm phlegmatis. Initio autem acrius fuit balneum istud, sed postea mitius, prout materiæ copia requisivit.

Tertius succinebat, alium nescio quo lavacro adstringente, materiam à pedibus avertisse, sed Asthmaticum factum, ad fonticulos pedum pervenisse, & horum fluxu podagram evasisse.

Libav. epist. 73. & 74. cist. Medic.

LIII.

Topica in Podagra.

Novi ego senem quendam Notarium; is sibi in podagrá hoc modo feliciter Medicinã faciebat. Cum dolor & tumor magnus locus, rubens: accipiebat salem, cinerem, Urinam pueri & Acetum, in iis commistis & agitatis, madefactum & expressum pannum laneum album applicabat aliquoties: sedato jam magna ex parte dolore, morbo declinante incoquebat sulphur vivum & pulverem ellebori albi, oleo seminis lini, eoque loca affecta allinebat.

Addam ad hoc, quæ ego inveni permultis bene fecisse. Adnascitur ad Quercûs radices, non ad truncum, ut plurimum Autumno, Fungus quidam rubens, tener, & pro ratione radicis Arboris, magnus satis, eodem ferè modo, quo Hypocistis sub cistho frutice pullulare solet. Quapropter ego ὑποδρῦν nominare soleo, istum in tenues particulas sectum, cum trito sale in ollam testaceam indo, ita interspergens salem tritum, ut particularum strata quælibet salem intermedium recipiant, sic permixtim conditum fungum, in penu subterraneo sepono. Muriam, quæ tandem

invenitur in olla, liquefactã, colligo, eâque asservatâ affectos articulos illino. Quem ego primum isto uti vidi, is in doloribus utebatur & profuit multis. Verùm quia siccat vehementer & discutit, laxatamq; ab affluxo humore partem mirificè roborat & confirmat, principio utilior, priusquam dolor invaluerit, ejus usus esse possit, aut jam declinante paroxysmo, ad materiam absumendam, partique robur & firmitudinem addendam.

Solenand. sect. 4. cons. 24.

LIV.

Abstinentia à Vino curavit Podagram.

Novi Medicum Senem Venetiis, qui cùm non parùm infestaretur Podagrâ, ad senium usque saltem primum, ac per quinquennium ipse sibi vinum interdixisset, liber ab hujusmodi molestia ita evasit, ut amplius ad ultimum usq; senium, imò ad mortem, horum dolorum expers fuerit.

Trincavell. de cur. morb. libr. 12. cap. 2. l. 3. consil. 97.

Vide cent. nostr. 4. part. 25. & seq. centur. 5. part. 5. & seq.

LV.

Abstinentiâ à potu, per 40. dies hydropicus sanatus.

Novi non postremi nominis Medicum Hispanum, publicè Bononiæ profitentem, qui esu alimentorum assorum & abstinentia cujuslibet potus, per quadraginta dies continuos durante, curatus est, absque ullo prorsus medicamento.

Trincav. l. 3, consil. 32.

LVI.

LVI.

Rusticus, per annum, nihil bibens, ab hydrope liberatur.

Rustico, quem aqua inter cutem malè habebat, opem nostram expostulanti, sanari illum, cum jam morbus inveterasset, minimè posse respondi. Instanti tamen, ut aliquod saltem consilium ei præberemus, subridens, inquam, amice, si curari desideras, opus est, ut non ultra bibas, quam ut vitam sustineas. Discessit, & anno peracto, iterum interrogat, an ipsum noverim. Nego me hominem nosse, at ille, tua ope curatus, inquit, ad te revertor, scire cupiens, an adhuc mihi liceat aliquid bibere, cum hactenus per annum nihil biberim. Admiratus, interrogo quare, & cujus consilio. Cui ille inquit, tuo: & rem omnem ab initio narrat. Jussi igitur paulatim vino assuescere: sed mero potius, quam lymphato, & eo ipso austero ac tenuissimo. Discessit ac curiosa potione usus, ad pristinumque reversus statum, quam mecum familiaritatem primùm contraxit, eam adhuc in hanc usque diem officiosissimè servat & colit.

Beniven. de abdit. morb caus. c. 13.

LVII.

Caussâ occultâ & abditâ quidam Hydrope solutus.

Christophorus Trutwein, Patritius Haganojus, desperato hydropi multo tempore obnoxius, domi desidis vitæ pertæsus & serenâ quâdam die invitatus, in vicinum hortum deduci à suis postulavit. Quo

cum perveniſſet, feſſus admodum, ob languidas vires, humi ſe apricanti Soli obverſum proſtravit. Laſſitudine proinde & grato ſolis ardore illectus, profundo ſomno corripitur. Dormienti lacertus viridis, in laxatum ejus ſinum irrepit, & toto eo tempore, quo ſtertit, per tumentem nudatumque ventrem oberrat. Poſt horam expergefactus, corpus humo erigit, & dum aſſurgere annititur, quidpiam in ſinu ſubſaltare animadvertens, Lacertam conſpicatur, quem veluti homini amicum & innoxium, ſalvum dimittit, quando plerisque beſtiolas ejusmodi offendiſſe religio ducitur. Huic ab eo tempore hydropicus tumor omnis, res mira, citrà ulla alia remedia, inter paucos dies ſubſedit, & non ſine miraculi ſpecie diſparuit. Qui reconvaleſcentiam inde ſuam omnem à lethali iſto morbo, animalculo huic, non ſine ſingulari fato, firmiſſima, atque adeò indubitata perſuaſione acceptam retulit.

J. Schenck. l. 3. obſ. 131.

LVIII.

Experimentum in Hydrope.

Soleis pedum adhibebat Hydropicus folia Hyoſcyami, ita ut non ſolùm ex pedibus, ſed univerſo corpore humor extraheretur. Prodeſſe vidi, rationem tamen non perſpicio, ſed non velim adhiberi.

Crato conſ. 295.

LIX.

Rha-Barbari ſolum natale, elogium & vires.

Rha-Barbarum, Dioſcoridi (*a*) ῥᾶ καὶ ῥῆον dictum vo-

lunt. *(b)* nullibi nisi in China provenit, quæ inde per Usbecken in Turciam, hinc Venetias defertur, & quidem vel navibus, quod citius corrumpitur, vel itinere terrestri, quod durabilius & carius. *(c)* Calidum est & siccum, in 2. ordine, purgat clementer & benignè, tutumque est medicamentum *(d)* & humano generi familiarissimum, cujus frequens etiam usus nihil incommodat prorsus, si masticetur mane pondere unius scrupuli, deinde deglutiatur, non tantùm alvum ipsam molliorem reddit, atq; obedientem in iis maximè, qui suapte naturâ strictæ alvi sunt, sed ea etiam masticatione caput expurgat, sensus omnes vegetissimos reddit, corpus ab excrementis purum conservat, vasa interna *(e)* omnia, si quid aliud mirandum in modum corroborat, citra insignem excalfactionem, neque propterea noxam ex longo ejus usu corpori affert, sicut reliquæ Medicinæ, est etenim omni ex parte Medicina tutissima & nullius prorsus nocumenti, adeoque divinum omnino remedium, *(f)* Omni ætati, atque adeo etiam pueris *(g)* & *(h)* prægnantibus, (cum passulis drachmæ semis, vel scrupulorum duorum pondere assumtum, *(i)* neque tamen quovis tempore *(k)* æquè commodè fieri potest, sed solum 4. 5. & 6. mense, quibus ligamenta, quibus fætus Utero adhæret, firmiora sunt) innoxium. Purgat bilem flavam & pituitam quoque, sed non nisi in proximis viis hærentem. Obstructiones liberat, & affectus ex iis ortos, sanat. Hydropem *(l)* splenis tumorem, febres putridas. (dilutum in aquis refrigerantibus, aut sero, ut caliditas *(m)* illius & siccitas retundatur, & igneæ partes reprimantur) Lienteriæ, sputo cruento *(n)* ruptis & contusis, inprimis Dyssen-

teriæ (tostum prius *(o)* ut volunt parum *(p)* ad maiorem adstrictionem illi conciliandam, quod quidem si leviter fiat, rectius ut in pulverem redigatur, conveniet, sed si nimium assetur, invalidum & inutile redditur, unde non adeò in eo erit laborandum, sed potius viribus ejus adhuc integris, exhibendum, idq; in principio, ut rectius evacuet, *(q)* faciendum) commodum est, eoque nihil præstantius. Sed hic L. Septalius *(r)* Rha-Barbari usum planè improbat, quòd igneas partes habeat, & quod in substantiâ sumtum tunicis intestinorum & ulceribus adhærescens dolores pariat implacabiles, id quòd sæpè observarit. Verum enim verò, nullus unquam Medicorum Rha-Barbarum ideò suspectum habuit, quòd intestinorum tunicis adhærescat: & partes illæ igneæ, quas metuit, sunt in succulentâ ejus parte, quod facilè à substantiâ separatur, si inde aliquid incommodi metuatur. Atque existimo, dolores istos implacabiles, quos animadvertit Septalius, potius à bilis acrimonia, quàm à Rhabarbaro excitatos fuisse: neque in hoc ipsi assentior, quod scribit *(s)* Rhabarbarum mediocriter torrefactum vehementius & minore dosi purgare, quàm integrum, cum certum sit, vim purgantem in subtili & volatili parte subsistere, quæ etiam triturâ, aliqua ex parte dissipatur. Verùm cum ille experientiam testem citet, cuilibet eam consulere facilè est. *(t)* Epati quoque valde utile est, unde à nonnullis Anima Epatis, *(u)* ab aliis Theriaca Epatis appellatur, stranguriâ vero laborantibus commodum non est. *(x)* Calculosis quoque & Podagricis *(y)* & in serosis affectibus convenientissimum est, *(z)* Proprietate etiam veneno, pestis resistit, *(aa)* obstructio-

ctionibus solutis sanguinem cohibet, si 3, vel 4. die ejus ad drachm. sem. vel scrupulos duos, ex aquâ plantaginis vel vino albo sumatur, *(bb)* concretum verò simul dissolvit & evacuat *(cc)* urinam tingit, *(dd)* raròquoque sine Rhabarbaro medemur Ictero, quia valdè corroborat hepar, præterquam quod bilem educat. *(ee)* Dentes etiam, ab omni putredine & nigredine conservat, gingivas solidas reddit, & anhelitum commendat, *(ff)* Correctivum ejus est Spica indica *(gg)* ut spargi per venas facilius possit. *(hh)* sed abstinendum ab ea, in ingravidatâ muliere *(ii)* & cum æger vomit ex facili, *(kk)* sed fumosum est admodum, ob id in doloribus capitis non convenit, nisi infundatur in aqua endiviæ vel violarum. *(ll)* Ut paucis dicam:

Calefacit, exsiccat, stringit Rha-barbarum & alvum
Solvit, & est Pueris, Gravidis, benedicta medela,
Visceraq; obstructa hoc aperit, Bilem & Pituitam
Purgat, tùm Stomachi vitiis, emendat & Epar,
Sanguis & ex illo fit clarus, sputa cruenta
Sistit, dejectosq; juvat, ruptisq; medetur,
& Dissenteriis confert. (mm)

a) *lib. 3. c. 2.* b) *Bauhin. in pinac. l. 3. sect. 4.* c) *Linsc. part. 3. Ind. or. 29.* d. x. hh) *Sennertus. l. 5. institut. part. 1. sect. 1. c. 11.* e) *Solenand. sect. 4. consil. 20.* f. ff) *Adolph. Occo. in epist. Scholzian. 15.* g) *Fernel. l. 5. M. cap. 9.* h) *Fuchs. negat l. 1. de comp. med. c. 84.* i) *Sennert. l. 4. instit. part. 2. c. 2.* k) *Id. l. 5. part. 2 sect. 1. c. 5.* l. n) *Septal. suspect. l. 7. animad. 53. l. 6. 154.* m) *Septalius l. 5. caut. 8.* o) *Plater. de vitiis p. 894. Dodon. in prax. l. 2. c. 48.* p) *Forest. l. 22. obs. 9. Sennert. de dyssent. c. 7. Fabric. in me-*

 dic.

dic. milit. p. 494. q) *Nester. de dyß. c. 9. Fabric. de dyß. c. 8. Etsi Rha-barbarum in curatione Dysenteriæ primatum habere videatur, tùm quod fluxiones sistat, tùm quod partes affectas roboret, attendere tamen debet Medicus, num præsente Epatis æstu & excandescentia, ejus usus non sit suspectus, præsertim si, ut moris est, parùm torreatur, tostione enim acrimoniam acquirit, unde abradendo molestum esse potest. Unde cùm in Dyssenteria purgare animus est, Rhabarbarum, in taleolas sectum in aq. endiviæ infundo, cum adstringere in pulverem redactum cum aq. cichorii aut agrimoniæ propino, omissâ tostione. Claud. Deodatus ep. 20. cent. 1. Epist. Fabric.* r) *Septal. l. 7. anim. 92.* s) *Id. ib. 93.* t) *Sennert. de dyssent. c. 7.* u) *Plater. de vit. p. 114. 943. Dodon. l. 1. prax. c. 55. Pansa de pror. vit. l. 4. c. 24.* y) *Crato consil. 2.* z) *Plater. de dolor. p. 296.* aa) *Idem. ib. p. 211.* bb) *Fernel. consil. 28.* cc) *Plater. de vit. c. 818.* dd) *Zvvinger. physiol. l. 2. c. 50.* ee) *Dod. l. 2. prax. c. 60.* gg) *Plat. de vit. p. 808.* ii) *Camer. in herb. Mathiol. germ. l. 3. c. 2.* kk) *Heurn. l. 2. M. c. 22.* ll) *Holler. in prax. p. 8. a.* mm) *Oberndorf. de morb. Ungar. p. 225. Nester l. c. ex Cast. Durant.*

LX.

Hydropicus usu Rha-barbari frequenti sanatus, ut & vulnus capitis lethale, in eodem Sene.

Habeo ex Montano, Hydropicum quendam facie, ventre, pedibus, atque adeò toto corpore intumuisse, atque in summo fuisse periculo, ita ut plerique de ipsius salute desperarent, is fato, nescio quo monitus, cæpit uti Rhabarbaro, modicè primum, ex

ex quo ſubducebatur alvus, & ſeroſitas ſine moleſtiâ, & optimè habere cæpit, is augebat pondus quotidiè, ita ut à drachmis ad uncias deveniret, atque eas devoraret, & tandem integras libras, contingit ut evacuarentur humores noxii, corroborarentur membra, & non tantùm Hydrope liberatus, atque adeo omnibus pro miraculo habitus eſt, ſed membra quoque robuſtiora inde facta, color totius corporis optimus & functiones ſeu operationes corporis omnes rediêre, vixit ſanus & incolumis citra ullam infirmitatem uſque ad primum ſenium, multas interim congeſſit pecunias, quas cum vidiſſet aliquando ſervus ſicarius, ipſius vitæ inſidiari cœpit, & eum occidere decrevit, ut tutò pecunias ſurripere poſſet: ingreſſus aliquando thalamum, in quo cum decumbebat Herus, acuto gladio, quem piſtaleſum vocant, ſub veſtibus celato, uno ictu caput amputare decrevit, quod & tentavit; ſed res parùm feliciter ſucceſſit, inflixit quidem lethale vulnus, ſed prorſus interimere non potuit, proſiliit enim ex lecto, & quanquam lethale vulnus accepiſſet, tanto tamen robore præditus erat, ut & Sicarium contineret, donec opem illi ferrent vicini & parricidam caperent, acceſſerunt tandem chirurgi, qui cum viderent vulnus lethale, cæperunt deſperare de ipſius ſalute, relinquebant eum prognoſticis, putabant fore ut quarto die moreretur: cum accederent circiter diem quartum & vulnus aperirent, (quemadmodum in talibus vulneribus lethalibus fieri ſolet, à Chirurgis peritis, ut ante quartum diem non detegantur) reperiebant id citra ullam inflammationem purum & bonum. Illud tamen quia lethale prorſus erat, putabant eum 7. die (qui & criticus

ticus eſt, & vulneribus magnis periculoſus, ſiquidem in melius vel deterius tranſmutatio fit) eſſe moriturũ. Supervixit tamen 7. diem, indies magis ac magis convaluit, & ad extremum vulnus ex integro convaluit, magna omnium horum admiratione, & præter expectationem vixit ad ultimum usque ſenium, tandem interrogatus, quonam pacto tantum corporis robur ſibi conciliaſſet, ut à lethalibus ægritudinibus evaſerit, reſpondit frequenti uſu Rhabarbari.

Adolph. Oceo, in epiſt. med. à Scholtz. ed. 15.

LXI.

Pulli equini vomitus, Epilepſiæ remedium.

Cùm primùm pullus equinus in lucem prodit, vomitu materiam quandam rejicit, quam niſi quis præripiat, mater ſtatim devorat. Hæc materia ſiccata & pulveriſata à morbo Comitiali liberat certo experimento, ut mira quædam res videatur.

H. Don. Zellin. in conſil. Craton. 38.

LXII.

Secretum Imperatoris Epilepticum.

Cæſar (Ferdinandus I.) in Epilepticis hoc remedium pro maximo ſecreto habet, & ait Doct. Petr. Cavizetum etiam homines provectæ ætatis, & qui diu hoc morbo fuerint obnoxii, poſt purgationes curaſſe. Rec. Cryſtall. præp. drach. unam, Corall. rub. præp. ſcrup. duos, Margar. orient. ſcrup. unum, Smarag. orient. præp. drachm. ſem. miſce f. pulv. cujus media pars eſt una doſis in aq. taraxici. Bis feci periculum, ægri liberati ſunt ab Epilepſiâ, ſed poſtea tamen obierunt. Cryſtalli uſum non exiſtimo eſſe tutum, & Smaragdus, quo vulgò utuntur, non eſt verus,

ſed

ſed lapis de Peru, nempe fragmenta magni lapidis Praſii Orientalis, qui in arenâ reperitur, nunc rarò apparet.

Crato à Kraffiheim. epiſt. 121. ad D. Camerarium.

LXIII.

Empirica profliganda Epilepſia.

Quædam nobiliſſima Matrona hac arte ſanabat Epilepticos. Accipit acetum caryophyllorum rubris foliis imbutum, miſcet fæces Pavonis recentiſſimas, trajicit per linteum: propinat hoc novem continuis diebus.

Andreas Balenus, olim Hebreæ litteraturæ apud Lovanienſes Profeſſor, hoc in ſecretis habebat, ac cunctos ferè ſanabat, qui nec in ignem, aut aquam, vi hujus morbi præcipitati fuiſſent: accipiebat Mercurialis & florum Tiliæ aquam, quæ ex his remixtis arte ſimplici deſtillavit: & manè ante cibum utebatur ex hac tribus cochlearibus, tribus continuis diebus. Sed cochlear ſuperſtitione non vacat, quod hoc modo parabatur. Amputabat menſe Majo ramum ex arbore Tiliâ, eâ craſſitudine præditum, quâ imam humani cruris partem æquet. Hic ramus terram non feriat, ſed fune ex arbore demittatur, & in cubiculo ſuſpendatur ad ſiccitatem uſque: quod menſe uno ſuffecerit feciſſe: inde fingatur cochlear unum aut alterum, ſed tactum à terra cochlear, inutile erit; ab uſu hujus remedii ſemel graviſſimè laborabit, ſed poſtea nunquam.

Heurn. de aff. capitis, c. 23.

LXIV.

LXIV.

Rectius postero die, quam horâ conjunctionis luminarium, exhibetur antepilepticum.

Quæris de Succino, postridie Neomeniarum dando, & non pridie. Scias me conjecisse istam observationem in adversaria mea ex aliorum præceptione. Si rationem expetis, putes licere antevertere paroxysmum, etiam ante istum articulum, si qua ejus se produnt signa. Si nulla appareant, in metu tamen sumus, ne Novilunium quid moliatur, rectiùs postero die, quàm horâ conjunctionis præbere prophylacticum. Nam in hora conjunctionis, silet Luna, nec sunt in alterutram partem ῥοπαὶ seu momenta, proximo tempore post eam incipit operari in humoribus, ut ajunt, eosque augere. Rectè itaque tunc principiis occurrit & prohibetur non quidem humoris incrementum, sed qualitatis in humore vigentis, ne illa pariter cum copia materiæ insurgat. Quocirca alterante antipharmaco, vetatur malignitas augescere & nonnihil etiam humoris abundantiæ futuræ præciditur. Idem judicium est de cornu cervino. Ecce tibi ad amussim delineatam rationem. Sicut enim Nautæ aspersu modici aceti turbines dissipant, Ecnephiasque, ita nos tumultus Epilepticos in principio compescimus, quod pridie Neomeniæ non æquè feliciter eramus expedituri. Non enim sanamus, quæ nondum sunt, sed quæ aut sunt, aut esse incipiunt.

Libav. ad Schnizerum epist. 15. eist. med.

Vide centur. 7. memorab. part. 5. & 9.

LXV.

LXV.

Mirificum ophtalmicum remedium ex Nicotiana.

Secretum in ophtalmia, ipsa necessitate coactus, quidam vir doctus invenit, cæteris omnibus nil conferentibus. Cæca erat puella, Ann. 16. de hujus visu omnes desperabant. Feci ego, ut in uno oculo bellè videret, in altero melius, in eo pupilla ita erat obscurata, ut non appareret, sic tamen est restituta, ut non appareat, nisi ad oculum astantibus. Nicotiana nostra, major, cujus succus cum butyro majali ad consistentiam unguenti coquitur, totum hoc efficit. Nam clausis palpebris, exterius illinitur in loco obscuro: quàm primùm patiens oculos aperit, statim mordicare incipit: certè mirificum est remedium. Puerile sanè est illud ex vitriolo albo & aqua, si cum hoc conferatur. Non eo inficias, me in curâ hujus puellæ Ligni & Sarsæ decocto, cum fonticulis in utroque brachio usum fuisse, sed hoc magis præstitit, quàm cætera omnia.

Petr. Joan. Wiburg. ad Sebniz. ep. 209. l. c.

Plura de Nicotiana, ejusq; viribus vide centur. 3. memor. part. 73. & seq. cent. 6. part. 82. & seq.

LXVI.

Εὐπόριστον πειχόπτιον.

Sume spumam carnis bubulæ non valdè pinguis, vel potius macræ in aquâ decoctæ, & illam collige in ollulam mundam, postea loco debili reddito, inunge. Potest etiam aliquid mellis addi, ut crassiorem consistentiam adipiscatur. Sed mihi magis placet priori modo administrari, ne propter lentorem pori

cutis

cutis, unde pili erumpere debent, obstruantur. Ego nuper admodum in quodam, cui superciliorum pili morbo omninò deciderant, feliciter usus sum.

P. Monavius ad Scoltzium ep. 245.

LXVII.

Præcavendæ pestis consilium.

Locus, in quo æger decumbit, foramen apertè habeat superius, ut halitus pestilentes exeant, præsertim ægro sudante. Id foramen modò aperiri, modò claudi poterit: cum enim suffumigia idonea fiunt, cum aqua rosatum camphoratâ, claudatur aliquandiu locus, deinde rursus aperiatur. *(a)* Sed conclave, in quod foramen illud desinit, quia tetris & malignis vaporibus, qui ab ægris expirant, infectum est, à sanis hominibus, cùm in peste, tùm in Dyssenteriâ, frequentari minimè convenit. Ego in nonnullis magnatum cubiculis, foramina, quæ ad supremam contignationem, & tectum usque desinebant, observavi, eaque tàm sanis, quàm ægris in primis multùm conducere, non est ut quispiam ambigat. Quod si locus, & commoditas ægri non permittant extruere ejusmodi foramina, cubiculi in quo æger decumbit, laquear, ut celsum sit, necesse est. Si enim humile fuerit, æger, imò etiam sani, vapores putridos sursum ascendentes, denuò attrahent, quod periculosum, aut saltem prolongationis morbi causa facilè esse potest. *(b)*

a) *C. Gessner. l. 1. Epist. 8.* b) *Fabric. de dyssent. c. 21*

LXVIII.

Rapum Genistæ experimentum in peste nobilissimum.

Tribus ut plurimum pedibus à Genistæ sede, uno men-

menſe ante & poſt Calendas Junii Rapum quoddam reperies, tiſim habens Fapſo barbato ſimilem, altitudinis unius cubitus, locis ſaxoſis & arenoſis. Accipe igitur Rapum illud, & contunde, ſuccumque illius exprime, quod ut vinum colatum & limpidum erit, & pro toto anno in lagenâ vitreâ reconde. Si quis Peſte contaminatus hujus ſucci uncias 3. vel 4. cum Theriacæ drachmæ 1. & ſem. aut 6. nucibus avellanis ſumpſerit, à morte liberabitur Dei auxilio, & ſine dubio.

G. Magiſtr. in iſag. therap. ſect. 2. de peſt.

LXIX.

Colicis in doloribus frigidâ aquâ, quandoque utendum.

Contingit aliquando, ut Colici dolores, adeò vehementes ſint, ut omnem Medicorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito potiùs augeantur, quo in caſu ad contraria erit tranſeundum; cum enim colici dolores majori ex parte à materiâ frigidâ fiant, aut à flatibus diſtendentibus, fit aliquando, ut aut ratione dolorum, aut vigiliarum aut mæroris, ob contumaciam, aut incaleſcant nimium inteſtina accedentibus etiam calidis, & intra & foris appoſitis remediis, aut phlogoſi quadam tententur, aut etiam verâ inflammatione incipiant affici, aut multa præexiſtens bilis ibidem transfundatur, unde ad contraria erit tranſeundum, & inſigniter refrigerandum, quod mihi anno præterito contigit, primò in Nobili Hiſpano, poſt in N. Secretario, qui, cum colicis doloribus per aliquot dies fuiſſent acerrimè conflictati, & jam jam mors eſſet præ foribus, nulli

persentirentur arteriarum pulsus, sudores adessent resolutorii, nulla denique amplius esset spes salutis, ne quidem apud Medicos etiam præstantissimos, accersitus & ego, cum sitim inextinguibilem, linguæ scabriciem, nigrorem ac duriciem, pertactis autem hypochondriis & ventre inferiore, calorem in partibus illis æstuantem adesse observassem, Hispano aquam multam nive etiam refrigeratam bibendam exhibui, cum naturâ abstemius esset, & multæ aquæ potator egregius: in somnum prolapsus est, & quatuor horarum spatio cum dormivisset, dolore quodam inferioris ventris, à primo, maximè ut ipse referebat diverso, excitatus à somno, miram bilis flavæ copiam evacuavit, & doloribus liber evasit; unde collegi, Medicos, qui illius curationem susceperant, in causa morbi illius longè deceptos fuisse, cùm calidis remediis curationem instituissent, à frigida materia factum morbum judicantes. Alterum autem, cum jam agentem animam invenissem, non alia ratione statim curavi, quàm lineo panno multis plicis in quadrati formam composito, frigidæ immerso, ac mirantibus astantibus, quid facerem, ventri superposito, cumque ut dormiret, injunxissem, diutiusque etiam somno oppressus, sine motu cum conquiesceret, verentes Affines & Uxor, ne jam fatis cessisset, eum expergefecissent, indignabundus, quod tanto bono eum privassent, quasi è lecto exiliit, à doloribus omnino liber. *(a)* Sed nolim ego ullum temerè ad hoc remedii genus devenire. *(b)*

a) *Septalius animadv. l. 7. cant. 81.* b) *Crato, consil. 171.*

LXX.

LXX.

Secretum Cratonis, & Empirica in Colicâ.

Oleum Amigdalinum cum vino malvatico haustû usitatum & pervulgatum est in colicâ remedium. Verùm ego drachmam dimidiam Spermatis Ceti (non veteris ac rancidi) addo, atque hoc inter efficacia & secreta remedia habeo.

Apponatur ventri rete castrati, coctum in oleo, adjecto chelidonio majore, contuso cum radicibus, si haberi possunt.

Prosunt etiam catuli lactantes ventri appositi, qui, si veteribus latinis Medicis fides est adhibenda, malum ad se trahunt, atque ipsi deinceps colicis doloribus moriuntur.

Ventrem etiam Anatis vivæ deplumatum malum ad se trahere, si ventri apponatur, experientiâ constat.

Idem præstat Rana viva apposita.

Per os, magno cum adjumento datur album, quod in fimo gallinaceo reperitur, ex optimo vino. Quidam adjiciunt membranas interſepientes nucleum in juglande.

Decocto Brassicæ uti, in vetere jure Galli, magno etiam est adjumento.

Crato. consil. 168. & 171.

LXXI.

Amuleta in Colicâ.

Avellanæ appensæ collo, ita ut ventrem attingat, Argento vivo plenæ, & ad præcautionem & curationem Colicæ magnas attribuunt vires.

Vel stercus Lupi sic avellanæ inclusum & appen-

ſum: quod efficacius operari volunt, ſi chorda, cui appenſa eſt avellana ex corio Cervino fiat: vel ex filo, ex lanâ Ovis facto texta ſit, quam Ovem à Lupo prius raptam aut interfectam eſſe debuiſſe, nimis ſuperſtitioſè credunt.

Plater. de dol. p. 625. & 626.

LXXII.

Guttur Galli toſtum, in pulvere propinatum, quâ vi, mictionem involuntariam, ſiſtat.

D. Gilbertus Hollandus, Medicus Romanus, guttur Galli urebat, ut non conſumptum, ſed toſtum, exſiccatumque teri poſſet, exhibebat in immictione, (ἐνούρησιν Græci vocant) pulviſculum, ſub noctem, ante cœnam, cum tantillo vini rubelli ſubaſtringentis: ſi illo uti haud poſſet, exhibebat in hauſtu dilutiſſimæ poſcæ, idque reiterato paucis diebus faciebat. Illud nullâ manifeſtâ cauſâ, ſed proprietate quadam ſanat affectum. *(a)*

Conſuluimus ſeptuagenario cuidam urinam continere non potenti, ut Gallinæ guttur combuſtū cum aquâ tepidâ ſumeret jejunus: hoc enim à proprietate valet. *(b)* Sed quamvis medicamentum hoc magnifaciendū eſſe videatur, ob tantorum Medicorum experientiam, non tamen video, cur ſtatuendum, non manifeſtâ qualitate, ſed peculiari proprietate illud ipſum juvare, præſertim cum vi ſuâ calefaciendi & exſiccandi, frigidis & emollitis partibus ſuccurrat, & introductam laxationem muſculi corrigat; Accedit, quòd medicamenta, proprietate ſubſtantiæ agentia, non manifeſtis, ſed occultis morbis illius proprietatis reſpe-

respectu, succurrant; at morbus hic occultus non est. *(c)*

a) *Solenand. sect. 4. consil. 11.* b) *Forest. l. 25. obs. 21.* c) *Horstius probl. therap. dec. 8. quaest. 7. th. 2. & 3.*

LXXIII.

Anima Halecis Ischuriam solvit, vi salis imbibiti, non proprietate alia.

Intestina Halecum (animas vocant) numero decem, in pulverem redacta & cum vino pota, mirum in modum, urinam per aliquot dies retentam, una cum arenulis phlegmati inhaerentibus, promovisse, observavi. *(a)* Verisimile est, nulla proprietate piscis istius id evenire, sed vi salis imbibiti. Notum enim, halecem, non tantum inter salsas aquas vitam & victum habere, verùm etiam diuturnis salium marinorum, qui sunt accerrimi, condituris macerari, eorum autem vis diuretica magna est, & est phlegmatis crassi incisiva, detersivaque, quo nomine & Halo nitrum commendatur, & fontes salsi. Non ergò, quia animam decuplam Halecis voraverunt isti liberati sunt Ischuriâ, sed quia intestina sale multo bene delibuta, spirituque salis perfusa; ut & Garum veteribus commendatum. Equidem putem, si quis integrum caput conditae sale Halecis eodem modo arefactum, pulveratumque ex vino diuretico albo tenui sumeret, idem experturum. *(b)*

a) *Schniz. ad Libav. epist. 39.* b) *Libav. ad eundem epist. 41.*

LXXIV.

Decoctum Abrotani cum sale nitri specificum in Ischuriâ.

Silentio præterire non possum medicamentum, quo D. Bartolomæus Clingius IC. & Academiæ Rostochianæ Professor eximius, calculo laborans fuit usus, in omnimodâ urinæ suppressione. Re desperata, animumque despondentibus astantibus plerisque omnibus, accessit quidam cum decocto Abrotani, in quo Sal nitri dissolvisset. Ebibito medicamento, minxit æger, & urinam reddidit incredibili copia.

l. Assuer. Ambsing. de calc. c.16. th.34.

LXXV.

Anodynum in Ischuriâ, & calculos expellens.

Quidam Septuagenarius, cum calculo & difficultate mingendi & ardore intolerabili afficeretur, & fluxu ventris, consultum est à muliere, ut Apium viride cum lacte bubulo decoqueret, addito pauco aquæ & salis, eo remedio frusta calculorum rejecit, & dolor sedatus est, atque ardor urinæ & fluxus: rationem autem hujus medicamenti ignorabat. Apium enim aperiebat oppilationes renum, urinam provocabat, & calculum comminuebat. Lac verò mitigabat urinæ ardorem: Aqua verò facit ad penetrationem, ne Lac etiam concresceret: Sal quoque corrigebat lac ne acesceret: & lac etiam ad fluxum faciebat. Cum autem id sæpius ad calculum in seipso expertum cognosceret, consului, si Apium viride non adesset, ut ejus loco semen caperet. *(a)* Novi qui ad præservationem à calculo uterentur herba Apii sativi (petroselini vulgaris) in acetariis. Sed meo judicio

hujus-

hujuſmodi diuretica ita calida in præſervatione non conveniunt, nam effectricem calculorum cauſam adaugent. *(b)*

a) *Foreſt.l.24.ſchol.ad obſ.25.* b) *Henricus à Bracanel. ſimpl.ad calc.*

LXXVI.

Arcanum in Iſchuriâ ex calculo infallibile.

Quidam ex mulierculæ cujusdam conſilio, cineris fabarum cum vino Pictavienſi inſtar lixivii colati, duo aut tria cochlearia ad ſummum, fimo columbino pauco immixto potabat, cum ex calculo mingere non poſſet; idque in diluculo cum ſumpſiſſet, in continenti minxit, & unà lapidum fragmenta cum urina exibant. Referebat adeò vehemens eſſe medicamentum, ut per totum corpus ſudor efflueret, tamen arcanum infallibile eſt, & ex eo ſemper mingebat. *(a)* Eſt autem ſtercus columbinum adeò calidum, ut in Myſia domus ex fimo putrefacto incenſa ſit & tota combuſta. *(b)* non ſolùm veteres ad comminuendum lapidem uſi ſunt, ſed & Neoterici. *(c)*

a) *Foreſt. l. 24. ſchol. ad obſ. 25. Paræus l. 16. c. 37.* b) *Gal. l. 3. c. 3. de temp.* c) *Geßn. de avib. Ulyſ. Aldrov. l. 15. Ornith. c. 1. Libav. tom. 1. ſyntagm. l. 2. c. ult. Porta l. 6. phytog. c. 21. Unzer. de nephr. p. 187.*

LXXVII.

Dari remedium frangens lapidem.

Neſcio, utrum magis laudem ac prædicem, judiciumné an candorem animi, magni illius & eximii H. Capovacii, Medici olim Patavini, longè celeberrimi, ſcribentis in hæc verba: Fateor me neſcire, quæ Calculum in veſicâ frangere queant. *(a)* Cui Eraſt. aſtipula-

pulatus. *(b)* Persuasum inquit habeo, lapidem vesicæ dissolvi remediis intra corpus non posse. Andr. Dudithius (*c*) Medicamentis intra corpus, concretos jam lapides atteri atque confringi posse: mihi quidem non fit verisimile.

Illum autem lapidem, qui primum rudimentum in renibus, augmentum verò in vesica accepit, per aliam atque aliam crustarum & veluti laminarum accretionem subindè factam, medicamentis atteri & confringi posse, vidimus in Collega olim nostro, D. Wilhelmo Laurenbergio, Medico & Mathematico incomparabili, cujus memoria est in benedictione. Equidem ipsus in lecto jacens supinus, cathetere per meatum urinarium in vesicam immisso, lapidem animadvertebat, loco mobilem & huc illuc volubilem. Deinde digito in intestinum rectum indito, & pollice ad perinæum defixo lapidis magnitudinem explorabat, quem ovum columbinum quantitate superare deprehendebat. Deinde aliquandiu, (tempore enim ad confractionem opus est. Nam vidi calculos à renibus excretos, qui per totum triduum, in succo limonum & spiritu vitrioli immersi & infusione macerati, tamen integri manserunt) medicamento usus lapidem confringente & atterente, à fragmentis orificio vesicæ identidem vulnerato, & accedentibus simul doloribus arthriticis, vitæ diu superesse non potuit, sed doloribus confectam animam exhalavit.

Accipiebat Asellos seu millepedas murarias, easque in aceto vini macerabat, lavabatque, lotas siccabat, & in pulverem conterebat. Præterea accipiebat illud, quod in cynorhodo instar fungi excrescit, vocaturque à nonnullis Bedegar, ut refert Dodonæus, hanc

hanc materiam ſiccatam & ipſam in pulverem redigebat, tandem addebat & ſanguinem Hirci præparatum, & tria hæc pari quantitati commiſcebat. Hujus pulveris ſcrupulos duos, plus minus, quotidie bibebat ex aquis diureticis, admixto ſyrupo de Altheâ. *(d)*

a) *l. 3. c. 28.* b) *conſ. 26.* c) *epiſt. Scholtz. 41.* d) *l. Aſſuerus Ambſing. de calc. c. 12. th. 26. & 27. c. 16. th. 33.*
De Aſellis vide cent. noſtr. 4. part. 28. & 29.

LXXVIII.

Hydromel ſimplex, potus calculoſorum ſpecificus & appropriatus.

Potus Calculoſorum eſto Hydromel ſimplex benè paratum, quo ſi quis, nulla adhucdum exiſtente inflammatione renum, aut notabili calore præternaturali, ut plurimùm utatur, non puto fieri poſſe, ut calculo fiat obnoxius: ni forte inevitabilem calculoſam diſpoſitionem indè ab ortu, ex ipſo calculoſorum parentum ſemine ſit nactus. Tantâ reſolvendi, abſtergendique vi pollet Mel, & tantâ renes humectandi, melque contemperandi vi pollet Aqua. Infelices ſunt, quicunque laborant calculo, infeliciores quotquot hunc potum, neſcio quâ Idioſyncraſiâ, quâve naturæ antipatheiâ averſantur. Remedium certè ſummum in calculo præcavendo & curando.

Id. ib. c. 14. th. 10.
Vide centur. 6. memor. part. 58. & 69.

LXXIX.

Lignum ad renum affectiones & incommoda.

Nova Hiſpania nobis mittit Ligni quoddam ge-

nus crassum & enode, materiæ Piri, cujus usus jam diu receptus fuit in his regionibus ad renum vitia, & urinæ difficultates & incommoda. Postea expertum est, ejus aquam in Jecoris & Lienis obstructionibus utilem esse. Fit autem hac ratione ? Lignum assulatim & minutim concisum in optimâ & limpidissimâ aquâ fontanâ maceratur, atque in ea relinquitur, donec aqua à bibentibus absumpta sit. Dimidia hora post injectum Lignum, aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui sensim intenditur pro temporis diuturnitate, tametsi lignum candidum sit: Cæruleum ideo dico, quoniam adulteratur alio ligno simili, quod aquam croceo colore inficit, ne quis fallatur. Hac aquâ assiduè utuntur, ea vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus, sine ulla humorum commotione, neque enim opus est, aliâ victus ratione quam temperatâ: siquidem aquæ sapor non magis immutatur ligni injectione, quàm si pura esset, & nihil in ea maceratum. Calidum & siccum est in primo gradu. *(a)* Per se externo adspectu album, ex parte aliqua fuscum, diluto violaceo vel cæruleo subpuniceo colore aquam tingit. Recens autẽ oportet esse. Nam meum vetustius, aquam potius flavo infecit, sed ita ut per vitrum aliquid violaceum dilutum simul appareret. Notandum, prout inspicis & vitrum ad Solem vertis, suspicis, rectâ, obliquè, ita colorem variari. Itaque fit, ut aqua non flava, sed potius cærulea appareat, si radiis solaribus obvertas, eosque immittas & à latere suspicias. Hæc ex *αὐτοψία* mea. Hâc ipsâ horâ, postquam in infusione horas circiter octo stetit, concha vitrea elevata & à fundo inspecta, totam aquam flavam exhibuit: si dispicerem, tota

erat

erat cærulea vel violacea. Si ponerem in ſellam & inſpicerem, circulus erat cæruleus, fundus flavus. Erat autem Aqua pauca, & parva ligni ſegmenta. Magni precii res eſt. *(b)*

a) *Monard. de ſimpl. med. ex occ. Ind. all. p. 50.* b) *Libav. ad Schnitzer. ep. 38.*

LXXX.

Paſſeris Troglodytidis etymon, deſcriptio, præparatio, ejusq́; in pellendo calculo mira vis.

Τρωγλοδύτης Avis, nomen habet à ſubeundis troglis, id eſt, cavernis (τρωγλοδυτεῖν enim cavernas ſubire ſignificat) ut & Troglodytæ, Æthyopiæ populi, & quoniam paſſer Troglodytes avicularum minima eſt, ac Regulo ſimilis, multi populi Regem appellarunt. Juxta parietes domuum & ſepes nidulum ex muſco ſtruit, plumis etiam impoſitis. Araneas venatur, & vermiculos, mira ejus in cantu ſuavitas, ſed ali non poteſt. Majo præcipuè cantillat, ut ferunt. Paulo ante veſperum ſolet impenſius ſtrepere, & omnium ferè avium poſtrema ad ſomnum ſe recipit. Germanis Zaunſchlipferlin / in Saxonia Thurnkönig / Schneekönig / Zaunkönig / circa Roſtochium Neſſelkönig / Winterkönig / alicubi Meußkönig & Dumeling / id eſt, pollicaris à parvitate. Nidum ſemel humi factum inter urticas vidi & pullos, antequam volare poſſunt, relicto nido, inter herbas fruticesque reptitantes, ſæpius obſervavi. Galli fabulantur, Troglodyten, in Feſto trium Magorum, omnes quos eo anno educaverit pullos congregare & cum eis cantillare.

Ad-

Addunt, Regem esse Avium, quoniam cum convenisset inter Aves, ut Rex esset, quæ altissimè evolasset, hæc Aquilæ tergo clam insidens, cum illa jam defessa altius volare non posset, paulò sublimius evolârit, Regno, quod viribus nequibat, arte sibi comparato. (*a*) Est autem Passer Troglodytes, passerculus minimus, juxta sepes & muros victum quæritans: estque hoc animalculum, omnium avicularum minimum, ea excepta quæ Regulus appellatur. Similis est autem Regulo in multis, præterquam quod in fronte auricolores pennas non habet; eodem paulò major & nigrior, caudamque semper subrectam, & albo colore retrò interpunctam habet; magis item garrulus, quam Regulus est, & sane juxta summum alæ lineamentum cinerei amplius coloris, brevem item volatum facit. (*b*) Pro hac avicula Troglodytide, vulgaris hactenus alia avicula recepta est, Motacilla latinè ideò dicta, quoniam caudam assiduè quatit, vulgoque ob eandem causam, cauda tremula: quam licet nullius in ea re efficaciæ Medici invenirent, quia tamen esse putabant, quæ fuerat ab Antiquis in Calculo tantopere reputata, eam quoque & ipsi summis laudibus extollebant. Quod in aliis quoque rebus à recentioribus peccatum est, illud semper laudantibus, atque aliis præponentibus, non quòd experiētia majores vires habere didicissent, sed quod à prioribus magis laudari videbant. Propter quod factum est, ut vel nihil, vel parùm arti sit adjectum, sed detractum potius, dum simul cum nominibus, ipsis quoque rebus deperditis, suppostitiæ aliæ, verarum loco successere, nullius sæpenumerò, sed & quandoque contrariæ qualitatis. (*c*) Cauda tremula enim

enim non est inter Aves minima, cum habeat sub se multò minores Aves ferè sexcentas: Troglodytes verò habet unam duntaxat minorem, Regulum scilicet. 2. Cauda tremula non quæritat sibi victum circa sepes atque parietes: sed passim in campis apertissimis pervagatur. Non habet caudam semper erectam nec albo infectam colore: non rostrum exile, ut præ parvitate vix videri possit; quæ sanè sigillatim adesse debent in vero Passerculo Troglodytico. *(d)* Naturalem autem omninò vim admiratione dignam habet, ad calculos comminuendos, potest sale conditus servari: crudus & coctus in cibo acceptus, morbum sanat, & ab ejususu nunquam amplius ab ea affectione vexatur: Ejus pulvis idem efficit, si deplumis in ollam conjicitur, ac deinde operculo addito, circumlitoq; argilla, in furno ferventi, spiramento permodico facto, vel in olla, vitro ex lithargyrio & plumbo oblita, uritur, animadversione assiduâ habitâ, ne fallaris, cum in cinerem sit redactus, & ne in aërem exhalans per exustionem totus consumatur, exhibendus cum modico piperis, Cinamomi ac Folii Indi momento ex melicrato, ut sapidior fiat. Melius autem est, etiam aliter ipsos edere, si plures contigerint, coctos nimirum, ejus præsertim generis, quæ per Hyemem ubique apparet. *(e)* Puero cuidam 14. annorum avicula hac cruda data, lapis (jam jam Lithotomi manu exscindendus) spacio quatridui, in totum liquefactus, per urinam exiit. *(f)*

a) *Gessn. de avib. p. 626. & 627.* b) *Aetius l. 11. c. 11.* c) *Manard. l. 19. ep. 6.* d) *Augen. tom. 2. consult. l. 6. ep. 3.* *Plater. de dolor. p. 570.* e) *Aët. l. 6. Paul. l. 3. c. 45. Bapt.* *Porta*

Porta l 6. phytogn. c. 21. Langius l. 2. ep. 58. Gessner. p. 81. Plin. Sec. epist. de Medic. Mizald. cent. 7. aph. 4. Solenand. sect. 1. consil. 15. Ulm. de occult. med. propr. Vid. Vidius. l. 10. curat. memb. c. 20. Forest. l. 24. Schol. ad obs. 25. Ruland. in probl. med. chym. 15. Unzer. de Nephrit. l. 2. p. 185. f) *Ost. Gabelckov. in lib. Med. Wirtemb. fol. mihi 320.*

LXXXI.

Surditatis curatio Euporista.

Vidua Delphensis, cum ex diuturno morbo convaluisset, incidit in Surditatem satis diuturnã, quæ cum post purgationem longo tempore adhuc surditate laboraret, Vetula quædam eidem consuluit, ut granum unum, vel alterum moschi optimi in bombyce misceret, & auri perpetuo imponeret, hoc remedio, præter omnem spem, ab omni surditate liberata est. Ego multos quidem, quibus auris sanie longo tempore maderet, curavi solâ impositâ bombyce vel cottone, in quo Moschus reservatur, quod & aurem exsiccaret, & simul surditatem tolleret. *(a)* Fraxini aqua cum suo sale mixta, specificum est ad surditatem non inveteratam remedium. (*b*)

a) *Forestus l. 12. obs. 15.* b) *Quercet. l. 1. de dogm. med. prap. p. 172.*

LXXXII.

Surdi qui sunt, etiam simul muti, cur?

Qui à prima conformatione & ortu surdi sunt, ii pariter sunt ἄναυδοι, aut saltem μογιλάλοι vivunt: an quia animus surdorum sono non est edoctus, nescius eas formare voces, quas hominum ingenia exco-

gita-

gitaverunt? *(a)* voces enim inauditas, nec animo concipere, nec lingua proferre possunt; *(b)* sermo namque nonnisi sermocinantes audiendo, discitur; an quia summa est audiendi & loquendi instrumentorum συμπάθεια? *(c)* cujus societatis & communionis ratio non omnibus cognita est; nos agnoscimus duplicem, 1. Nervus quintæ conjugationis varios de se promit surculos, major in aurem & membranam exquisitissimi sensus expanditur, & sonorum omnium species ad cerebrum defert: minor ad linguam & laryngem excurrit. Ob vasorum ergo communionem (quæ una est apud Hippocr. & Gal. causa τῆς συμπαθείας simplicis,) aurium & linguæ affectus facilè communicantur, hinc vellicatâ auris membranâ, tussis sicca. 2. societatis hujus causa, est canaliculus cartilagineus, veluti aquæductus, qui à secundo Auris meatu ad os & palatum fertur, ita ut ab ore in aurem, & ab aure in os, liberè meet remeetque aër, unde benè audituri cohibemus spiritum, ne inspirato aëre crassissimo impleatur cochlea & tendatur tympanũ. Scalpentes etiam aurem salivam excitamus, quia ea compressione, fit sordium expressio, in ductum cartilagineum, & ab eo in linguam. *(d)* Læsis igitur & affectis Auditûs instrumentis, cognata quoque læduntur instrumenta Sermonis. *(e)*

) *Ruland. l. 2. probl. 327.* b) *Bartolin. l. 3. instit. anat. c. 9.* c. e) *Keckerm. disp. 15. curs. phil. probl. 44.* d) *Laurent. l. 4. anatom. quæst. 26. Ruland. l. 1. probl. 186.*

Dissentiunt Bauhin. l. 3. theat. anat. c. 22. & Varol. l. 1. anat. c. 7.

LXXXIII.

LXXXIII.

Auditus exactior quomodo fiat.

Usus Auris externæ est, promtiùs & rectiùs sonos recipere & per aërem vagantes tanquam in sinu colligere, ut citra violentum impetum ad tympanum pertingant, prius in anfractibus viæ obliquitate moderati. Hinc, ne appulsi soni præterlabantur, Bruta aures circumagunt ad sonos & voces. Hinc Hadrianus Imperator, quo acutiùs audiret, manus cavas auribus obtendebat, quod & surdastri factitant. Hinc Scythæ aliqui, quibus propter frigus aures commoriuntur, cochleæ testam auribus admovent, ut in concavitate facilè conclusus aër suscipiatur, & ita meliùs audiant. Hinc exactius audiunt, quibus aures exterius prominent, & si non nimium, tàm ex longo decubitu, quam Nutricum ligaturis, aures depressas haberemus, rectius audiremus.

Bartol. instit. anat. l. 3. c. 9.

LXXXIV.

Auditus cur noctu validior, quam interdiu.

An quia de die sonus sonum impedit, de nocte verò profundum est silentium? An quia noctu libera mens ab intuendi concursu, sonos perfectius imbibere potest? mentis enim applicatio ad videndum & intelligendum plura, minuit intentionem audiendi.

Keckerm. l. c. probl. 32.

LXXXV.

Cur in patenti campo, Auribus humo admotis strepitum longissimè remotum, audiamus.

Habent id in more milites vigiliis nocturnis destinati

nati, ut propinquis hostium castris, exploraturi quid illi moliantur, corpore prostrato, subinde aures humo admoveant, & hoc modo conatus aut impressiones hostiles, vel ultra 30. stadia præsentiscant. Cujus rei ratio est, soni, pedum pulsu excitati, ad terram allisio (semper enim sonus repercutitur) & inde ejusdem ad audientis aures continuatus decursus. Quod si quis erecto corpore consisteret, non ita sonum hunc perciperet, quia sonus super terram, quo cum aere magis elevatur, eò minùs, quo refringatur, habet obstaculi, atque ita facilè dissipatur atque evanescit.

Id. ib. probl. 45.

LXXXVI.

Remedia euporista ex Muribus: in tussi valida: sputo cruento; surditate; renum & vesicæ vitiis &c.

Puellula unius anni, cum validâ tussi afficeretur, quæ nullis præsidiis mitigari potuit, tandem nescio cujus mulierculæ consilio Mures coctos nutrix masticabat, & pro cibo infanti dabat; quo remedio à tussi liberata est. *(a)*

Benedictus Faventinus, dabat stercoris muris scrupulos duos, in tussi cum sputo sanguinis, cum aq. plantaginis. Mirabilem effectum habent consolidandi venam ruptam, vel quando cum impetu sanguis erumpit. *(b)*

Mulier quædam oleo Murino, (Mures enim recenter natos sine pilis macerabat oleo) utebatur cum miraculo, ad aurium surditatem. Gisibertus Horstius,

Præceptor meus Romæ, Aquam ex illis destillabat, & & eam in aures immittebat. *(c)*

Urinam non continentes, ut pueri, elixatis esitatisque præclarè juvantur.

Dissecti & impositi serpentum ictibus efficaciter medentur, verrucasque exedunt, estque eorum Natura hîc non spernenda, præsertim in Siderum assensu; cum Lunæ lumine, fibrarum numero crescente, ac decrescente, quod de Epate quidam peculiariter intelligendum asserunt.

Capitum, Caudarumque Murinarum cinerum ex melle inunctum, claritatem visus restituere, graves autores prodiderunt. Commendantur autem magis sylvestres, aut Glyres. Sed in hoc spectatur vel maximè naturæ potentia, si verum est, quod alvum laxare muscerdam potu sumtam, quidam se expertos ajunt. Experimentum cuique relinquitur liberum. *(d)*

Pulvis è stercore Murium comminuit calculum Renum, à totâ formâ. *(e)*

Murium majorum stercora 9. deglutita, aliquæ mulieres pro singulari experimento habent in uterino fluxu. *(f)*

a) *Forestus libr. 16. obs. 6.* b) *Id. ib. observ. ad schol. 20.* c) *Id. l. 12. observ. 15.* d) *Goglen. de pror. vita pag. 436.* e) *Capov. libr. 3. 28. de ren. aff.* f) *Plater. de vit. p. 698.*

LXXXVII.

Ranula viva, Aphtarum antidoton.

Hoc à pharmacopæo accepimus. Multi infantes cum

cum Antwerpiæ ex Aphtis morerentur: ex vetulæ consilio Ranulam vivam ori puerorum admovebant, suctione malignitatem attrahentem: eâque defessa & mortua, alteram ori imponebant: deinde rursus aliam, si opus esset, quo præsidio, & pueri & infantes evadebant. Hoc in pueris suis, tùm aliis expertum narrabat.

Forest. l. 14. obs. 21.

LXXXVIII.

Saccharum fissuris & vulnusculis dicatum.

Quidam solo Sacchaco, fissuras papillarum curavit, superimposita capsula ad papillæ formam elevata, ne camisiæ adhæreret. Saccharum enim vim abstergendi & mundificandi habet: ideo ulcera levia ac vulnera minuta curat; post abstersionem natura ipsamet eadem consolidante. Ita & vulnera in manu cultello leviter incisa solo Saccharo inspersо Idem curabat: sed hujus rationem ignorabat, quoniam eidem aperui, propter abstersionem hoc fieri, sibi satisfactum dicebat.

Id. l. 17. obs. 28.

LXXXIX.

Turtur Sapientum caro, Dysenteriæ & Strabismi remedium.

Turtur calidus est & siccus in 2. gradu, nisi cum pinguedo siccitatem minuit. Tum enim in siccitate & humiditate temperatus evadit, & alimentum præbet non invalidum, & sanguinem generat mediocrem, nec crassum nimium nec tenuem, qui spiritibus aptissimam memoriam suppeditat, sensus

Qq 2 omnes

omnes & memoriā corroborat, cogitativā acuit, animumq; ad functiones alacriorē reddit: unde vulgatū apud nonnullos dictum, Turturum carnes esse cibum Sapientum. Atque hinc opinor est, quod Magi in superstitiosa morbi sacri curatione, ut testatur Hippocrates, Turtures exhiberent. Tenerior evadit capro, faciliusque concoquitur, si per duas noctes aëri exponatur: omnino si pridiana recentior datur, ipsa durities obluctari dentibus offendetur. Laudantur omnino pingues, & salubriores habentur: nā cum sint natura sua siccæ, qualitatis ejus imoderatio pinguedine temperatur. (*a*)

Dum pinguis mihi Turtur erit, Lactuca valebis
Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem. (*b*)

Assus & comestus Turtur peculiariter prodesse creditur in Dyssenteria. (*c*)

Sanguis ejus destillans in oculum, à proprietate juvat in Strabismo. (*d*)

a) *Castellan. l. 4. de esu carn. c. 8. Goglen. de pror. vit. c. 13.* b) *Martial. l. 13. epigr. 53.* c) *Plater. de vit. p. 907.* d) *Leon. l. 3 f. 1. c. 7.*

XC.

Ignis igni est remedio,

Sciunt & experiuntur plebeji homines, ambustæ leviter partis ardorem evanescere, & dolorem levari, si partem ipsam ardentis candelæ, vel accensarum prunarum ardori aliquandiu admoverint, (rarefacit enim partem, & dissolvit ea) attractionem enim facit similitudo. Itaque ignis extrinsecus intrinsecum & inustum à se parti ignem dum foràs evocat, mali quod

quod intulerat & creaverat, alexiterium est. *(a)* Ita morbi aliquando similibus curantur: etsi à contrario videatur omnis sanitas, contrarii nomine laxi is sumto. *(b)*

a) *Paraus l.11. chir. c. 9.* b) *Bartolin. de caut p. 80. & 134.*

XCI.

Hæmorrhagiæ Narium mira remedia.

Nobilis quædam Matrona, cum sanguis è naribus supra modum flueret, frustum cretæ albæ digito annulari, vel minimo digito proximo continebat è regione naris sanguinem fundentis: si è dextra, dextro: si è sinistra, sinistro, donec incalesceret: statimque sanguis supprimebatur, ut diversis vicibus in eadem domina spectavimus.

Vir quidam Generosus, sanguinis narium profluvio cum extremè laboraret, neque remedia commodè adhibita juvarent, circiter 12. libræ sanguinis, ex utraque nare per vices effluxere. Cùm per integrum diem sanguis effluxisset, ut duas ventosas absque scarificatione, unam supra hepatis regionem, alteram supra Lienis locum poneret, mandavi: quibus parùm videbatur fluxus subsistere. Verùm, uxor, cum videret sanguinem iterum ex utraque nare cum impetu erumpere, & quod ventosæ hypochondriis impositæ nullo modo juvarent, alias duas unam supra pedem dextrum: alteram supra sinistrum affigi jussit, &, dictu mirum, sanguis præter spem subitò restrictus est. Verùm cùm aliquanto tempore ventosæ cuti adhærerent, æger in animi deliquium incidit, quare iisdem ventosis detractis, aqua in faciem conspersa excitatus est: mox odore vini re-

creatus ad se rediit, & à fluxu sanguinis narium, per ventosas, miraculi aut incantamenti instar, præter omnium hominum opinionem, Vir Nobilis, pristinæ sanitati restitutus est.

Forest. l. 13. obs. 10. & 13.

XCII.

Empirica, in dentium dolore.

Puella plurimis annis dolore dentium afficiebatur, variisque adhibitis remediis, nullo modo sedari potuit. Tandem ex mulierculæ consilio, duo noduli, vel parvæ puppæ lineæ ad pisorum magnitudinem confectæ sunt, quibus inclusa erant piper pulverisatum, sal, medius cortex sambuci, & filo constrictæ ne solverentur: per vices denti doloroso appositi sunt, & mox dolor cessavit; postea & alii plures hoc medicamento sanati sunt.

Denti radix lapathii acuti, per taleolas concisa, apposita dolorem illicò sedavit, cum tanto successu, ut eodem remedio, in aliis quamplurimis (præcedentibus tamen universalibus præsidiis) prosperè usus fuerim. Habui illud à Rustico quodam.

Remus Astrius Mathematicus insignis, se pluries experimento comprobasse mihi fassus est, folia lappæ, sale adjecto, in aceto decocta, ad dentium dolorem miraculosè contulisse, si decoctum tepidè in ore supra dentem potissimum dolentem frequenter detineatur.

Novi quendam, cum nulla remedia juvarent, cucurbitam cum scarificatione suomet consilio, maxillæ apposuit & à dolore liberatus est.

Forest. l. 13. obs. 6. & schol.

XCIII.

XCIII.

In Discoloratione.

Empiricus Dentarius dentes nigros & malè coloratos, pennâ intinctâ oleo vitrioli, amotis prius tofis, albos reddebat, pennâ obliquè scissâ, ut commodius dentes detergeret: nos etiam cum oleo vitrioli, guttâ unâ, aut altera aquæ admixta, ut Matronæ dentes fricent, jubemus: hoc enim modo, & flavi & nigri, albissimi evadunt, cum & oleum vitrioli vacillantibus dentibus prosit, modo non fiat ex fluxione humorum, qui prius expurgandi.

Pumex ignitus, vinoque albo bis extinctus, & tertiâ vice ignitus relictus, donec refrigeretur, absque aliâ extinctione; tritus & ablutus albissimos facit dentes, nec eò magis celebre experimentum invenitur: imò si dentes eo, quamvis non combusto, sed trito, fricentur, albissimi evadunt.

Forest. l. 14. obs. 13.

Plura de vitrioli natura &c. vide cent. 4. mem. part. 79. & seq. cent. 6. part. 2.

XCIV.

Aëris vis in morbis creandis & exaggerandis.

Anno 1562. qui Annus bellorum civilium, primis tumultibus toti Galliæ fuit funestus, cùm Penæ, quod castrum est Loto flumini impositum, multa interfectorum hominum cadavera, in puteum, centum ulnas altum projecta fuissent, tàm fætidus hinc & adeò venenat9 vapor per duos mẽses suscitatus est, ut multa inde hominũ millia passim per totam Agenensiũ pro-

vinciam, tanquam peste interierint, veneni sui perniciali lue, late per 20. undique in ambitu milliaria diffusa. Quod mirum cuiquam videri non debet, cum præsertim ventorum afflatu putridæ exhalationes, in varias & distantissimas regiones, impelli & jactari, sparsis tanquam pestis seminibus possint: unde spirituum humorumque lethalis corruptio contingat. Nam Aër vel incalescens, vel frigore torpescens, inspiratione, transspiratione in corpus assumptus, similem suis qualitatibus conditionem nobis ingenerat.

Paræus l. 10. c. 13.

XCV.

An Senes possint rejuvenescere.

Tradunt de Aquilâ naturalium rerum Scriptores, eam quolibet decennio juventutem renovare, serpentes verò etiam quolibet Anno. Sed pennarum ista est & cutis, non corporis mutatio. Aquila enim cùm alis, ad volatum haud amplius aptis, se impediri sentit, concitato cursu in sublime fertur, indeque ad frigidissimas aquas conversa, ter iis im̃ergitur, posteaquam in nidum evolans, alis pullorum tecta, in sudorem resolvitur, veteribus plumis exutis novas recipit, unde senectutem ipsam exuere creditur, nihil interim minùs, quam mutationem in corpore passa. Serpentes verò cum calorem habeant admodum debilem & cutem hyberno tempore constrictam, ac fuliginibus exhalare cupientibus exitum intercludentem, ideò quicquid fuliginosi humoris hyeme est congestum, in ipsam cutem colligitur, quam tandem sicciorem, asperioremque redditam à subjectâ pelle,

nul-

nullo corporis malo detrahunt, ut mobiliores evadant. Quod si est juvenescere, quid obstat, quo modo & Homo, cui excisi dentes renascuntur, & post scabiem exsiccatam nova cutis effloreſcit, juvenescere dici possit.

Gessner. de Avib. p. 166. Keckerm. disp. 12. curs. phil. probl. 2.

De Serpentum exuviis vide cent. nostr. 4. mem. p. 39 & seq. cent. 6. part. 99.

XCVI.

Thus ventriculo & cerebro amicum, memoriæ parens.

Thuris albissimi granum unum, aut cum sacchara rosaceo commistum, mirificè prodest ventriculo & cerebro, ac influxionibus & catarrhis remedium est admodum laudabile, alternis diebus horâ decubitus deglutitum. (*a*) Confert etiam oblivioni & hebetudini, nam animales spiritus recreat. (*b*) præsertim si Lunâ plenâ, grana quindecim, ter in die sumantur, videlicet mane, meridie & vesperi. (*c*) ejus drachmæ tres, in potu sumtæ, retinent involuntariam urinæ emissionem. (*d*) Granum unum cum mulso calculum terere creditur. (*e*) Suffitus Thuris tumori ædematoso utilis, eoque muscas fugari ferunt. (*f*)

a) *Crato consil. 216.* b) *Heürn. l. 2. M. c. 7.* c) *Pans. Pract. spec. c. 31. Plater. l. 1. de las. funct. c. 1* d) *Dom. Leon. libr. 5. sect. 3. cap. 12.* e) *Henr. à Bra. de calc.* f) *Crato cons. 295.*

XCVII.

Rusticus moriturus, Capâ & Sale vita restitutus.

Accidit, ut rusticus quidam febriens acutissimè, perductus ad hospitale, ullis remediis vix curari potuerit. Tandem ex morituro quæsivit Medicus, ecquid peteret, quæ fuisset victus ratio antea; dicebat se planè ab isto cibo & potu, syrupis &c. & lecto, qui nimis esset mollis, abhorrere, quod non dormisset intra 19. annos in lecto, atque usus fuisset cæpis, caseo bubulo & similibus duræ coctionis, sub dioque in stramine, vestitus dormivisset. Tandem Medicus, unâ nocte permisit, ut in stramine dormiret: deinde ut afferretur Cepa, Sal cum Aquâ frigidâ, consensit & hic; arbitrans illum tandem eò citius moriturum; cum ille postridiè astaret igni, præter omnium opinionem. Videndum igitur Medico diligenter, ut consuetudinis habeat rationem in omni morbo.

Selenander sect. 5, cons. 15 obs. 16.

XCVIII.

Ros Solis admiranda planta, pulmonum affectibus dicata.

Ros Solis & Rorella, quæ veluti Stellæ alicujus jubare sub Sole fulget, à mirabili natura nominationem adepta est: nam quantumvis diu Sol fervidus æstate eam illustret, ejus tamen folia semper rore & humiditate madent, eorumq; lanugo guttulis aspersa manet: & quod admiratione digum, quod humidum illud in foliorum acetabulis contentum, ubi extre-

tremis digitis leviter attingitur, dum adhuc natali suo solo inhærens, aut confestim inde evulsa solis radios experitur, mox velut in exigua filamenta sericea aut candiuscula deducitur, quæ confestim concreta, ita postea semper perdurant. (*a*) In phtisicis, aliisque similibus pulmonum affectibus à multis admodum commendatur, & usurpatur, tùm crasso modo exhibita, tùm debitis tractationibus præparata. Sed non desunt, qui ejus usum simpliciter damnent, quod causticâ virtute polleat. Nam tusa, unà cum salis nitri grumis cutem rumpit, admota, ob pyroticam, quâ donata est, facultatem. Ejus verò usus, ob causam allatam nullo modo proscribendus est, 1. non adeò intense causticam virtutem possidet. 2, multa extrinsecus urunt & vesicas inducunt, quæ intus sumta nequaquam nocent, sed plurimum potius emolumenti adferre possunt. 3. imò in ejusmodi Pulmonum affectibus, talia desideramus medicamenta, quæ vi urendi nonnihil prædita sunt. Ut petum (& ex hoc confectus Syrupus, aut oxymel) Erysimum (& ex hoc Syr. Lobelii) allium, cæpa, radix dracunculi, pancratium, ruta, Scylla, Sinapi, atque alia acria, quæ extrinsecus adhibita, ex alto trahunt, exulcerant, crustas inducunt: assumta verò, non ita interiora arrodendo impetunt: verùm humores excrementitios, quibus scatent Phtisici, atque nonnunquam suffocantur, pituitosos & viscosos extenuant & incidunt, ulcera exsiccant & à putredine vindicant, caloremque nativum inde obrutum & animi vigorem revocant. Sic in pulmonum talibus affectibus, quid præstantius Sulphure, Croco? (*b*)

a) *Bau-*

a) *Bauhin. in pinac. l. 10. sect. 1. p. 356.* b) *Bartolin. exerc. 3. probl. 2.*

XCIX.

Limacum usus πολύχρηστος, *internus, externus.*

Constat Medicis, Limaces cochleis suis inclusas, per totam hyemem, propriâ suâ substantiâ se alere ac nutrire: unde liquet, quanta sit illarum nutriendi vis, atque præstantia: ut vel hoc solo nomine, maximè à Galeno *(a)* commendentur: & in primis Hecticis, tabidis & macilentis, ad vires recuperandas ab eodem præscribantur. Ritè præparatæ, palato gratæ sunt, appetitum enim stimulant, quæ etiamsi videantur viscosæ, tantùm tamen abest, ut difficilis sint concoctionis, aut stomacho graves, ut ipsi contra magno sint auxilio, ad calorem ejus fovendum & augendum, veneremque provocandam. *(b)*

Verùm, id non simpliciter de carne earum accipiendum est, quæ difficilioris est concoctionis, valentemque requirit ventriculum; unde & longiorem coctionem, variorumque condimentorum additamentum requirit, & quomodocunque coquuntur, dura manet & crassiorem ac atrum sanguinem generat, obstructionesque parit. Sed illud, quod in primis Hecticis, prodesse dicitur, in earum jure est, non tamen primo, sed iteratæ elixationis, in quod longior coctio glutinosæ & alimentosæ substantiæ plurimùm elicuerit; deinde in parte saltim posteriore Limacum, quam Aristoteles *(c)* μήκωνα, hoc est, Papaver nominasse existimant, cui quiddam glutinosum inest, caseosæ substantiæ paulò magis duratæ simile, facilè

esse dissolubile, dentibus statim cedens, tenerum, quod non difficulter concoquitur, & valdè nutrit. Hæc igitur pars ad eos usus seligenda, vel jus tantum earum exhibendum, quod Epati valdè familiare & utile est, ventriculoq; gratũ, cujus quoque dolores auferre dicitur. Est autem in Limacum delectu non parva adhibenda cura. Hærent enim & pascuntur non rarò fædis, corruptis & venenatis rebus, fungis, serpentibus putrescentibus, herbisque venenatis, ut observatum sit, quosdam comestis Limacibus periisse. Unde Cardanus stultum putat, se temerè tanto periculo exponere. Si tamen ad easdem edendas cogamur, in ollâ 15. diebus alendas esse censent, sæpiusque locum mutandum. *(d)* Optimæ sunt, quæ in vineis & circa sepes reperiuntur. *(e)*

Monachus, cui ossa præ macie crepitabant, à Medicis pro deplorato habitus, Limaces teneras, ante ortum Solis, in vinetis collectas, destillabat, ejusque cochlear cum duobus vitellis ovorum subinde capiebat, hinc (paucis quoque remediis aliis usurpatis) pinguis paucis mensibus evasit, & præter spem sanus factus est. *(f)*

Puella 5. annorum, cum validissimâ tussi longo tempore detineretur, nec ullis medicamentis curari posset, muliercula cujusdam consilio utens, guttam unam atque alteram, aquæ destillantis à Limace, exiguo sale consperso (hoc enim modo Limaces in liquorem resolvuntur) cum cyatho cerevisiæ communis ebibit, & in continenti curata fuit. *(g)*

Cineres Limacum terrestrium, in poculo benè lutato assatorum, cum vino Rhenensi sæpè propinati, calculum pellunt. *(h)*

Chirur-

Chirurgus quidam fide dignus, Limaces rubros fictili inclusos, in furno cinefaciebat, collectumque inde pulverem, infantulis in polentâ, provectioribus in jusculis pro sanandâ Herniâ feliciter exhibebat. *(i)*

Liquore de Limacibus mundis in vas vitreum projectis, cum uncia semis; facch. non pulverisati, per 9. dies in loco obscuro occlusis, punctisque cum acu, erumpente, ad delenda variolarum vestigia, pro miraculo, Gisbertus Horstius, Romæ præceptor meus utebatur. *(k.)*

Caro earum cum thure & myrrhâ contusa, nervorum vulnera glutinat. *(l)*

Cochlearum cum testis suis, in furno siccatarum pulvis, hæmorroidum & condilomatum dolorem miro modo compescit. *(m)*

Cochlearum & Limacum carnes, alias per se, aliàs cum suis volutis tritæ, ac mixto interdum coagulo (Lac est, in lactantium animalium ventriculo, vel Omaso ita concoctum; dissipata cogit, & coacta dissolvit; quò autem vetustius, eò efficacius) tela rapiunt, atque Hydropicis Aquam exugunt, non prius solvere oportet, quam totus humor exudaverit.

Cochleæ cum suis volutis & salivâ cremantur in novis fictilibus, cinis sectæ Arteriæ inspergitur & sanguinem sistit. Mucus earum salivosus emplasticus est, in quo cineres & pulvisculos, qui sanguinem claudant, convenienter adhibebis. *(n)*

Muccago, quæ ex carne Limacum contusa, additis insuper aliquot apibus, vel vespis, desumitur: & sanies, quæ ex illis; dum punguntur effluxit, palpebras deciduas reparat. *(o)*

Com-

Compertum eſt, multorum experimentis, Iſchiadicos dolores, cum nullis aliis remediis ceſſiſſent, linteo ex aquâ Limacũ mucosâ, per 7. aut 8. dies uſurpato ſedatos eſſe, cujus rei fidẽ mihi fecit Nobilis quidam Dominus, cum ipſe totos ſex menſes Iſchiade fuiſſet divexatus. Hac arte ejuſmodi paratur aqua; Cape Limaces rubros 50. aut 60. pone in olla cuprea, & ſale communi conſperge, illicque contine per diem integrum, mox per cilicium exprime, in expreſſâ colatura, lintea demerge, imbutaque illi liquori, dolenti loco impone, ſæpius renovanda. Cæterùm ſi magna ſubeſt inflammatio, incoquendi erunt Limaces in Aceto & Aqua roſarum. *(p)*

a) *l. 3. de alim. facult.* b. e) *Quercet. ſect. 3. diat. polib. c. 7.* c) *de hiſt. anim. l. 4. c. 4. text. 152.* d) *Sennert. l. 4. inſtit. med. part. 1. c. 3.* f) *Foreſt. l. 16. obſ. 58.* g) *Id. l. 16. obſer. 6.* h) *Henr. à Bra de Calc.* i) *Paraus chir. l. 7. c. 15.* k) *Foreſt. l. 6. ſchol. ad obſ. 58.* l) *Plater. de dol. p. 906. Holler. l. 2. inſt. chir. p. 58. b.* m) *Dom. Leon. pract. lib. 4. ſect. 3. c. 10.* n) *Holler. l. 1. inſtit. chir. p. 8. a. l. 3. p. 118. b.* o) *Plater. de vit. p. 37.* p) *Paraus l. 17. c. 17.*

C.


Lumbricorum præparatio & uſus.

Lumbrici terrarum vim habere creduntur ad nervos ſolidandos, *(a)* & vermes ex ventribus exigendos: *(b)* Hujus gratiâ, tùm aliâ formâ dari poſſunt, tùm pulvere ſolent. Collectos itaque ollæ includunt, addito muſco & detritis vitellis, donec purgentur. Quidam etiam vinum ſorbere cogunt, ita relinquunt octiduô, alii Hyeme tantùm biduo, Æſtate uno die. Exemptos vino abluunt, ſtringuntque; deinde in olla,

lâ, massâ fermentaceâ oblitâ in clibano torrent, modicè dum queant pulverari, quod meliùs succedet, si lævigentur, adjecto CornuCervi usto, quod itidem vermibus necandis efficax esse constat. *(c)* Exsiccati, & vel soli, in vino mulso, vel caprino sero, vel spec. dialaccæ, per triduum propinati, per Urinam, Ictetum, cum multa bile (à totius substantiæ proprietate meatus aperiendo) ejiciunt. *(d)* Triti & per se, impositi, nervos uniunt & glutinant, *(e)* Dolores sopiunt & ulcera Dysentericorum sanant in jusculis cocti. *(f)* Oleum Lumbricorum, obstructiones viscerum aperit, urinam provocat & urinam ducit. *(g)* Capillos auget. *(h)* Loti vino albo, & repurgati, coquuntur oleo & vino, ad hujus consumptionem, fortius fit repetitis. *(i)* Lumbricos lavant vino: tundunt in mortario, affusoque competente liquore miscent & colant. Sinceriùs fit succus, si vitro angusto inclusi, quod foris massâ triticeâ sit obductum, in clibanum pisto jam pane collocentur. Sudant ibi & succum reddunt, qui separatus prælo, emaciatis membris calidè illinitur. Si placet in Sole coagulabitur, unde postea resolutus in usus venit, cum succo florum verbasci. *(k)*

a) *Scholtz. epist. 141.* b) *Quercet. pharm. dogm. c. 15.* c) *Libav. tract. 1. syntagm. arc. chym. l. 4. c. 28.* d) *Leon. sect. 3. l. 3. c. 2. Dodon. in. prax. l. 2. c. 60.* e) *Holler. instit. chir. l. 2. p. 68. b. & 73. a. Plat. d. d. p. 906.* f) *Nester. de dyssent. c. 12.* g) *Fabric. lib. 4. observ. 29. & 88.* h) *Plat. de vit. p. 37.* i) *Libav. l. c. l. 1. c. 18.* k) *Id. ib. l. 8. c. 7. Wier. de Scorb. Fabric. de gangr. edit. 1603. p. 204.*

CEN-



CENTVRIÆ IX.

Particula I.

Remora Piscis, ore navim sistit, mirum!

EXενηίς à Græcis dicitur Piscis, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, quod naves sistat, fundo illarum hærens. *(a)* sic & à Latinis Remora & Remiligo *(b)* ab iisdem remorandis. Germanicè nominemus licebit, ein Schiffheber / *(c)* Schiffhalter *(d)* Lampetræ nostræ similis piscis est; Est enim pelago amica Echeneis, longa, cubiti scilicet longitudine, subfusco colore, anguillæ similis: acutum est illi os subter, contortum, rotundi hami cuspidi simile, de quo pisce Nautæ rem mirabilem narrant, omnibus qui non viderunt incredibilem. Navem enim secundi venti vi impulsam, passisque velis per mare currentem, piscis tanquam eam voraturus, ore admoto sistit, invitisque Nautis retinet, perinde ac si in tranquillo portu quiesceret, *(e.)* quæ res vectores angit, & solicitos vehementer habet. *(f)* His omnibus, quæ nulli alii meliùs quàm Lampetræ nostræ competere possunt, accedit Experientia ipsa, cujus primùm me admonuit Guil. Pelicerius, Episcopus Monspeliensis, singulari eruditione præditus: ex qua experientia constat, Lampetram Navibus, iis præsertim, quæ recens picæ illitæ sunt, ore adhærere, picis, ut ajunt, exugendæ gratiâ. Quod si triremis clavo os affixerit, ejus impetum retardari certum est. Id nobis evenit Romam proficiscentibus cum Clarissimo Cardinali Turno-

 nio.

nio. Vidimus enim optimæ triremis, cujus citissimo cursu vehebamur, impetum inhibitum: cujus incertam causam cum vectores perquirerent, tandem compertum fuit, Lampetræ ore clavo affixæ vi id effici, quæ capta, & convivio apposita moræ allatæ pœnas dependit. Cujus rei locupletissimos testes habeo nobiles & graves viros, qui eadem navi vehebantur. *(g)*

a) *Cardan. l. 10. de subtil.* b) *Fest. de lat. l. & Plaut.* c) *Gessn. de aquat. p. 414.* d) *Frisch. e 45. nomencl.* e) *Ælian. de var. hist. l. 2. c. 17.* f) *Oppian. l. 1. halieut.* g) *Rondelet. de aquat.*

II.

Inquisitio causæ, ob quam Echeneis moretur Naves.

Chæremonianus Trallianus (scribit Plutarchus) pisciculis aliquando variis appositis, unum oblongũ capite parvo, acutoque ostendebat, cui similem esse Echeneidem dicebat, quam in mari Siculo vidisset, ejusque vim admiratus esset, cum non parùm impedimenti & moræ navigationi attulisset, donec à proreta lateri navis forinsecus adhærens caperetur. Tum alii Chæremonianum irridebant, ceu qui rei fabulosæ absurdæque fidem adhiberet. Alii alias quoque mirabiles in rerum natura discordias commemorabant, (tanquam ad confirmationem potentiæ Echeneidis:) ut sunt, quòd Aries conspectus Elephantum furentem compescit: quòd Viperam ramulus fagi admotus suo contactu immobilem reddit: quòd Taurus ferus ad ficum arborem alligatus, quietus & placidus manet: quod Succinum levia omnia, præter Ocymum

mum

mum & oleo madida movet & attrahit: quòd sideritès lapis non attrahit ferrum, si allio inungatur. Hæc enim sic se habere indubitatis exemplis constet, eorum tamen causas eruere, vel difficilè, vel etiam impossibile esse dicebant. Ego verò hanc quæstionis depulsionem magis, quam solutionem esse ajebam. Quin ita potius usu venire existimandum est, sicut alias sæpe fit, ut quæ rebus quibusdam accidunt, causæ ipsarum esse, non rectè judicentur. Veluti si quis ex vulgari dicto: Salix amerina floret, uva coquitur: ipsam Salicis amerinæ florum germinationem, maturitatis uvarum causam faciat: vel propter fumos lucernarum aërem densari & obnubilari existimet: vel unguium curvationem, causam non accidens esse ulceris pulmonis. Quemadmodum enim quæ jam diximus, singula ad aliud quidpiam consequuntur, propter communem aliquam efficientem causam: sic ego similiter unam esse causam dicebam, quæ & tarditatem navigio inferat, & Echeneidem ad idem alliciat. Nempe cum siccior navis est, neque admodum gravatur humore, consentaneum est, carinam levitate sua facilè per mare delabi, & aquas ligno puro meanti facile cedere. Contrà, cum humidior est, & aquæ nimium imbibit, multâ algâ & musco innascente obducitur: quibus hirsutum lignum & aquam obtusius secat, & aqua ipsa ligno tenaciori adjuncta difficilius separatur: quamobrem Nautæ latera Navium abradere solent, ut muscum atque Algam abstergant: quibus adhærescentem Echeneidem, propter earum viscositatem (quasi succi ejusdem appetens) tarditatis navigii, non quidem causam esse, sed causæ illam efficientis accidens

(σύμπτωμα καὶ ἐπακολούθημα) eique supervenire, judicandum est.

Plutarch. Symposiac. l. 2 probl. 7.

III.

Nullam omnino causam naturalem inveniri, cur pisciculus tantillus navem moretur.

Non immeritò tantas in tantillo pisciculo vires aliquis miretur. Magneti quidem sua est in ferrum facultas; Adamantem coram toxico ferunt madere: Turchesiam appetente periculo aut scindi, aut omnino rimam aut maculam aliquam concipere; sed longe alia naturæ venit admiratio in nostrâ Echeneide, lapidibus siquidem & metallis naturalis pro materiei varia conflatione, cœlestiumque corporum in ea elaboratione quadamtenus causa assignari potest, partim etiam Naturæ secretis est relinquenda. Basiliscum serpentem adeò venenatum esse scribunt, ut visu etiam in hominem virus transfundat. Torpedo piscis non tangenti piscatori per hamū & virgam torporē (unde nomen etiam accepit, sicut & Græcis Νάρκη dicitur) imittit, ac totum deinde corpus occupat, in quibus veneno ea vis tribuitur. Sed quid de hoc pisciculo afferemus in medium? quam ejus viribus & potentiæ adscribemus rationem? Hic, sicut & reliqui pisces, in aquis agit. Non alibi nisi in aquis vires suas exercet; nulla adest magnitudinis in eo violentia, minutulus ipse navi se adjungit, nulla vis contra ipsum satis est, nullus impetus loco movere navem potest, nisi pisciculus hic navi adhærere inventus esset. Adscribi illud potest, cur non aliæ similiter naves fixæ manent? cur hæc tantum cui pisciculus hic se adjunxit?

xit? cur invento hoc & amoto plenis mox velis navis procedit, nec impedimentum amplius sentit? Fatendum est, rationem hic naturalem adferri nullam posse. Et quis non videt, in eodem fatale quoddam indicium & præsagium quasi futuri mali præscium, periculum imminens cupiens avertere? tenuit legatos Periandri, de castrandis pueris Nobilibus, tanquam indignum judicante Naturâ, homini id quod conservationi ipsius donatum esset, auferri: & idcircò navem inhibuit & à cursu revocavit, sed securum & improvidum genus hominum, velut rem nihili floccipendit. Tenuit navem Caii Cæsaris, non multò post Romæ interfecti. Condolens misero Cæsaris exitio, ipsa Natura cupit ab ipso malum avertere, atque à cursu infausto & infelici revocare.

Adam. Lonicer. l. de aquatil.

IV.

Rondeletii opinio, de vi Remoræ.

Recensemus, quæ de Remora, literis prodita sunt, admiratione quidem digna, sed quæ magnâ ex parte cessaverit, si tam mirabilis eventus caussa reddita sit. Nam, ut rectè dixit Aristoteles, θαυμάζεται τῶν μὲν κατὰ φύσιν συμβαινόντων ὅσων ἀγνοεῖται τὸ αἴτιον. Idem in libro, quem Μηχανικὰ inscripsit, quærit, cur clavus cum parvus sit, & in extremâ navi, tantas habeat vires, ut ab exiguo temone, & ab unius hominis viribus alioqui modicè intentis magnæ navium moles moveantur. Cui quæstioni præter alia respondet, facillimum esse moventi ab extremo, movere aliud: quia prima pars fertur celerrimè, ac quemadmodum in his, quæ feruntur, in fine cessat impetus, ita in continui, quod movetur fine, maximè imbecillis motus est, qui

verò maximè imbecillis motus est, facilè dimovetur, vel, ut dilucidiùs loquar, in puppi (extremâ scilicet navis parte) rectè collocatur clavus, quoniam moles omnis continua ab eo extremo, cui admotum sit aliquid, quod moveat, facilè tota moveatur. Etenim, sicuti in iis, quæ vibrantur, initio vehemens est motio, quæ in fine languescit: sic continuæ molis prius extremum, cui id quod movet, conjunctum est, celerrimè fertur: alterius verò extremi imbecillis admodum est motio & renixus. Imbecille autem omne facilè in quamlibet partem levi momento impellitur. Ex quibus efficitur, si in hanc, vel illam partem clavus moveatur, proram quoque vel dextrosum vel sinistrosum ferri, in rectum vero remorum impulsu. Quare si recta & celeriter currat navis, & Echeneis ore, clavo vel puppi affixo, caudam vel se totam, modo in dextrum, modo in sinistrum moveat, necesse est, etiam in prora motionem hanc percipi, & ad Echeneidis motum ambiguum, ambiguè quoque moveri, ac proinde impetum ejus inhiberi, cùm ab Aristotele demonstratum sit, & experientiâ comprobatum, ad exiguam unius extremi motionem, extremum alterum, atque adeò totam molem continuam mutari. Lampetra itaque, verbi gratiâ, vel quavis alia Remorâ, non in ipsâ nave, neque ipsius lateribus, sed puppi vel gubernaculo adhærente, & caudam vel reliquum corpus motitante fluctuat navis, nec progreditur, nec ultra fertur, non aliter, quàm si tranquillo mari, in prospero & celeri navis cursu, gubernator imperitiorem ad gubernandum admittat, qui clavum rectè tenere non possit, firmissimè enim in cursu tenendus est, ne fluctuet navis, alioqui mox retardabi-

tur

tur impetus. Eâdem de causa validis retinaculis, ad puppim clavus alligatur, etiam in fluviatilibus navigiis, libero in obliquum motu non impedito, atque in rapidis amnibus, in terram altè defixis palis, in utraque ripâ funes alligantur, ad dirigendum iter, ne Aquarum vi fluctuante nave progressus inhibeatur, neque rectà fluviustrajici possit.

Rondel. de piscibus.

V.

H. Fracastorii, de Echeneide, quomodo firmare navigia possit, opinio refellitur, propriaq́; Scaligeri asseritur.

Recentiores *(a)* sentiunt; non ab Echeneide navim cohiberi, sed Echeneidem esse signum scopuli, qui subsit sub Aquis, cujus saxi vis navim remorari valeat. Quasi velint dicere, scopulum illum esse ex herculeo lapide, qui clavos avellere nequeat: navim tenere queat. Verum aliter videtur: Majore namque robore opus est, ad navem retinendam, quam ad extrahendum clavum. Hoc sane faber unus fecerit: illud multi tentabunt frustrà. Ad hoc, cum plurimæ naves eâdem fecerint iter, una tantum fuit immobilis, idque plenis velis: cum aliæ pusillo remorum nixu transmitterent. Quocirca aliam ad causam transeunt, Echeneidem ita navi adhærescere, ut avelli nequeat, propter vacuum. Echeneidem verò habere cum subjectis illis cotibus affinitatem: ut mutuo atomorum illarum, quas emitti ajunt, nexu conjungatur. Quo equidem loco, quid vacui subsequi possit, amotâ exiguâ bestiolâ, nescio, Tum, si cum illis cotibus eam habet conjunctionis necessitudinem; quibus

naturæ novis legibus, veterem illam, propriamque erga ſcopulos illos propenſionem, cum hac adventitiâ, novitiaque navis cohæſione commutavit? ab illis enim ſeſe abſtulit ſuis familiaribus, ut inferret navi peregrinæ. Mihi igitur ſic videtur. Quemadmodum à Torpedine ſtupor impingitur manibus, etiamſi non tangatur, etiam per lineam ſubiens (neq; enim fabulæ ſunt. In littore enim Brittonum, relabens æſtus, quum unam in ſicco reliquiſſet, & adoleſcens, ut eam palpitatione tentantem abitum ſiſteret, pedibus invaſiſſet, ipſo in veſtigio totus tremuit) ita & motui navis illa beſtia. Neq; verò ſine ſubtilitate hæc ſunt prætereunda. Propter officium ſunt immobilia quædam ſemper, ut Poli. Quædam, ratione loci veluti terræ pars, quæ in centro eſt. Nunquam enim movebitur naturaliter. Contrà, officio quædam ſemper mobilia, ut cœlum. Quædam naturâ loci, ut flumina. Ita quibusdam eſſe movendi poteſtatem, ut Magneti. Aliis contrariam facultatem; Videlicet quæ motu privant, ut Echeneis. Ratio autem in principiis. Quia ſicut quies & motus ſunt contraria: ſic ſunt horum efficientes quædam cauſæ contrariæ. Neque reddi poteſt ratio, cur calori frigus adverſetur. Sic ne in illis quidem. Cur ea, quæ principia in ſe habent effectiva motus, moveant: quæ quietis, faciant quieſcere. Nemini comperta ſunt in igne caloris principia. Ita in Echeneide, quæ ſint principia quietis. Nam ad manifeſtas omnia deducere qualitates, ſumma impudentia eſt. Id quod Alexandrei multi & fruſtra conati ſunt, & temerè inſtituerunt. At ſaltim in venenis exempla noſtra decuit conquieſcere. Eorum namque multa diverſas habent ab Elemen-

men-

mentorum qualitatibus proprietates: quæ omninò latent animos temperatos, illudunt curiosis. Iidemque isti, qui sese putant, cuncta ad certas causas reducere manifestas, tandem huc se devolvunt, ut dicant, in oculis hominis, & Catoblepæ esse principia contraria. Et tamen irrident illi salutare Asylum illud occultæ proprietatis. *(b)*

a) *Fracast. c. 8. de sympath. & antip.* b) *Scalig. exerc. 218. sect. 8.*

VI.

Exclamatio & Admiratio, mira vis Remoræ remorandi naves.

Quid violentius mari ventísve, & turbinibus atq; procellis? quo majore hominum ingenio, in ullâ sui parte adjuta est, quàm velis remisque? addatur his & reciproci æstus inenarrabilis vis, versumque totum mare in flumen, tamen omnia hæc pariterque eadem impellentia, unus ac parvus admodum pisciculus, Echeneis appellatus in se tenet. Ruant venti licet & sæviant procellæ, imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare navigia: quod non vincula ulla non ancoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrenat impetus & domat mundi rabiē nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quam adhærendo. Hæc tantilla est contra tot impetus, ut vetet ire navigia. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana, cum rostra illa ære ferroque ad ictus armata semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta pisciculus. Fertur Actiaco mari tenuisse prætoriam navim Antonii properantis circumire & exhortari

ſuos, donec tranſiret in aliam: ideoque Cæſarianæ Claſſis impetu majore protinus venit. Tenuit & noſtrâ memoriâ Caii Principis, ab Aſtura Antium remigantis, ut res eſt, etiam auſpicalis piſciculus. Siquidẽ noviſſimè tùm in urbem reverſus ille Imperator ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cum è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa navem, invenêre adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Cajo, indignanti hoc fuiſſe quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe incederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus.

Plin. l. 32. c. 1.

VII.

Liquor jecoris piſciculi Aelpuick obſcuritati viſus utilis, ſecretum non revelandum.

Ex jecore cujuſdam piſciculi, vulgari linguâ, à noſtris dictus Aelpuick, liquor quidam defluit, experimento certo, obſcuritati viſus admodum commodus & utilis. Capitur autem hic piſcis in aquis Veenlandiæ propè Delphenſem Urbem. Mollis eſt & valdè limoſus, ſubnigriuſculus, & aliquantum latior Anguillâ (muſtelæ fluviatilis genus, vulgô vocatur Alruyp / propter ſimilitudinem (a) quam habet cum Anguilla) cujus jecur, quod valde album eſt ac pingue, tegulæ alligatur cyatho ſubjecto vel vitro in ſole, ut ab eo pinguedo olei inſtar deſtillet, vel jecur tegulæ filo alligetur, vitro capaci imponatur & ſupra hoc aliud vitrum magis capax inſtar galeæ ſeu capitel-

telli superponatur & Soli exponatur; exilit autem liquor albus & clarissimus, ad modum olei puri destillantis, & usui reservetur. Hoc liquore cilia tantum & palpebræ superiores (non oculi) innungantur, & lachrymæ ab oculis exibunt, & is qui visum obscurum tenebrosumque habet, miraculi instar ilicò lucidum & luminosum recuperabit. *(b)*

a) *Goglen. de prorog. vita. pag. 518.* b) *Forest. l. 11. obs. 35.*

VIII.

Cyprinorum ortus spontaneus.

Non solùm maris & fœminæ commistione Cyprini nascuntur, sed etiam sponte, id quod experientia mihi confirmavit; vidi enim in Aquis, in cava loca & montibus septa receptis & collectis spontè generatos Cyprinos, in quæ loca, nec rivus, nec stagnum, nec palus, nec lacus, nec fluvius ullus, nulla denique Aqua præter cælestem influxisset. *(a)* Nec caret admiratione, quod audivi à quodam Nobiliss. & magni nominis viro, qui in Bohemiâ plurimis piscinis abundabat, affirmari, nimirum, si cespites, in quibus ova Cyprinorum matrices recentes deposuerunt, modo non comprimantur, ad aliquot milliaria, tempore sereno deportarentur, ibidem animari & fœtum producere optimum. *(b)*

a) *Rondelet. de pisc.* b) *Camerar. in not. ad l. 3. c. 9. Dubravii de piscin.*

IX.

Barborum piscium Caro, esui an utilis, cum ova, vi violentâ & purgante polleant.

Barbus licet fluviatilis sit piscis, viscosus tamen est,

eſt, quia veſcitur algis & cochleis, gaudetque latitare ſub collibus. Ganeones oſcula Barborum maximè appetunt, in genere ſalubriores ſunt menſe Majo. Horum piſcium majorem copiam nusquam vidi, ac in Thermis Embſenſibus, in Lano flumine, ubi ſimul tanta Serpentium in Lano fluitantium copia, quantam nunquam obſervare licuit. *(a)* Latet autem in molli & albâ Barborum piſcium carnis ſubſtantiâ, acrimonia quædam, id quod in ejus ovis apparet, quæ alvum perturbant & exagitant, modò per vomitum, modò per ſeceſſum, ac ſi antimonium vitrificatum quis ſumſerit. *(b)* Cum de ovis barbuli piſcis coctí duos tantum bolos comediſſem, experiundi gratiâ, nihil inde aliquot horis poſteà noxæ percepi. Demum ſub horam cœnæ, plurimam in ore ventriculi ſenſi inflationem, quam ut diſſolverem, aniſum ſumſi, ſed fruſtrà. Poſt horam facies mea apparuit, tanquam in ſyncope, ita ut aſtantes & admirari, & de meâ ſalute timere inciperent. Ego interim magnam, non ſolùm in ſtomacho & ventre, ſed omnibus membris externis alterationem, & inæqualem quandam intemperiem in unaquaque parte carnis ſentiebam. Tum ſupervenit paſſio cholerica, donec ſupra infraque ſimul, pluries ova purgarentur, magnâ cum anxietate, & virium proſtratione, maximoque vitæ periculo. *(c)* An hoc venenata aliqua vi, aut purgatoria violenta, aut utraque, ex abdita cæcaque virtute accidat, jam non dico, ſuſpicari autem quis poſſet, ſi ova tantarum virium, an non ipſa quoque barborum caro, deterioris alicujus alimenti ſit &c. *(d)* Cardanus certè neque frigidos, neque calidos, neque elixos, neque aſſatos Barbos commendat. *(e)* Verum, obſervatum

eſſe,

esse, non memini, aliquem ex illorum usu aliquid damni percepisse. *(f)*

a) *Mathæus in spec. sanit. c. 2.* b) *Quercet. diæt. polib. sect. 3. c. 7. Geglen. de pror. vit. p. 505. Horstius de tuend. sanit. stud. l. 1. c. 6. Libav. l. 4. sing. p. 372.* c) *Antonius Gazius, recensente Geßnero, histor. aquat. p. 145.* d) *Oberndorf. de un Ungar. p. 263 Negat hæc Thurnisius, scribens:* Ein Barbar Rogen / mit Wein und Salz / biß auff sein statt wolgesotten / und mit Ingwer besprenget und gessen / ist under all andern (dieweil dieses ein SPEIS ist) die lieblichst purgaz. *l. 4. c. 18. de aq. miner. Sed, quis credat Aurifabro mancto, qui post deceptos & fascinatos insignes Principes, Magnates & doctos viros (ut solent ejusmodi pollicitatores) diuturno miserabilis carceris supplicio, suas chimicas imposturas luit. Ioan. Bauhin. de font. mir. l. 2. c. 1.* e) *de sanit. tuend. l. 3 c. 69.* f) *Sennert. instit. l. 4. part. 1. c. 3. Affirmat l. 3. pract. p. 160 l. de ovis.*

X.

Luciorum piscium ortus unde.

An, si rationem à philosophis proditam, undé nam Lucii sua sponte piscinas introeant, non habeo, quam vellem, ipsam interim opinionem quoque tacitus supprimam; quam Piscinarii in vulgum spargunt? Ego verò libentius opinione, vel Idiotarum utar, quàm ut cum Atheneo & Philarcho, Philosophiæ studiosis, affirmare audeam, Pisces aliquando de cælo in terram, cum pluviâ pluisse. Ad nos, scilicet ejus generis pluviæ nunquam perveniunt: at non rarò Anaticulæ ad piscinas nostras advolant, ut ingluviem suam, vel fætu, vel ovis, tùm Luciorum, quàm

quàm Cyprinorum expleant. Propiorem itaque veri habet speciem, id quod Piscinarii autumant. Anaticulas, dum semine Luciorum ventrem plenum & adhuc crudum, vomitu ad piscinas exonerant, simul easdem piscinas, semine illo egesto etiam conserere, Luciosque ex eo satu animari. *(a)* Nostri piscinarii quoque sunt in eâ opinione, ova vel fætum Luciorum, Cyprinorum ac inprimis Percarum, alis Anatum inhærere, & sic ex unâ piscinâ in alteram, etiam invito Domino, deferri. *(b)*

a) *Ian. Dubrav. l. 3. c. 12. de piscin.* b) *Camerar. in not.*

XI.

Lucii pisci vulnus sponte coalescit.

In Anglia Ichtyopolæ Lucios cultro dissecant, ut pingues esse empturis ostendant, quos non emptos in vivaria conjiciunt, in quibus vulnus coit & coalescit. Quod Naturæ periti Tincis adscribunt: quia iis Lucii se affricant, ut illarum mucore viscido vulnus illinant, & sic rimæ ora committuntur, ut propiùs etiam inspicienti coaluisse videri possunt. *(a)* Sed & sine Tinca, quid prohibet? secum enim ipse sibi fert, quod ferat suppetias. Nonne vides, esitando, tractandoque eum, ut nobis digiti cohæreant. *(b)*

a) *Porta l. 5. Phytogn. c. 12.* b) *Scalig. exerc. 201.*

XII.

Elegans spectaculum Ranæ ulciscentis Lucii violentiam.

Non mihi tempero, quin spectaculum, quod ad vivaria Arci Cremsiriensi subjecta, dum Stanislaum Thurzonem Pontificem meum assector, à me oculis

tunc

tùnc ſpectatum, verbis quoque ſpectandum repræſentem. Delitèſcebat in latebris ripæ vivarii, Lucio diſcors Rana, cum forte Lucius otioſo ſimilis, levi caudæ motu ſummas vivarii aquas ultrò citroque ſulcaret, quoad tandem ad locum, quem inſidiis faciùndis Rana cepit, propiùs appelleret: non omiſit benè gerendæ rei occaſionem Rana, ſed ſimul atque facultatem aſſiliendi hoſtis ſibi oblatam vidit, ita ut erat ſinibus buccarum inflatis, oculisque præ irâ flagrantibus repente in caput illius inſilit, lateque divaricatis pedibus, frontem circumplexa (vide ſolertiam animalculi) in ipſos præcipuè oculos Lucii invadit, molliſſimaſque & cariſſimas lancinat partes, at ille dolore exagitatus, modò citato per undas curſu ferri, fluctuſque circum ſe concitare, modò vertigine rotari, modò fruticum & arundinum, quæ in vivario ſubnatæ emicabant, attritum quærere, ſi quo pacto malè conciliatum, nullarumque præ ſe virium inſeſſorem, fronte excuteret. Cæterùm omnes ejus conatus in caſſum cadebant, tàm mordicus eandem frontem Rana obtinebat, tamque pertinaciter pœnas ab avidiſſimo corporis ſui vexatore exigebat, donec torpeſcentibus, ex multa luctâ viribus, ipſe Lucius victus ſuccubuit, ſeque Ranamque unà in ima gurgitis demerſit. Adhuc nobis omnibus, qui aderamus, eodem loci ſubſidentibus, luctatoresque, qui jucundum nobis ſpectaculum de ſe exhibuerant, oculis requirentibus; ecce tibi Rana ſubitò in altum exilit, moreque victorum ovans, coaxans, vitulansque, rursùs ſe in palatia ſua recepit. Imperat extemplo Pontifex, acciri piſcatores, qui Lucio retibus invento, in lucemque prolato, cognoſcendi poteſtatem face-

rent,

rent, quidnam cum illo demerso actum esset, atquî miser ille utroque lumine orbus extrahitur, non sine omnium nostrum admiratione: at Piscatores vetant casum mirari, se enim crebrò talibus certaminibus intervenire, sæpènumeroque à Ranis Lucios excæcatos, atque eosdem emaciatos, piscari, quoniam amissis oculis venari sibi pisces nequeunt, sed sterili tantùm arenâ ventres saburrant.

Ian. Dubrav. de piscin. l. 1. c. 6.

XIII.

Lucii etymon, ejus crudelitas tùm in alienos, tùm in sui generis pisces.

Lucium à lucendo, Bellonius dictum arbitratur (ut ipse mihi retulit) quod siccatus nocte luceat. *(a)* Ingenio & naturâ pariter fermè moratus est, ut Lupus quadrupes, nam similiter violentus & rapax & maleficus est *(b)* Voracissimus est. Ejus cibus sunt pisces, & quicquid ranarum more repit. Piscem ad magnitudinem propè sui comedit: nam ubi victum subegerit, caput primum ore devorat: quo digesto paulatim addit sequentia, donec totum consumat. *(c)* Narrant passim, inventum in ejus ingluvie Buffonem aquaticum fuisse, cujus nihilominus carnes, in mensam illatæ nulli attulerunt noxam. *(d)* Dentibus acutis, longis, firmisque armatus est, quem verè dicere possemus, in animalia grassari. Cujus rei exemplum proferam. Narravit mihi vir fide dignissimus, vidisse se Mulæ, quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferius à Lucio dentibus apprehensum, cujus demorsu cruciatam & territam inde fugisse: & crebrâ capitis quassatione Lucium in ter-

terram dejecisse, quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit. Certum est, FELES parvos & CANES in vivaria Luciorum conjectos ab iis devorari. *(e)* Cracoviensis quidam Polonus nuper nobis retulit, anseris pullos duos in ventre Lucii à se visos: & hujus generis piscem aliquando pedem ancillæ in piscinâ apprehendisse. *(f)* Piscibus vescitur, & ne suo quidem generi parcit *(g)* (Lucillum enim è lucii ventre exemimus manu nostra, *(h)*) vel ob naturalem crudelitatem: vel quia avidus est cibi, rapinæque impatiens. *(i)* Morsum ejus non innoxium esse audio, & ægrè sanari. *(k)*

a. f. k) *Gessn. de aquat. p. 593. 594. 596.* b) *Dubrav. l. all.* c. g. i) *Autor de rer. nat.* d) *Libav. l. 1. batrach. schol. ad c. 11.* e) *Rondel. de Siluro.* h) *Scalig. in comment. in Arist. hist. de Anim. l. 1. c. 6. t. 42.*

XIV.

Lucii Piscis ætas.

Lucius Piscis Anno salutis 1497. captus est in stagno circa Haylbrun, Imperialem Sueviæ Urbem: & repertus in eo annulus ex ære Cyprio, in branchiis sub cute, modicâ parte splendere visus, cum inscriptione tali: *εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς ταύτῃ λίμνῃ πάντων πρῶτος ἐπιτεθεὶς διὰ τῶ κοσμητῶ Φρεδηρίκω β- τὰς χεῖρας ἐν τῇ ε- ἡμέρᾳ τῶ ὀκτωβρίω:* id est, ego sum ille Piscis, huic stagno omnium primus impositus, per Mundi Rectoris Frederici secundi manus, d. 5. Octobris. 1230. inde colligitur piscem illum in stagno vixisse annis 267.

Geßner. in præfat. hist. aquat. ex Conr. Celte. Oberndorfer scribit p. 262. de l. Ung. imposuisse Frid. Imperat.

Lucium in die wack *(ſtagnum)* gen Lautern/ *inde allatum Heidelbergam 6. Novemb. 1497.*

XV.

Anguillæ Etymon, ſine parente, ſine ſexu, muſtelæ cognata, ſanitati inimica.

Anguilla dicitur, quod anguis formam habeat (*a*) unde Juvenalis;

Vos Anguilla manet longæ cognata colubræ (b)

vel ex Græco ἐγχελύς, ab ἄγχω & ἴλυς, quod in aquâ cænosâ, ut & vino capiatur & ſtranguletur. (*c*) Sola inter ſanguinea animalia ex putredine (*d*) gignitur (ut vermes in terra, id quod experientiâ compertum fuit. Aliquando enim Equo mortuo, in Magalonæ ſtagnum injecto, paulò pòſt innumerabiles Anguillæ illic viſæ ſunt, quod ego ita accipio, ut non ex Equi tantùm, ſed etiam ex aliorum animalium cadaveribus (*e*) generentur) cui nullus ſexus eſt, nec etiam generationis initium (quod ita eſſe argumento conſtat, quod in nonnullis fæculentis ſtagnis, aquâ omni exhauſtâ & limo detracto, Anguillæ denuo generantur, ubi aqua acceſſerit pluvia: nam ſiccis temporibus gigni nequeunt, etiam in lacu perenni, quippe imbre & vivant (*f*) & alantur) & diu vivit ſine Aquâ, etiam ad quinos vel 6. dies, quoniam parvâ refrigeratione indiget & tenui gaudet aquâ. Aër autem aquæ tenuioris ſemper partem aliquam continet. Generari creditur ex muſtelis, quas terræ inteſtina vocant: & certè ſimilitudo magna eſt inter eas, & conjectura evidens, quòd neque origo Anguillarum alia, nec finis alius Muſtelarum inveniatur. Commune eſt utrique generi oſſibus penitus carere, nam

pro

pro ſpinâ, nerveam membranam rotundam habent funis inſtar. *(g)* quâ non exemptâ, antequam coquatur, veneni particeps eſſe Anguilla creditur. *(h)* Caro ejus dulcis quidem eſt, ſed glutinoſa: & humiditate multa ſcatens, ſuccum pravum generat; & nec ægris, nec ſanis, imprimis copioſior paulò, ejus uſus ſatis tuto conceditur. Præcipuè ſtomachicis, calculi & podagræ obnoxiis nocet, menſesque fæminarum retardat. *(i)* Neque morbis ullis medetur, ſicut Natura iniquè feciſſe videatur, quæ tàm ſuavem refutandis expuendiſque piſcibus indiderit ſaporem. *(k)* Et licet apud Athenæum, *(l)* πάντων ἰχθύων ἐυχυλώτεροι dicantur: id tamen potius de ſuavitate & jucunditate ſaporis, atq; alimenti copia, ſi rectè concoquantur, quàm de ſucci bonitate accipiendum eſt *(m)* Anguillæ contra quàm marini piſces, ſalſam aquam appetunt, quâ guſtata mirè agiles efficiuntur, minusq; lubrici, atque eſui ſalubriores, quo fit ut circa Catarrhactas (noſtri Schlüſen vocant, à claudendo) quæ apertis valvis aquam, qua hibernis menſibus agri opprimuntur, violento impetu in mare profundunt, inuſitatæ magnitudinis Anguillæ maſſis ac ſagenis eximantur. *(n)* Benedictus Faventinus, in ſuo auditorio habuit juvenem Scholarem, qui repentè Epilepſia concidit. Cum autem ad ſe rediiſſet & reſtitutus eſſet, quærentes alii ab eo, quid manè in prandio eſitaſſet, dixit copioſè ſe Anguillas devoraſſe, & ſtatim cum hæc narraſſet, abundè carnem Anguillarum evomuit, & ex toto liber fuit. *(o)* Anguillæ pinguedo, quæ, dum torretur, exudat, proprietate quadã, in hæmorroidum fluxu ſiſtendo agit. *(p)* Si una vel altera gutta pinguedinis, cum proprio felle admiſto, in

aurem fundatur, eſt medicamentum, à proprietate valens ad ſurditatem, quovis modo excitatam. (q)

a) *Varro l.4.de lat.ling.* b) *l 1.ſat. 5.* c) *Henisch. ·heſ. ſap. germ.p.1.* d. g) *Card.l.9.de ſubtil.* e) *Rondel. de hiſt. aquat.* f) *Ariſtot.l.6.de hiſt. anim.c.16.Porta l.2. Phytogn. c.2.* h) *Gogl. de pror. vit.p.507.* i. m) *Sennert.inſtit.l.4. p.1.c.3. Quere. diat.polih.ſect.3 c.7. Hipp. de morb.ſacro. Gal. l. de cib. bon. & mal. ſucc. c. 15. de atten. diat. c.6. Obernd de l.ung.p.262.Horſt.de ſan.tu.l.1.c.6.* k) *Arnold. de vill.nov.comment. ad c.31.Schol. Salern.* l) *l 7. diþnoſ.* n) *Lemn.l.4. de occ. nat. mir. c.2.* o) *Foreſt. ſchol.ad obſ. 57.lib.10.* p) *Plater. de vit. p.708.* q) *Dom. Leon. l. 5. prax.ſ.1.c.4.*

XVI.

Cur ex Anguillarum cadaveribus Anguillæ gignantur.

Id ferè commune eſt omni animantium generi, ut ex ſuo cadavere, ſanie, liquore, cineribus quoque ſimile ſibi gignant, quando natura generis propagationem ex ſemine denegavit: ſic enim ex oſtreorum lacte vel humore, maritimis ſaxis ac rupibus ſuperfuſo, naſcuntur oſtrea: & Aqua ſola, in quâ coctæ ſint Anguillæ, in limoſam paluſtremque aquam infuſa, gignit Anguillas. Idem de Phænicis avis Arabicæ cineribus, plerique Phænicem renovari tradunt.

Bodin.theat.nat.l 3.p. 402.

XVII.

Cur mortuæ Anguillæ non fluitent.

Mortuæ Anguillæ non fluitant, ac ne ſurſum quidem efferuntur, veluti piſcium pars maxima, habent enim

enim ventrem *(a)* modicum, (neque enim aquâ implentur, ut fluitent, sed quasi massa ad principia sua deferuntur, è limo enim ortæ sunt, *(b)* aëris quoque ingeniti parùm inest in ventre, quare post mortem aëre evanescente, non mirum, si super summam aquam non (*c*) ferantur) Pinguedinem autem *(d)* paucæ habent (pinguia enim *(e)* non fluitant;) plurimæ non *(f)* habent. Paucæ sanè extra carnem adipem habent, sed totum rarum corpus, viscidum ac valdè aëreum est. Fluitant autem cadavera, non priùsquam putrida sint: aquâ enim tabida, ac jam penè aquea facta aquæ naturam referunt: turgidoque corpore calore peregrino solutæ aquæ partes non paucæ in aërem, leviora faciunt. *(g)*

a. d. f) *Aristot l. 8. de hist. anim. text. 49.* b. e. g) *Scal. in comm.* c) *Rondelet. de pisc.*

XVIII.

Cur pisces mortui aquis innatant, vivi ad fundum stabulantur?

Spiritibus sanè vivi sunt referti & calore, quorum utrumque deest defunctis. Contrà itaque evenire par erat. Num ideo quia mortuis abest Rector? Alius situs est meræ naturæ, alius vita animali instructæ, quæ suis usa instrumentis regit suum corpus & disponit convenienter. Homo sic mergitur & enatat beneficio motus, instrumentorum & dispositione mutata. Sic Mergi, & Anates, pisces quoque cum videtur, summa & ima petunt vicissim. Mortui in latiorem plerumque partem procumbunt, quæ adjuvat natatum. Cum vivi se mergunt, in caput, ventremque, aut mi-

nus aquæ comprehendentem regionem inclinant, quomodo & aves utuntur aëre.

Libav. l. 2. sing. p. 201.

XIX.

Arcanum Naturæ de cancris.

Mirabile & in Naturæ Majestate planè reconditum atque abstrusum, Febricitanti, si ungues in pedibus & manibus resecentur, vivique cancri dorso adalligentur, cancerque in aquam fluentem vivus conjiciatur, febrim remissuram, cujus experimenti possem, si opus esset, producere testes, qui id non semel documento comprobarunt.

Goglen. de pror. vit. p. 545.

XX.

Cancri Peruani Phtisicis utiles.

Nobilis quidam vir ex Continenti rediens, mihi affirmavit, post diuturnas febres continuas isthic in Phtisim incidisse: at postquam ex quorundam consilio ad parvas quasdam, inter divitem Portum & Margaretam, Insulas ablegatus fuisset, in quibus plurimi nascantur omnium optimi cancri, (solis enim ovis, quæ illic Columbæ ponunt, & earum recens exclusis pullis vescuntur) ut eos coctos solùm ederet: pòst aliquantulum temporis, quo ista victus ratione usus fuisset, optimè convaluit: tametsi ante nihil illi Psittacorum esus, qui ad hunc morbum commendatur, profuisset.

Monard. l. 3. simpl. med. ex nov. orb. del. p. 46.

XXI.

Cancri secundinam movent.

Recipe cancrum circa diem Iohan. Baptistæ, quan-

quando Sol intrat Cancri ſydus, torre in clibano & in pulverem redige. De hoc exhibe mulieri in retentione ſecundinæ, & tutò movebit. Habet enim ſuos menſtruos motus inſtar uteri hoc animal, quemadmodum adhuc plura ſunt in natura, qui idem præſtant.

Beckor. Herm. rediv. p. 106.

XXII.

Lacertus diſſectus iterum coaleſcit.

Si quis fortuitò lacertum, ſeu conſultò in calvariam percutiat, & virga medium diſcindat, hujus partium neutra moritur, ſed ab altera ſeorſim utraque graditur, & duobus pedibus adreptis vivit; deinde ſi coitio utriuſque cum altera fiat, conſenſione quadam tacita & naturali colligatione veluti conſeruntur, contexunturque, atque ex ſeparatis duabus partibus, unus atque idem rurſus efficitur Lacertus: & tametſi loci prius affecti veſtigium cicatrix indicat, tamen & vitam priſtinam retinet, & ei perſimilis eſt, qui talia nunquam perpeſſus ſit.

Porta l. 5. Phytogn. c. 12.

XXIII.

Lumbricus an pellat Lumbricum.

Ex vulgi judicio Gabelkoverus (*a*) depromſit medicamentũ contra lumbricos, ex lumbrico primo, qui prodit è puero. Negãt tunc renaſci ullos. Ita ad nimios menſes ex vino eoſdem ſumere jubent, horrore potius naturæ ſi ſciatur, aut aliâ vi juvante, quàm occultâ proprietate. Theod. Taberæmontanus, putavit (*b*) Empiricos pulvere lumbricorum dato, in homine

lumbricos procreare, fors ut rubetæ ex rubetis, in cinerem redactis, narrantur fieri. Sed non est tanti, prima seu fætura, seu apparitio. In ancipiti res est. Paracelsus *(c)* ait: multi expellunt vermes ex hominibus, quorum medicamenta eosdem etiam fecerunt. Nolim ego mihi sic pelli vermes, ut lucrer integram eorundem societatem, & perpetuum convictorium. Et Vermes in vermibus ex iisdem nasci indicat historia Amati Lusitani de magno Lumbrico puellæ, ex quo, cum à patre calcaretur, prorepserunt vermes plures alii. (*d*) Rotundi etenim vermes, intra intestina nidificant, fœtant & pariunt. *(e)* Dicunt aliàs fugari mures & talpas cadavere suæ speciei in domicilium seu locum conversationis immisso, vel etiam excoriato mure demisso. Credo istud fieri fætore sui similis. Cuique quidem suum olerum benè olet, sed non alterius individui in eadem specie. Dum itaque durat fætor, abiguntur bestiæ, sicut astacorum putredine. Sed non in perpetuum. Experimento cognovi mures aufugere, uno atque altero interfecto & putrescente in suâ caveâ: sed putredinis halitu cessante redeunt. Itaque alia medicamenta quærenda, aut idem crebro repetendum. Vin' rationem acutam istius auxilii? dico. Empiricos gignere in hominibus lumbricos, sicubi nulli sunt, id quod cognoverunt experimento sui pulveris. Ne ergo falsi putentur, præbent pulverem lumbricorum, & similem producunt fæturã. Sin autem adsunt istæ bestiæ, pelluntur ex se petito medicamento. Aut facit ranas ranarum pulvis, aut factas inventasque pellit. Pellitur enim malum mălo, inquit vulgus, si non invenit, quod pellat, inducit. *(f)*

a) de

a) *de lumbr. puer. pag. 138.* b) *l. 1. de plantis c. 5.* c) *l. de Verm.* d) *centur. 5. obs. 46.* e) *Hippocr. l. 4. de morb.* f) *Libav. libr. 2. batrach. schol. ad cap. 15. & 16. Quercet. pharm. dogm. cap. 15. Lemn. libr. 1. de occ. natur. mir. c. 22.*

Plura de lumbricorum usu Vide centur. 8. part. 100.

XXIV.

Num Rubetæ ex cineribus instaurari queant?

Ex combustæ Rubetæ cineribus in cucurbitâ chymicâ, vel fimo specie putrefactionis procuratæ resuscitari rubetas, congruit cum generatione serpentum Paracelsicâ, & restauratione Phænicis, si ulla est. Non libet asserere, nec pertinaciter inficiari. Nullam enim habeo rerum istiusmodi experientiam, nec procurare libet. Retulit tamen illud, J. Bapt. Porta *(a)* rubetas scilicet ex putredine & corruptione aliquas nasci, imò ex cremati buffonis cinere & relicto plures generari, quæ videntur sumpta esse ex 6. natur. Paracelsi, ubi serpentes restituit per putredinem. Ratio dictat omnem similitudinis vim & progenerationis ad simile tunc vi ignium perire. Quid enim quæso relinquitur vitale? Cinis & in eo salsugo. Spiritus aëreus & mercurialis dissipatus est. Cur non ex cadavere putrefacto promittitur revocatio? nescio an non sit simul affirmandum ex combusto vitulo renasci vitulos, quæ res olim saltem tot sacrificiis fuisset comprobata. Multa finguntur audacius, ob aliquam analogiam. Quot cadavera passim putrescunt? Crabrones ex equo, non Equi fiunt, ex bove apes, ex homine vermes, non homines. In herbis adhuc imperfectiorem ortum animali habentibus, id

non accidit. Quî credam evenire in animalibus, nisi subsit seminium incorruptum? Ignis non relinquit hoc, illud servat, sed violentè solvit mista, si quæ sunt subtilia. Dicere à cælo accipere relictos cineres sibi convenientem formam, instar fomitis aridi, in explicatione suâ valeat, sed massam jam fecit ignis ex buffone, non proximè dispositam ad buffones, verùm ad alia quoque. Et si fagi vel salviæ cinis, non captat è cælo formam suæ plantæ, quî credam istud de buffonibus & serpentibus? Combure muscas, herbasque & alia æquè facilis generationis & spontaneæ, si ex cineribus istis solis revocabis easdem species, assentiar: ne quid dicam non facilè aliàs in cineribus sive adhuc salem suum habentibus, sive elutis solere existere gramina vel similia, nisi conversa tandem in terram fuerint, aut sub se habuerint terram idoneam. *(b)*

a) *l. 6. phytogn. cap. 2.* b) *Libav. lib. 4. singul. pag. 386.*

De fungis redivivis vide centur. nost. memorab. 3. part. 96. centur. 7. part. 91. de serpentibus redivivis. cent. 5. par. 85.

XXV.

Lapis Buffonius appensus, lumbricos abigit.

Ad omnem Lumbricorum affectum, quocunq; modo se habeat, experimento constat, optimum esse Lapidem Bufonis appensum puero.

Rein. Solen. sect. 3. cons. 30.

Plura de Crapundinis vide cent. nost. 4. part. 31. centur. 7. part. 82.

XXVI.

XXVI.

Quidam ob vermes Germanicâ linguâ loquebatur, cum nunquam eam didicisset.

Phliarius Spoletanus, natione Italus, nec in Germania versatus unquam, pulchrè tamen Germanorum linguâ loquebatur, quasi dæmone detentus: quamobrem curabatur à Panaceo Medico celebri: isque medicamento exhibito magnum vermium numerum eduxit, solvitque hominem morbo, & linguæ Germanicæ usu privavit.

Erasm. Roter. in orat. de laude Medic.

XXVII.

Buffonum præparatio, eorumq; in Peste utilitas.

Buffonum duo sunt genera, aquatilia & terrestria, utraque venenosa. Præcipuè terrestria. In peste tamen aliquoties, non sine fructu usus sum buffonibus, nunc integris, nunc in pulverem redactis. Accipio autem Buffones terrestres, eosque aëri suspensos & sole ventoque exsiccatos, ac postea in tegulam calidam collocatos, ut exsiccentur, eos in pulverem redigo, ante tamen mortarium & pistillum oleo scorpionum inungo, ne inter pistendum pulvis nares feriat, & cerebrum venenosâ suâ qualitate offendat. Hujus pulveris accipio unc. j. fermenti acris unc. iiij. Theriac. opt. unc. j. fol. rutæ viridium Manip. j. Hæc omnia diligenter in mortario cum sufficiente quantitate mellis commisceo, & buboni aut anthraci appli-

plico, bis, aut ter in die... Emplastrum hoc, mirum in modum venenum ex corpore ad se trahit. Integer Buffo solo aëre exsiccatus, si buboni pestifero applicatus fuerit, venenum pestis mirum in modum ad se trahere, experientia docet. Affluxu enim humoris è corpore, ita intumescit Buffo, ut reviviscere videatur, & tum abjiciendus, novusque applicandus est, donec venenum satis extractum fuerit, nonnunquam quoque in ipso loco affecto magis exsiccatur Buffo, idque pessimum est indicium, naturam enim jam à morbo prostratam, labefactatamque esse indicatur. In exsiccatione autem Buffonum diligenter observandum est, ne venter ipsorum lædatur, illo enim læso, non amplius venenum pestis ad se trahunt, forsan quia læso ventre venenum ipsorum, cujus beneficio venenum pestis ad se trahunt, ex ipsis effluit.

G. Fabric. cent. epist. 96.

XXVIII.

Halitus Buffonum execrabilis venenationis.

Mercatores duo in diversorium publicum ad prandium ingressi, & in horto hospitis sibi folia salviæ collecta illota vino imponunt & macerari permittunt. Verùm inter prandendum, vertigine, spasmo, syncope, sudore frigido, vomituque aliisque gravioribus symptomatibus correpti protinus obierunt. Hospite cum domesticis suis, de exhibito veneno à Magistratu accusatis & in carcerem projectis, se cum mercatoribus de iisdem cibis comedisse constanter affirmarunt, de vino tamen in quo salviam macerarunt, non bibisse. Quapropter tandem ex consilio

Me-

Medici effossa salvia, Buffones quam plurimi ad radicem Salviæ inventi sunt, quibus Salvia infecta atque intoxicata fuerat.

Paraus chir. l. 20. c. 24. Similem histor. vide apud Mirald. memor. cent. 1 part. 1.

XXIX.

Infectio per palum, quo interemptus est Buffo.

Quidam cepit cannam, in cujus summitate steterat infixa Botrax, & expellens cum ea animalia ex suo agro reversus domum, quàm primùm incepit comedere, evomuit cibum, quem tangebat, nec cessavit, donec fuit sibi subministratus per manus alterius, & tunc cognoverunt, quod illud procedebat, à veneno cannæ inducto ab illa Botrace, & communicatum suis manibus: cum enim ipsa contineat venenum grossæ substantiæ, non aptum penetrare, ideo infectio non perveniebat ad terminum interficiendi, sed solùm inficiebat cutem.

Ferd. Ponzet. l. 3. c. 12. de ven.

XXX.

Intuitus Buffonis noxius.

Si quis Rubetam croceam deformem diutius aspexerit, quanquam optimè sit coloratus, tamen pallidus & lenticulosus tanquam ictericus efficitur: restituitur autem intuitu charadrii. Scribit Porta. (*a*) Mihi quidem sat prolixa contemplatio, tùm liberæ, tùm affixæ palo, atque etiam tractatio, nihil intulit incommodi. Sed formidolosis, quique facilè animo moventur, & passionibus obvii sunt, seu expositi ex-

externis injuriis ob teneritatem naturæ, id evenerit magis. Puto autem non tantùm oculorum spiritus vitiari, dùm cum imagine hauritur etiam nonnihil halituum venenosorum, maximè cum oculi applicantur oculis, & Buffo contra tendit aciem furenter, sed & vapores noxios cum aëre inspirari. Obliteratâ postea attentione, per aversionem mentis ad aliud objectum, spiritalis noxa facilè evanescit. An verò metus & formidolosa species pallorem exprimit? animi motum humores revocare ad cor in isto affectu constat. Sed hoc facto cutis pallescit. Verisimile fit hoc restitutionis facilitate. Nam cessante metu, tanquam causâ mutati coloris, redit constitutio prior. *(b)*

a) *l. 3. phytog. c. 4. & 6.* b) *Libav. l. 2. batrach. schol. ad cap. 17.*

XXXI.

Anhelitus Felium veneficium.

Pravus est anhelitus Felium, novi enim quosdam, qui cum noctu in lectis feles secum habuissent, & infectum ab eis aërem inspirassent, hectica febri & marasmo tandem consumti, perierunt. Nec ita pridem in Monasterio quodam, ubi permulti cati familiariter nutriebantur & in cænaculis, cubiculisq; & lectis frequentes erant, adeò pleriq; infecti sunt, ut intra breve tempus nec missa nec vespera, eo in monasterio decantarentur. *(a)* Ex his intelligere est, quàm minimè fabulosum sit, quod vulgus dictitat, feles infantibus esse exitiales: ipsorum enim ori toto corpore incumbentes, fuliginis exitum & thoracis motum intercipiunt, ac pestiferâ, quam de se demittunt, aura,

&

& exhalatione tenellorum infantum spiritus inficiunt & præfocant. *(b)*

a) *Avenz. proem. l. 1. Thenzir. Mathiol. com. ad l. 6. c. 25. Diosc.* b) *Paræus l. 20. c. 34.*

XXXII.

Serpentis historia mira.

Haud procul Dertonâ Palavicinum quendam, qui esset in venatione, & Hispanicâ lanceâ Serpentem interfecisset; eum ejusque equum morte deletos, audivi è fortissimo Equite Antonio Lazaro, qui sub patruo meo Bonifacio stipendia faciebat.

Scalig. de subtil. exerc. 200.

XXXIII.

Vipera morsu Canis mortuus.

Nos Viperas annis superioribus ad Theriacæ compositionem parantes, mediocris magnitudinis juvenem canem & sanissimum, à viperâ in natibus morderi ex industria permisimus, qui horæ quadrantis spacio à morsu vires sic amisit, ut stare amplius non posset, tremulusque factus & tumidus valdè, vomitu & per sedem multis ejectis excrementis tertiâ horâ interiit.

I. Bapt. Silvat. l. 2. de usu theriac. c. 3.

XXXIV.

Aranea industria & maximum artificium.

Videmus Araneam, telam construere (ex lanigero & lento *(a)* corporis succo) inter duos ab invicem

aurem fundatur, est medicamentum, à proprietate valens ad surditatem, quovis modo excitatam. (q)

a) *Varro l. 4. de lat. ling.* b) *l 1. sat. 5.* c) *Henisch. thes. sap. germ. p. 1.* d. g) *Card. l. 9. de subtil.* e) *Rondel. de hist. aquat.* f) *Aristot. l. 6. de hist. anim. c. 16. Portal. 2. Phytogn. c. 2.* h) *Gogl. de pror. vit. p. 507.* i. m) *Sennert. instit. l. 4. p. 1. c. 3. Quere. diat. polih. sect. 3. c. 7. Hipp. de morb. sacro. Gal. l. de cib. bon. & mal. succ. c. 15. de atten. diat. c. 6. Obernd de l. ung. p. 262. Horst. de san. tu. l. 1. c. 6.* k) *Arnold. de vill. nov. comment. ad c. 31. Schol. Salern.* l) *l 7. dipnos.* n) *Lemn. l. 4. de occ. nat. mir. c. 2.* o) *Forest. schol. ad obs. 57. lib. 10.* p) *Plater. de vit. p. 708.* q) *Dom. Leon. l. 5. prax. s. 1. c. 4.*

XVI.

Cur ex Anguillarum cadaveribus Anguillæ gignantur.

Id ferè commune est omni animantium generi, ut ex suo cadavere, sanie, liquore, cineribus quoque simile sibi gignant, quando natura generis propagationem ex semine denegavit: sic enim ex ostreorum lacte vel humore, maritimis saxis ac rupibus superfuso, nascuntur ostrea: & Aqua sola, in quâ coctæ sint Anguillæ, in limosam palustremque aquam infusa, gignit Anguillas. Idem de Phænicis avis Arabicæ cineribus, plerique Phænicem renovari tradunt.

Bodin. theat. nat. l 3. p. 402.

XVII.

Cur mortuæ Anguillæ non fluitent.

Mortuæ Anguillæ non fluitant, ac ne sursum quidem efferuntur, veluti piscium pars maxima, habent enim

enim ventrem *(a)* modicum, (neque enim aquâ implentur, ut fluitent, ſed quaſi maſſa ad principia ſua deferuntur, è limo enim ortæ ſunt, *(b)* aëris quoque ingeniti parùm ineſt in ventre, quare poſt mortem aëre evaneſcente, non mirum, ſi ſuper ſummam aquam non *(c)* ferantur) Pinguedinem autem *(d)* paucæ habent (pinguia enim *(e)* non fluitant:) plurimæ non *(f)* habent. Paucæ ſanè extra carnem adipem habent, ſed totum rarum corpus, viſcidum ac valdè aëreum eſt. Fluitant autem cadavera, non priùsquam putrida ſint: aquâ enim tabida, ac jam penè aquea facta aquæ naturam referunt: turgidoque corpore calore peregrino ſolutæ aquæ partes non paucæ in aërem, leviora faciunt. *(g)*

a. d. f) *Ariſtot. l. 8. de hiſt. anim. text. 49.* b. e. g) *Sc. al. in comm.* c) *Rondelet. de piſc.*

XVIII.

Cur piſces mortui aquis innatant, vivi ad fundum ſtabulantur?

Spiritibus ſanè vivi ſunt referti & calore, quorum utrumque deeſt defunctis. Contrà itaque evenire par erat. Num ideo quia mortuis abeſt Rector? Alius ſitus eſt meræ naturæ, alius vita animali inſtructæ, quæ ſuis uſa inſtrumentis regit ſuum corpus & diſponit convenienter. Homo ſic mergitur & enatat beneficio motus, inſtrumentorum & diſpoſitione mutata. Sic Mergi, & Anates, piſces quoque cum videtur, ſumma & ima petunt viciſſim. Mortui in latiorem plerumque partem procumbunt, quæ adjuvat natatum. Cum vivi ſe mergunt, in caput, ventremque, aut mi-

nus aquæ comprehendentem regionem inclinant, quomodo & aves utuntur aëre.

Libav. l. 2. sing. p. 201.

XIX.

Arcanum Naturæ de cancris.

Mirabile & in Naturæ Majestate planè reconditum atque abstrusum, Febricitanti, si ungues in pedibus & manibus resecentur, vivique cancri dorso adalligentur, cancerque in aquam fluentem vivus conjiciatur, febrim remissuram, cujus experimenti possem, si opus esset, producere testes, qui id non semel documento comprobarunt.

Goglen. de pror. vit. p. 545.

XX.

Cancri Peruani Phtisicis utiles.

Nobilis quidam vir ex Continenti rediens, mihi affirmavit, post diuturnas febres continuas isthic in Phtisim incidisse: at postquam ex quorundam consilio ad parvas quasdam, inter divitem Portum & Margaretam, Insulas ablegatus fuisset, in quibus plurimi nascantur omnium optimi cancri, (solis enim ovis, quæ illic Columbæ ponunt, & earum recens exclusis pullis vescuntur) ut eos coctos solùm ederet: pòst aliquantulum temporis, quo ista victus ratione usus fuisset, optimè convaluit: tametsi ante nihil illi Psittacorum esus, qui ad hunc morbum commendatur, profuisset.

Monard. l. 3. simpl. med. ex nov. orb. del. p. 46.

XXI.

Cancri secundinam movent.

Recipe cancrum circa diem Iohan. Baptistæ, quan-

quando Sol intrat Cancri sydus, torre in clibano & in pulverem redige. De hoc exhibe mulieri in retentione secundinæ, & tutò movebit. Habet enim suos menstruos motus instar uteri hoc animal, quemadmodum adhuc plura sunt in natura, qui idem præstant.

Becker. Herm. rediv. p. 106.

XXII.

Lacertus dissectus iterum coalescit.

Si quis fortuitò lacertum, seu consultò in calvariam percutiat, & virga medium discindat, hujus partium neutra moritur, sed ab altera seorsim utraque graditur, & duobus pedibus adreptis vivit; deinde si coitio utriusque cum altera fiat, consensione quadam tacita & naturali colligatione veluti conseruntur, contexunturque, atque ex separatis duabus partibus, unus atque idem rursus efficitur Lacertus: & tametsi loci prius affecti vestigium cicatrix indicat, tamen & vitam pristinam retinet, & ei persimilis est, qui talia nunquam perpessus sit.

Porta l. 5. Phytogn. c. 12.

XXIII.

Lumbricus an pellat Lumbricum.

Ex vulgi judicio Gabelkoverus (a) depromsit medicamentū contra lumbricos, ex lumbrico primo, qui prodit è puero. Negāt tunc renasci ullos. Ita ad nimios menses ex vino eosdem sumere jubent, horrore potius naturæ si sciatur, aut aliâ vi juvante, quàm occultâ proprietate. Theod. Tabernæmontanus, putavit (b) Empiricos pulvere lumbricorum dato, in homine

lumbricos procreare, fors ut rubetæ ex rubetis, in cinerem redactis, narrantur fieri. Sed non est tanti, prima seu fætura, seu apparitio. In ancipiti res est. Paracelsus *(c)* ait: multi expellunt vermes ex hominibus, quorum medicamenta eosdem etiam fecerunt. Nolim ego mihi sic pelli vermes, ut lucrer integram eorundem societatem, & perpetuum convictorium. Et Vermes in vermibus ex iisdem nasci indicat historia Amati Lusitani de magno Lumbrico puellæ, ex quo, cum à patre calcaretur, prorepserunt vermes plures alii. *(d)* Rotundi etenim vermes, intra intestina nidificant, fœtant & pariunt. *(e)* Dicunt aliàs fugari mures & talpas cadavere suæ speciei in domicilium seu locum conversationis immisso, vel etiam excoriato mure demisso. Credo istud fieri fætore sui similis. Cuique quidem suum oletum benè olet, sed non alterius individui in eadem specie. Dum itaque durat fætor, abiguntur bestiæ, sicut astacorum putredine. Sed non in perpetuum. Experimento cognovi mures aufugere, uno atque altero interfecto & putrescente in suâ caveâ: sed putredinis halitu cessante redeunt. Itaque alia medicamenta quærenda, aut idem crebro repetendum. Vin' rationem acutam istius auxilii? dico. Empiricos gignere in hominibus lumbricos, sicubi nulli sunt, id quod cognoverunt experimento sui pulveris. Ne ergo falsi putentur, præbent pulverem lumbricorum, & similem producunt fæturā. Sin autem adsunt istæ bestiæ, pelluntur ex se petito medicamento. Aut facit ranas ranarum pulvis, aut factas inventasque pellit. Pellitur enim malum mâlo, inquit vulgus, si non invenit, quod pellat, inducit. *(f)*

a) de

a) *de lumbr. puer. pag. 138.* b) *l. 1. de plantis c. 5.* c) *l. de Verm.* d) *centur. 5. obs. 46.* e) *Hippocr. l. 4. de morb.* f) *Libav. libr. 2. batrach. schol. ad cap. 15. & 16. Quercet. pharm. dogm. cap. 15. Lemn. libr. 1. de occ. natur. mir. c. 22.*

Plura de lumbricorum usu Vide centur. 8. part. 180.

XXIV.

Num Rubetæ ex cineribus instaurari queant?

Ex combustæ Rubetæ cineribus in cucurbitâ chymicâ, vel fimo specie putrefactionis procuratæ resuscitari rubetas, congruit cum generatione serpentum Paracelsicâ, & restauratione Phænicis, si ulla est. Non libet asserere, nec pertinaciter inficiari. Nullam enim habeo rerum istiusmodi experientiam, nec procurare libet. Retulit tamen illud, J. Bapt. Porta *(a)* rubetas scilicet ex putredine & corruptione aliquas nasci, imò ex cremati buffonis cinere & relicto plures generari, quæ videntur sumpta esse ex 6. natur. Paracelsi, ubi serpentes restituit per putredinem. Ratio dictat omnem similitudinis vim & progenerationis ad simile tunc vi ignium perire. Quid enim quæso relinquitur vitale? Cinis & in eo salsugo. Spiritus aëreus & mercurialis dissipatus est. Cur non ex cadavere putrefacto promittitur revocatio? nescio an non sit simul affirmandum ex combusto vitulo renasci vitulos, quæ res olim saltem tot sacrificiis fuisset comprobata. Multa finguntur audacius, ob aliquam analogiam. Quot cadavera passim putrescunt? Crabrones ex equo, non Equi fiunt, ex bove apes, ex homine vermes, non homines. In herbis adhuc imperfectiorem ortum animali habentibus, id

non accidit. Quî credam evenire in animalibus, nisi subsit seminium incorruptum? Ignis non relinquit hoc, illud servat, sed violentè solvit mista, si quæ sunt subtilia. Dicere à cælo accipere relictos cineres sibi convenientem formam, instar fomitis aridi, in explicatione suâ valeat, sed massam jam fecit ignis ex buffone, non proximè dispositam ad buffones, verùm ad alia quoque. Et si fagi vel salviæ cinis, non captat è cælo formam suæ plantæ, quî credam istud de buffonibus & serpentibus? Combure muscas, herbasque & alia æquè facilis generationis & spontaneæ, si ex cineribus istis solis revocabis easdem species, assentiar: ne quid dicam non facilè aliàs in cineribus sive adhuc salem suum habentibus, sive elutis solere existere gramina vel similia, nisi conversa tandem in terram fuerint, aut sub se habuerint terram idoneam. *(b)*

a) *l. 6. phytogn. cap. 2.* b) *Libav. lib. 4. singul. pag. 386.*

De fungis redivivis vide centur. nost. memorab. 3. part. 96. centur. 7. part. 91. de serpentibus redivivis. cent. 5. par. 85.

XXV.

Lapis Buffonius appensus, lumbricos abigit.

Ad omnem Lumbricorum affectum, quocunq; modo se habeat, experimento constat, optimum esse Lapidem Bufonis appensum puero.

Rein. Solen. sect. 3. cons. 30.

Plura de Crapundinis vide cent. nost. 4. part. 31. centur. 7. part. 82.

XXVI.

XXVI.

Quidam ob vermes Germanicâ linguâ loquebatur, cum nunquam eam didicisset.

Phliarius Spoletanus, natione Italus, nec in Germania versatus unquam, pulchrè tamen Germanorum linguâ loquebatur, quasi dæmone detentus; quamobrem curabatur à Panaceo Medico celebri: isque medicamento exhibito magnum vermium numerum eduxit, solvitque hominem morbo, & linguæ Germanicæ usu privavit.

Erasm. Roter. in orat. de laude Medic.

XXVII.

Buffonum præparatio, eorumq; in Peste utilitas.

Buffonum duo sunt genera, aquatilia & terrestria, utraque venenosa. Præcipuè terrestria. In peste tamen aliquoties, non sine fructu usus sum buffonibus, nunc integris, nunc in pulverem redactis. Accipio autem Buffones terrestres, eosque aëri suspensos & sole ventoque exsiccatos, ac postea in tegulam calidam collocatos, ut exsiccentur, eos in pulverem redigo, ante tamen mortarium & pistillum oleo scorpionum inungo, ne inter pistendum pulvis nares feriat, & cerebrum venenosâ suâ qualitate offendat. Hujus pulveris accipio unc. j. fermenti acris unc. iiij. Theriac. opt. unc. j. fol. rutæ viridium Manip. j. Hæc omnia diligenter in mortario cum sufficiente quantitate mellis commisceo, & buboni aut anthraci appli-

plico, bis, aut ter in die... Emplaſtrum hoc, mirum in modum venenum ex corpore ad ſe trahit. Integer Buffo ſolo aëre exſiccatus, ſi buboni peſtifero applicatus fuerit, venenum peſtis mirum in modum ad ſe trahere, experientia docet. Affluxu enim humoris è corpore, ita intumeſcit Buffo, ut reviviſcere videatur, & tum abjiciendus, novusque applicandus eſt, donec venenum ſatis extractum fuerit, nonnunquam quoque in ipſo loco affecto magis exſiccatur Buffo, idque peſſimum eſt indicium, naturam enim jam à morbo proſtratam, labefactatamque eſſe indicatur. In exſiccatione autem Buffonum diligenter obſervandum eſt, ne venter ipſorum lædatur, illo enim læſo, non amplius venenum peſtis ad ſe trahunt, forſan quia læſo ventre venenum ipſorum, cujus beneficio venenum peſtis ad ſe trahunt, ex ipſis effluit.

G. Fabric. cent, epiſt. 96.

XXVIII.

Halitus Buffonum execrabilis venenationis.

Mercatores duo in diverſorium publicum ad prandium ingreſſi, & in horto hoſpitis ſibi folia ſalviæ collecta illota vino imponunt & macerari permittunt. Verùm inter prandendum, vertigine, ſpaſmo, ſyncope, ſudore frigido, vomituque aliiſque gravioribus ſymptomatibus correpti protinus obierunt. Hoſpite cum domeſticis ſuis, de exhibito veneno à Magiſtratu accuſatis & in carcerem projectis, ſe cum mercatoribus de iiſdem cibis comediſſe conſtanter affirmarunt, de vino tamen in quo ſalviam macerarunt, non bibiſſe. Quapropter tandem ex conſilio

Medici effossa salvia, Buffones quam plurimi ad radicem Salviæ inventi sunt, quibus Salvia infecta atque intoxicata fuerat.

Paræus chir. l. 20. c. 24. Similem histor. vide apud Mirald. memor. cent. 1 part. 1.

XXIX.

Infectio per palum, quo interemptus est Buffo.

Quidam cepit cannam, in cujus summitate steterat infixa Botrax, & expellens cum ea animalia ex suo agro reversus domum, quàm primùm incepit comedere, evomuit cibum, quem tangebat, nec cessavit, donec fuit sibi subministratus per manus alterius, & tunc cognoverunt, quod illud procedebat, à veneno cannæ inducto ab illa Botrace, & communicatum suis manibus: cum enim ipsa contineat venenum grossæ substantiæ, non aptum penetrare, ideo infectio non perveniebat ad terminum interficiendi, sed solùm inficiebat cutem.

Ferd. Ponzet. l. 3. c. 12. de ven.

XXX.

Intuitus Buffonis noxius.

Si quis Rubetam croceam deformem diutius aspexerit, quanquam optimè sit coloratus, tamen pallidus & lenticulosus tanquam ictericus efficitur: restituitur autem intuitu charadrii. Scribit Porta. (a) Mihi quidem sat prolixa contemplatio, tùm liberæ, tùm affixæ palo, atque etiam tractatio, nihil intulit incommodi. Sed formidolosis, quique facilè animo moventur, & passionibus obvii sunt, seu expositi ex-

& exhalatione tenellorum infantum spiritus inficiunt & præfocant. *(b)*

a) *Avenz. proem. l. 1. Theuzir. Mathiol. com. ad l. 6. c. 25 Diosc.* b) *Paraus l. 20. c. 34.*

XXXII.

Serpentis historia mira.

Haud procul Dertonâ Palavicinum quendam, qui esset in venatione, & Hispanicâ lanceâ Serpentem interfecisset, eum ejusque equum morte deletos, audivi è fortissimo Equite Antonio Lazaro, qui sub patruo meo Bonifacio stipendia faciebat.

Scalig. de subtil. exerc. 200.

XXXIII.

Vipera morsu Canis mortuus.

Nos Viperas annis superioribus ad Theriacæ compositionem parantes, mediocris magnitudinis juvenem canem & sanissimum, à viperâ in natibus morderi ex industria permisimus, qui horæ quadrantis spacio à morsu vires sic amisit, ut stare amplius non posset, tremulusque factus & tumidus valdè, vomitu & per sedem multis ejectis excrementis tertiâ horâ interiit.

I. Bapt. Silvat. l. 2. de usu theriac. c. 3.

XXXIV.

Aranea industria & maximum artificium.

Videmus Araneam, telam construere (ex lanigero & lento *(a)* corporis succo) inter duos ab invicem

cem distantes parietes, & in eorundem summo interstitio ponè tectum, etiamsi per 100. brachia à terra distet, adeò ut nendo deorsum se præcipitem det plateam usque, quam & filando graditur, & alium è regione parietem ascendit, donec ad summum pervenerit è fili positu primo alterius parietis, colligendo semper illa centum fili brachia, quibus collectis in rectitudine ad perpendiculum sufficienter stamen primum trahens glutine ligat: super quem postmodum graditur hinc inde, eâ arte, ut non possis longè majori admiratione affici, quam formicæ, pernicis, erinacei & aliorum, si quæ suaptè natura sunt eâ magnâ arte prædita bruta. Quod si aranea, ut muscis retia tendat, quum recta in adversum parietem volare saltaréve nequeat, descendere nendo statuit, adscendere deinde involvendo & texere deinde sursum, deorsumque, antè, retrò, dextrosum modò, modò sinistrorsum se vergens, ac eadem distantia fila & stamina etiam in gyrum vergens & nectens, minori majorivè distantiâ prout opus habet. *(b)*

a) *Lang. l. 2. ep. 2. Cic. de nat. Deor. l. 2. Plin. l. 11. c. 24. Aristot. l. 5. c. 27. l. 9. c. 29. histor. de anim.* b) *Æmil. Parisan. nob. exerc. de subtil. l. 2. exerc. 2. c. 9. Paræus. l. 1. p. 44.*

XXXV.

Aranei venenati indeprehensa vis.

Nobis pueris referebatur periculum Equitis, qui conspectum in buffone araneum dejicere conatus erat virga, quam gestabat manibus, ad regendum equum. Sed hæc postea veneno delibuta, ea parte, qua tetigerat araneũ, pedem Equitis infecit etiam per ocreas,

pene-

penetrante virulentia, & ingentem tumorem cum cruciatu excitante. Hoc ex vulgo. Nam certum facti authorem nunc non memini, poteſtque fieri ut alicubi etiam conſignata extet res geſta. Veriſimile tamen factu eſt, *(a)* cum & Scaliger referat, calcatum araneum per ſoleas transmiſiſſe venenum. Et in Vaſconia unius aranei transcurſu eoque leviſſimo crepuiſſe ſpeculum. *(b)* Hoſtilia totis ſubſtantiis & vires quoque naturales jugulantia ſunt plurima paſſim. (*c*)

a. c) *Libav. l. 1. batrach. ſ hol. ad c. 11.* b) *exerc. 186.*

XXXVI.

Aranei & Botracis inimicitia.

Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus, cum eſſet commodum. Is, cum à prandio ſupinus dormiret, buffo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere buffonem certa mors erat, non amoveri, quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt, ut Monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in quâ ingens araneus habebat telam. Factum eſt, mox Araneus, hoſte conſpecto, filò ſe librat, & Buffoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit Buffo, ſed non eſt avulſus. Repetitur ab Araneo, magis intumuit, ſed vixit. Tertiò ictus abduxit pedes, ac mortuus eſt. Hanc gratiam Araneus retulit hoſpiti ſuo. Accepi ab iis, qui ſpectarunt.

XXXVII.

Diſſidium inter Simium & teſtudinem.

Addam, quod non legi, ſed his oculis conſpexi. Si-

 mius

mius ſupra modum horret teſtudinem. Hujus rei dedit quidam nobis ſpecimen Romæ. Puero ſuo in verticem impoſuit teſtudinem, & pileo contexit, dein producit ad ſimium. Ilicò Simius gaudens inſiliit in humeros pueri, venaturus pediculos, ſublato pileo reperit teſtudinem. Mirum erat ſpectaculum, quanto cum horrore reſilierit beſtia, quàm expaverit, quàm timidè reſpexerit, an ſequeretur teſtudo. Additum eſt aliud ſpecimen, alligavimus teſtudinem catenæ, à qua revinctus erat ſimius, ut effugere non poſſet, quin ſaltem aſpiceret, incredibile dictu, quantopere fuerit diſcruciatus, tantùm non metu exanimabatur, interdum averſus, poſterioribus pedibus depellere tentavit hærentem beſtiam. Sequuta eſt ex pavore febris, ut nobis fuerit ſolvendus à catena, & aquâ vino temperatâ refocillandus.

Eraſm. dial. de amicit. p. 627. 628.

XXXVIII.

Simiarum deſcriptio elegans, ſpecies, genera, mores.

Simia dicitur non ab imitatione, ut Gramatici imperiti, ſed à ſimitate. Capellæ enim haud æquè ſimæ ſunt. (*a*) Tot earum ſunt ſpecies, formâ, colore, caudâ, jubis, magnitudine differentes, ut non parum negotii faceſſat hiſtoriæ ordinem meditanti. (*b*) Genera ſumma duo. Alterum ſine cauda, alterum caudatũ. (*c*) Sine caudâ Simias plures vidimus, quantus puer eſt (*d*) octo (quinque (*e*)) annorum. Marem quoque ac fæminam cum prole; Filiolus ſi quid videretur deſiderare; manu, pugnoque fæminam à marito, tanquam malæ tractationis ream, etiam additâ

tà vultus acerbitate, castigari. Nempe supercilio, rictu, murmure, irati patris, atque reprehensoris mariti animum præ se ferre. In aula Regis unus fuit, qui diu bipes deambulabat, amictus sagulo militari, ensiculo accinctus. In sella jussus continuit sese pernox, aut perdius publico spectaculo: ita ut non deessent, qui homuncionem putarent verum. (*f*) Caudatorum Cynocephalorum species multas novimus, inter quas, quartum (reliquis) multò jucundissimum ac facetissimum scurram, omnia imitantem, ut mirarer sæpè: hoc genus plus distare ab homine (caudam enim habet) quàm quæ nullam habent: & tamen esse penè hominem verum, tùm moribus, tùm intellectione. Maximè simus est, naribus laxis & repandis: subnigra facie: corpore exucto & strigoso: cauda subtus versum plicatili, tùm præsentaneæ opis, ut ad quemcunque casum tanquam manu utatur: ex ea pendet, ea vincit, trahit, verberat. Pannos videmus lavare, nuces malleo rumpere, sua manu bibere: etiam scripturientem mirati sumus. Manticam nobis per rimam spectantibus aperuit: catenam traduxit: suppellectilem extulit: pectines eduxit, capiti admovit. Mutianus cùm prodidit, etiam latrunculis lusisse simiam, de hoc genere scripsisse videtur. Odore sunt admirabili, quem augent ceparum usu: quarum partem cum vorârint, frusto, quod superest, sese fricant quaqua possunt: tùm olent suavius, quàm quævis Romana larva purpurata. Cæterùm nihil omittit intereà domi, quin depopuletur, aut devastet. Arbores novellas, ramos adultarum, specula, vitra omnia disturbat. Turturem calidam & psittacum, quos sibi

præferri videret, interfecit. Ignem fumum in atrium pertulit, idem facturus in fænilia, si in mentē venisset. Vocem hic ab aliis longè diversam emittit, Simia stridet, hic fistulæ in modum modulatur: acuit vocem læsus, & minutissimis creberrimis accentibus dissecat. Illud commune omnibus generibus: gesticulatio; Cœlo tonante expavescere adeò, ut etiam colorem mutent: suspecto cælo, ubi ubi queant se se abscondant: ad evitandos ictus, nullum animal attentius, ut vix fallas, id adeò ex visu evenire intelligo, quem omnium quadrupedum acutissimum, certissimumque habere, illud argumentum est. Pulicem ab initio saltus oculis consequitur, vixque considentem, illicò opprimit. Brachiorum robore inprimis excellit: pedibus manuum officia facit, ubi opus sit: vidimus nos vinctum, cùm disjectam procul à nobis nucem manibus attingere nequiret, pedibus tentasse: ubi id non processit, festuca apprehensa cibum propiùs attraxisse: nisi coactus in manus nunquam, sed in pedes se demittit. Fugientem vidimus, è culmine in culmen trans viam cùm vellet transilire, catenam, quæ pendebat, manu collegisse. Saltum aversum unus omnium animalium suapte natura facit; quem de eo didicit homo. Ridet quoque atq; etiam cachinnatur. Catellos atq; infantulos mirè diligit. Unum in summas tegulas asportasse aliquando audivimus. Ælianus infantillum aquâ calidâ necâsse prodidit, cui nutricem apparasse lavacra vidisset. Cercopithecum adeò exhorrere crocodilum, ut cætera omnia pericula nihili pendat. Crocodilum cum non haberemus, lacertam opposuimus, non sine illius magnâ abominatione & spectantium risu. Carnes non omnia

gene-

genera attingunt: idque ferò. Citius tunc senescunt, & frequenti laborant fastidio: quo sese levant gustatis herbis. Acerrima quæque appetunt: miro modo castaneas: sed præter cætera, bellariis magnoperè delectantur. Vini adeò avidus, ut multa ejus spe faciat jussus. Frigoris impatiens, hybernos ad focos totum se exporrigit. Minutiora animalia quæ ceperit, devorat. Muscas mirè odit. Cùm apricatur, corpus curat. Gaudet pulcher haberi, auditque libens laudes. Intelligit convicia; si potest, aufugit, sin minus, tristis est: imbecilliores etiam malè habet, quod reliquum est, procul absterret conviciantes, vultus severitate, truculentis buccis, oculis intentis. Quippiam surrepturus, dissimulat atque deorsum spectat: mox invadit, de improviso, ac fugâ sese subtrahit è supplicio, accusatus tùm de superiore loco causam dicit, frequenti mandibularum agitatione crimen negans, aut pœnam deprecans. Buccarum manticulas habet, in quibus recondat cibum, quasi comederit, interea aliud rogat. In Numidia milites qui fuêre, narrârunt nobis: vidisse sese eorum greges, ad exercitus, quos viderant, ordines instruere, cogere, castigare: pro lanceis ramos, aut festucas in humeris habere: sistere agmen, procurrere, recurrere. Verùm ejus rei fides penes autores esto. Hæc hactenus comperta genera habemus: si quis plura nota habeat, addet ad scientiam. *(g)*

a, c. e. g) *Scalig. in comment. in Arist. hist. de anim. l. 2. t. 83.* b. d. f) *exerc. 213.*

XXXIX.

Simiarum venatio ridicula, mira.

Ridiculum mirum de venatione. Neque retibus, neque canibus capi, sed dolis ajunt. Ut enim rerum omnium imitabundas tradunt: calceos in conspectu poni, quos sibi induunt venatores, tùm alios plumbeos, quibus laqueus subsit, disponunt. Inde abitum simulant, atque latent. Advolant simiæ: calceos induunt: nodum è vinculo nectunt. Ita fugæ præsidio destitutæ prehenduntur. Præterea pelvim aquâ plenam statui: eâ aquâ venatores lavare oculos sibi: tùm effusa viscum indere, quo illæ sibi oculos inviscent. Ajunt geminos sæpè parere. Venatoribus insectantibus, eum quem plùs amet, tollere inter ulnas neglecto altero. Hunc impendente metu, consilium è re capere: in matris scapulas insilire. Illam de fuga, atque onere ejus, quem complexu aufert, fessam, ipsum remittere atque relinquere, præruptaque petere, altero nunquam sese avellente. Ita, quem amaret, amittere: quem contemneret, servari.

Scal. l. c. comment.

XL.

Ranæ occultatæ dormiantné, an sint mortuæ.

Cum sese occultant in frigidis Ranæ, contra naturam earum, quæstio est, mortuæné interim sint, an somno profundo correptæ, an partim vigilent, partim somno rigeant. Videntur enim mihi, quidam buffones solertia formicarum & apum, aut murium agrestium à Corylis dictorum &c. donare, quasi con-

ve-

veherent æſtate, quibus fruantur hyeme. Diſtinctè verò reſpondendum eſt. Nam cum φωλεύσεως cauſa potius ſit rigor hyemalis, ad vitam ſub dio & in ſummis aquis agendam huic animali ineptus: quibus occaſio eſt ad tepidaria ſecedendi, vel in locis calidis, pro natura vivendi, his vita & vitæ actus vigilia manet, modò eſca ſuppetat. Ubi gelu excedit vitæ modum, proripiunt ſeſe ab offenſæ acceſſu manifeſto, ibique latitant, ubi citra totalem deſtructionem queunt, quo præſidio, & ſi licet dicere, induſtriâ proſpexit eis Natura. Jacent autem torpore correptæ, non ſomno, non morte, ſeu abſente interim animulâ, in ſydereis, quo convolare dicitur, tanquā ad ſuum principium, ſeu planè intereunte, ut harmoniâ. Torporem ſeu νάρκην eſſe, cauſa efficiens comprobat, ejusq; remotio. Frigus enim obtundit ſenſus, calore ſpiritibusque cohibitis & quaſi gelatis, unde neceſſe eſt facultatē animalem & nervos captos hærere. Somni cauſa per ſe frigus non eſt, ſed vapida exhalatio irrigans cerebrum, proximè ligat principium ſenſuum. Itaque etiam materiâ illâ ſolutâ aut diſturbatâ, redeunt ſenſus ad officium. Non quidem puto, me ita peritum eſſe affectionū ranarum, ut calleam omnes interiores agitationes: Veruntamen judico frigus in illis non tantùm externos ſenſus corripere, ſed & internos, neque plane abolere actum cum potentiâ, ſed relictâ hâc, illum tantum intercipere, donec calore admoto, reſoluti ſpiritus, ſanguisque & calor inſitus recreentur, & priſtinum obeant munus. Si planè mortuæ eſſent, putreſcerent: ſi affectio illa ineſſet naturâ ſimpliciter, totam dormirent hyemem, etiam in calidis. Jam autem in puteis deprehenſæ, extractæque planè

ſtupidæ, ut mortuis fuerint ſimiles, ſolis radiis expoſitæ, è veſtigio vixerunt, ſaltaruntque & pabula quæſiverunt. Mox veſpertino gelu iterum obriguerunt.

Libav. l. 1. batrach. ſchol. ad c. 14.

XLI.

Ranæ in Seripho Inſulâ mutæ, aliò translatæ, canant, cur.

Ranæ, in Seripho Inſula mutæ ſunt, ſed aliò translatæ, canunt, quod accidere etiam in lacu Theſſaliæ Sicendo, tradunt. (*a*) Sed quid eſt in iſtis terris, quod aliàs ſonorarum ranarum linguam alligat? Num inſtrumentis nerveis aliquid occurrit impedimenti, veluti ex ſtupore quodam attonito, aut affectu violento? an immobilis fit, ſuccis è cibo, potu, aëre, totam quidem naturam deſtruere non potentibus, ſed ſaltem labefactare cerebrum? In Majoricam Inſulam & Eviſam illatæ è continente ranæ vocales ſcribuntur obmuteſcere. Sed harum Inſularum terra ſimul venenatis dicitur adverſari. Alterationem patiuntur ranæ, ut vel nequeant, vel non velint mutire, quaſi melancholia muta affectæ. Tales ſanè alicubi etiam aquas obſervavit vetuſtas. Sulphurei, bituminoſi & chalcanthini ſeu atramentoſi ſpiritus, terras alicubi faciunt cum fontibus & fluviis inſigniter medicatas, ut & evenit (*b*) Lemni & alibi. (*c*) Inde etiam quædam loca neſciunt venenata, lepores, cervos, in aliis eadem abundant. Noctua in Creta non viſitur, illata moritur. (*d*) nec Erinaceus (*e*) Plinio ſues in Arabia non vivunt. (*f*) Videndum ne ſolis radii & fermentatio, aut vis agens ſub-

cer-

terranea tale quid è terris eductum, aëri confini misceant. Fingere alicui licet, etiam tristitiam, ob mutatam patriam & exilium, quod cùm initio gravius eveniat (est enim fugax timidumque animal rana & facilè potest turbari) semel institutum silentium postea æterna oblivione vocem obliterarit. Licet & morbos in alieno aëre comminisci, quorum tædio paulatim obrepserit taciturnitas. Omnino est aliquid in terris peculiare, sive id & ranæ sentiant, mutenturque, sive aliunde afficiantur. Afferat quis etiam, ideo vocem non mittere in istis locis, quia suos hostes metuant ibidem frequentes, vel simile quiddam halitibus hostilibus observent. Quicquid est, fateamur necesse est, aliquid sibi reservasse naturam, ad quod aditus non sit humanis ingeniis. *(g)*

a, c) *Plin. l. 8. c. 58. Gessn. de quadr. ovip. p. 43.* b, d. g) *Scaliger in com. in hist. Arist. de anim. l. 2. t. 130.* f) *Plin. l. 8. c. 52.*

XLII.

Secretum ad dentium casum.

Capiatur rana viridis (arborum puta) quæ de arbore in arborem scandit, & in provincia satis copiosè invenitur. Sumatur ipsius adeps & eo liniatur dens, quisquis sit, & statim excidet. Ejus probatio est, quod boves comedentes eas cum herbis, dentes illos amittant, quibus ranas inter masticandum attigerunt.

Ioan. Anglic. prax. med. p. 895.

XLIII.

Cur rana arborea arbores scandat.

Si quis scire velit, si non nascuntur ranæ arboreæ ex arboribus inhærente, herbisque insidente semine, quæ tandem necessitas cogat in frutices & arbusta arboresque insilire? Non certè ideo, ut tanquam ex specula observator, hostiles invasiones, adventusque peregrinorum proclamet, ita rana arborea hominibus, vel saltim suæ societati, pluvias brexando denunciët ex sublimitate arborum. Neque enim adeò intelligens est & provida, solicitáve rerum humanarum aut salutis bestiarum: neque pro speculatore se gerit. Ut cætera animalia motum localem, tùm victus, qui non in uno suppetit, gratia acceperunt, tùm defensionis, tametsi eo etiam utantur ad exercitia & oblectamenta naturalia, & appetitum generandi explendum: ita de ranis arboreis est existimandum.

Libav. l. 2. batrach. schol. ad c. 13.

XLIV.

Abstemii ut fiant.

Rana fluviatilis viridis, quæ salit in fontibus, vino suffocata, efficit, ut bibentes fiant abstemii. *(a)* Lonicerus unam ita strangulat in vini mensura, datque inscio, addens esse certum & comprobatum. *(b)* Causa hujus effectus est eadem cum potu suffocatæ anguillæ *(c)* & similium in vino, vel cerevisia. Nam valida fit in ventriculum impressio, motusque, unde contrahitur ad similes liquores nausea & antipathia. Ita veneno rabidi canis mutatus ventriculus, aquam simili-

militer abhorret. Ita qui grandem, adversamque mutationem sustinuerunt, à piscibus, carnibus, &c. Assumit autem vinum ranæ vires, quæ sub eo occultatæ, misto venenoso spiritu, aut succo, per vinum, istud agunt, utque in posterum natura etiam simplex vinum non toleret, efficiunt. Ranæ verò non præparatæ, non carent adversa nobis qualitate, præsertim excrementis. *(d)*

a) *Mizald. centur. 1. aph. 7.* b) *de aquat.* c) *Plin. l. 32. c. 10. Dom. Leon. lib. & sect. 1. pract. c. 20.* d) *Libav. l. 2. batrach. schol. ad c. 11.*

XLV.

Consueta, licet turpia, pulchra videri.

Consuetudo facit, ut scilicet res pulchræ, vel turpes judicentur. Si quis offæ, vel pulti, aut juri, quæ mensæ apponitur, digitum prius in ore salivâ madefactum intruderet, & in eâ ablueret, nullus deinceps de eâ quicquam comederet, & tamen non abhorrent, quando cochleare non unum, sed multa à multis, ori sæpè indita, salivâ imbutâ, toties in offam intrudunt & cum saliva permiscent, nonne quia consuetum est hoc facere, nemo offenditur?

Quid pecuniâ sordidius, quæ omnium mortalium manus, etiam leprosorum, lueque venereâ & scabie infectorũ, toties pertransit, quæ primo contactu sordes deponit, manusque contaminat, si sæpius tractetur? tamen ab ipsius attrectatione nemo abhorret, quod etsi lucri causa potissimùm fiat, nisi tamen consuetum esset, sordities hæc nobis molestiam adferret.

Quid turpius, fœtidius caseo putri? quid magis hor-

horrendum, quàm cùm vermibus ex putredine scatet? tamen plerique eo suaviter epulantur & delectantur, cum nihil putridi aliàs, quodcunque tandem illud sit, comedat homo, sed ea non tantùm fastidiat, sed & à contactu penitùs abhorreat.

Quis cochleas, ranas comedit primùm & non abhorruit? tandem ex consuetudine fuit delectatus. *Plater. paradox. 12. p. 43.*

XLVI.

Monstrosæ Epulæ.

Mirum, ipso adspectu horrenda animalia, colubros, anguillas, viperas, ranas, buffones, testudines, cochleas, cancros & hujusmodi multa hominem ausum fuisse aggredi, & salutis spem ab eo capere, unde interdum summa pernicies; quasi verò tam inops natura fuerit, ut non opulentissimos ad vivendum thesauros, quovis in loco, ubi vita erat peragenda, disposuisset, ista verò non potius desertis remotisque à comercio hominum alligasset, imò etiam fugam eis humanæ speciei ingenerasset. At parùm erat in medicamenta asciviſſe, ni etiam contra interdictum divinum impurissimis istis corpora nostra saginaremus. Itaque ars inventa est, non quo pacto gallinas, oves, juvencos, brassicam, betam, frumenta & cyprinos rectè imponeremus mensis, sed prodigiosâ audaciâ, ingenioque portentoso vesceremur limo undarum ranis, & sordibus telluris cochleis (has legunt, cum adhuc clausa domuncula est. Nescio quàm rectè. Cur enim non sinunt hybernas sordes, & inquinationem herbis novis corrigi & expelli naturæ ductu? evenit certè ut inter mille aliquando vix centum proben-

bentur, cæteris ob nigritiem vel maculas plūbeas corruptionis indices rejectaneis. Nam contagii aliquid concipiunt & ad putredinem principium, imò conclusis intus pravitatibus corrumpuntur porrò, ne idoneæ sint ad cibum. Ita herbas non legimus statim primo vere, sed cum jam aquositas & Vapor hyemalis (a) incepit concoqui) scabieque sylvarum fungis, & putredine stagnorū ostreis, ut æternam æternæ sapientiæ arcem & domicilium eò præcipitaremus in interitum magis, quò ista sunt in perniciem procliviora. Hos artifices mitti oportuit ad Indorum Gymnosophistas, ut discerent stercoraceis cibis utentes homines, ad diuturnitatem speratam non posse pervenire. Et tamen, cum hæc facimus, summi potius, quàm imi, promittimus nobis ferream ætatem, multosque vitæ annos. Sed in pænam hæc quoque sunt inventa, ut non deesset alimonia Medicis, quanquam in his quoq; elucet eximia Dei bonitas & providentia, qui inter alia errata, etiam hæc permisit, ut eo contentius tacitas naturæ vires rimaremur & undiquaque sapientiæ omnipotentis aliquid videremus. Monstrosæ istæ epulæ procul dubio inducunt animos ad similia quærenda, ne desit suæ patellæ operculum, suæque suis labris lactucæ. Consentaneum est, primam ansam edendi ranas vel è medico usu arreptam esse, vel penuria aliqua, cujus improbitas quid non tentare persuadet? Donandum aliquid etiam est sordescenti libidinibus palato, semperque aliquid novi, tanquam per certamen exigenti, quo revocari sopita multitudine deliciarum vis queat. Mira est prægnantium, & morbis correptorum cupiditas, quam malaciam & picam nuncupant. Sed vix persuaderi mihi

pa-

patior, inventæ raninæ escæ causam hanc esse. Barbaros in novo orbe & alibi existentes ferina induxerit voracitas, & ingluvies, vel araneis & aspidibus percoquendis: tametsi mitigaverit apud illos istas bestias natura, ut cum minimo detrimento queant edi: sed nobis nostra regio & facultas debebat esse explorata. Aliquando & pessimè cogitata cadunt optimè, dominanturque casus etiam in jocis & temeritate. Fors rana data mortis causa, cibus esse deprehensa est: sicut temeritas compotandi invenit vim, ad reddendos abstemios, citra noxam aliam. Alios decepit imprudentia. Relinquantur extremæ necessitati ista, tanquam ultimum, ad quod maxima confugiat fames. In delitiis & lautitiis mensarũ ego non tulerim. Itaque & semel comestis ranarum fluviatilium clunibus, & unâ duntaxat cochlea, non percepi tantum oblectamenti, ut nullâ necessitate compulsus repetere velim. Consultius itaque foret, nullâ urgente necessitate, à ranarum esu prorsus abstinere, easque hydris & anatibus relinquere. *(b)* Quia enim laxæ & humidæ sunt, putrefactioni obnoxiæ sunt. Unde tutius & longè laudabilius existimandum, hos cibos interdici, aut parcius sumi, quàm vitam tali periculo committere, præsertim iis, qui vitæ perennitati student. *(c)*

a) *Libav. l. 1. batrach. schol. ad c. 16. Sennert. l. 4. instit. part. 1. c. 3.* b) *Libav. l. 1. batr. schol. ad c. 15. l. 2. c. 10.* c) *Portal. l. 3. Physiogn. c. 4. & 16. l. 5. c. 4.*

XLVII.

Ranarum edulium electio, præparatio, coctio.

Quod si tamen seu libido, seu necessitas persuaserit,

rit, legendæ ſunt ranæ eduleſiſtæ fluviatiles, in fluviis puris, vel potiùs vivariis piſcium habitantes, flavæ vel virides, non ſocordes, ſed ſtrenuè & alacriter ſuum βρεκεκὲξ κοὰξ perſonantes, ſaltandoque & natando ſeſe exercentes, idque non primo vere, cum ſuccus hybernus nondum eſt concoctus, nec è locis frigidioribus, ubi potiſſimum torpent, nec canunt ſolerter, habentque ſuccos crudos, & difficillimos digeſtu: ſed æſtate, è locis calidis, puris, ortui ſeu Euro patentibus. Corpus debet eſſe ſucculentum, non macrum & morbidum, juſtæ magnitudinis. Neque enim Gyrini aut parvæ ranæ ad eſum ſunt commodæ. Ita lectæ ſtringuntur, detrahendo cutem, poſtea eviſcerantur, omniaque interanea, cum capite & pedibus minoribus abjiciuntur, ſervatis duntaxat armis, tergo, coxis, ubi muſculoſa caro eſt candida. Aliqui omnibus rejectis, coxas duntaxat in lautitiis habent. Ex his initio ſucci feri & limoſus ſapor excoquitur aquâ, vel vino, ut lubet. Coctæ lavantur, repurganturque aquâ falsâ diligenter, ne quid excrementitii maneat. Inde variè parari poſſunt, prout gula expetit. Amant aliqui frixas in ſartagine vel butyro: aliqui coctas ex jure gallinarum: & miſcentur interdum clunes avicularum, vel etiam totæ aviculæ, ne quid nauſeæ convivis creetur, qui fors non omnes eodem cibo delectantur. Aſperguntur aromata, vel etiam unà incoquuntur, ut macis, Cinamomum, Zingiber, Charyophylli, &c. Sed ut in eſu Oſtreorum & Cochlearum vinum generoſum præclarè confert, ita & in ranis. Difficilius enim concoquuntur, ſine vino bono & aromatum conditura. Quocunque verò artificio præparen-

parentur, solis non est implendus ventriculus, sed alii addendi cibi, nisi quid consuetudo inolita suaserit: & ubivis sal optimum condimentum requiritur. Utiliores erunt, ubi per cibum medicandi consilium est, ut in Phtisi, Elephantiasi, cancro & similibus, ubi tamen adjiciendi sunt pulli gallinacei & similia: imbecillibus ventribus, frigidis, humidis, excremento scatentibus, febricitantibus &c. inutiles sunt, cum aliàs etiam sint succi difficilioris, possintque malâ coctione febres parere.

Libav. l. 4. singul. p. 311. & seqq.

XLVIII.

Cur nubes purpureæ, vespertino tempore phænomena, serenitatem portendant, matutino verò tempore pluvias.

An vespertina rubedo à nube existit, solis æstu exsiccata diutno, ad pluviarum generationem inhabili? an vapores rubedinem vespertinam repræsentantes terræ vicini, nec ob defectum caloris, ad mediam aëris regionem elevati, nocturno frigore in rorem concrescunt, ad ortum pluviarum pauciores? an aere motum cæli sequente, pluviæ ex solutis istis nubibus nocte in altero hæmisphario contingunt, serenitate mane subsequente, perpurgato aere nocturna pluvia? an matutinæ aquosæ, calore solis elevatæ facilimè in pluvias eliquantur? unde ut plurimùm matutina rubedo pluviæ est prænuncia.

Libav. l. 2. probl. 189. Tand. disp. 5. meteor. probl. 2. Keckerm. disp. 8. curs. phil. probl. 2.

XLIX.

Roris etymon; ejus vis rodens, emacians, & consolidans.

Rorem vocant Græci δρόσον ἀπὸ τοῦ δράειν à fugiendo, quod orto Sole fugiat. Latini à raritate denominant, quòd non adeò densis & plenis guttis descendat. *(a)* Prætenui enim constat aspersione, quæ vix manu percipitur. *(b)* Semina rore irrigata, rubigine exeduntur, quam ἐρυσίβην dicunt: ita subtili vaporum acrimonia cutim abstergit & arrodit. *(c)* Quare puellæ malè & incogitanter agunt, quæ calendis Maii, rorem, quo corpora polire atque tingere conantur, colligere student. Rori enim naturâ inesse vim quandam rodendi certum est. *(d)* Mulieres quoque paulò habitiores, olim, ne ob corporis obæsitatem pugiles esse viderentur, teneris & perlustribus vestimentis, ex lana molliore, aut ex Melita tenera gossypii lanugine, rorem excipientes, corpora demaciabant, ne πολυσαρκίᾳ onerarentur. (*e*) At ego, stratis in vere, tempore antelucano, super gramina, linteaminibus, hunc excepi: expressumque, ut à sordibus gramini adhærentibus expurgaretur, despumareturvé, decoxi, & in decocto linteolos madefactos ulceribus Phagedænicis applicui, & roris acrimonia abstersa & siccata, consolidavi. (*f*) Plantarum vires, quas irrorat, adsciscit. Is certè, qui ciceribus nigris circa Solstitium inhæret, ad scabiem depellendam mirabilis est. (*g*)

a) *Isidor. l. 13. c. 10.* b) *Magir. in comment. Phys. l. 4. c. 6.* c. f.) *Langius l. 2. epist. 30.* d) *Cellar. in partit. me-*

teor. sect. 25. art. 2. e) *Plutarch. de caus. phys.* g) *Bernh. Sacc. l. 4. hist. Ticin.*

L.

Cerva Roris matutini avida.

Ore capit patulo rorem vaga Cerva cadentem,
Rore riges nobis torrida corda DEUS.

Cerva matutino tempore, Sole jam exoriente, æstivis mensibus, tàm propter corporis sui caliditatem, quàm cæli æstum, purissimum rorem hiante ore, jucundè excipere, atque eo sese reficere solet. Designat autem Cerva hominem religioni ac pietati deditum, ac cupidè, rebus omnibus aliis spretis, divinorum oraculorum suavissimas meditationes, præsertim sub aurorâ, quando animus debet esse purioribus & sanctioribus cogitationibus intentus, vacantem, ut, quibus tanquam saluberrimo pabulo & desideratissimo rore mens nostra cælitus nutriatur & recreetur. Sic veteres S. Doctores quoque per rorem significari in S. Scriptura doctrinam cælestem tradunt, quâ nos solâ sustentamur ac proficimus. Quod abundè etiam ostendit S. David, in psalmo isto pulcherrimo 118. quem omnes pii semper meditari & memoriæ mandare debent. Idque inter alia infinita præclara dicta Gregor. Nazianzenus, quoque hoc disticho nos monuit:

δεῦρ' ἄγε κόσμον ἅπαντα καὶ ἄχθεα τῇ δ' ἀπολείψας,
οὐράνιον ἐς ζωὴν οὐρανίην πέτασον.

Eja age & hic omnem mundum fascesq; relinquens,
in cælum cursu dirige vela tuo.

I. Camerar. cent. embl. ex anim. quadr. 43.

LI.

Ros quid, cur serenitatis signum.

Ros non cadit, nisi sereno tempore & tepore. Nam nubiloso non cadit. Est enim exhalatio à terris, humore & aquâ attractâ in aërem per calorem. Quare nubiloso non potest trahi: & si trahitur, cogitur in nubem. Item si sit frigus serenum, cogitur in pruinam. Ergò & calor exigitur, quo attrahat, & absit frigus, quod non cogat, utrumque præstatur ab Austro, eo enim flante fit tepor. Serenum autem Austrum esse videmus: præsertim per hyemem. Nam ut Ethesiæ Aquilonis æstum temperant, ita hyemem Austri. *(a)* Sed cur serenitatis signum, secus alia prahumida meteora? an vaporis nomine, non nisi sudo suscitati, & eodem tempore descendentis subtilioris? an cætera meteora non nisi ex crasso & nubilo vapore, sereno quidem tempore subvecto, sed non nisi nubili, ob sui densitatem, cruditatemque auctore? *(b)*

a) *Scalig. in com. in Arist. hist. de Animal. l. 5. text. 107.* b) *Ruland. l. 2. probl. 220.*

LII.

Roris farinacei descriptio, ejusque noxa.

Est quædam Roris species, ab Aristotele prætermissa *(a)* Pastoribus autem & acricolis nota, quem rorem melleum vocant, Germanicè Hönigthaw/ frequens verno tempore, cum arbores florere incipiunt, præcipua arborũ & pecorum, in primis autem ovium, pestis. Generatur ex vapore crasso, pingui & oleoso, frigore noctis concreto, adhærescens floribus, foliis, herbis & oleribus, ut quasi melle perfusa videantur.

Exorto autem Sole, ubi ros ille arefcere inceperit & in pollinem albicantem, qualis molendinarum parietibus adhærere (*b*) cernitur (Germanis hinc Mel-thaw/ quasi ros farinaceus, (*c*) Milthau (*d*) dictus) converti: gemmæ arborum, quæ jam flores protrusuræ erant ficcitate contrahuntur, ac in eis pellicula quædam, in qua vermiculus inclufus eft, qui id, quod fructum producturum erat abrodit, arboresq; fteriles facit. (*e*) Græcis hinc ἀστροφολισμὸς, latinis fideratio dicitur (*f*) vapor etenim inconcoctus crudusque, ob materiam craffam, pinguemque, facilè corrumpitur, & ob immixta heterogenea in virus abit, quod calore urente rubiginem (*g*) & putredinem, humidum radicale exficcando, (*h*) fatis adfert & tabem, cum deftituatur humido alibili, quod ineft pluviis. (*i*) Animantibus quoque officit, cum herbis infidens, admodum vifcofus, nec dum à Sole decoctus fuerit, atque ab illis avidius, quia dulcore tinctus eft, imbibatur, (*k*) Accendit equidem illorum humores, ita ut acredinem, venenatamq; qualitatem morâ (*l*) acquirant, fluxiles ferèq; biliofi fiant, inducuntq; fymptomata illa cuncta, quæ bilis fervor & ferocia ejus deproperant, ut febrilis æftus, cholera, ac biliofa dejectio, fcabrities linguæ &c. qui affectus übergällig noftris dicitur. (*m*) Ideo vigilantiorũ paftorum erit, non prius abjicere in pafcua gregem, quam Sol rorem fummis graminibus hærentem magna ex parte confumferit (*n*) Poteft etiam hic Ros ad pluvias referri, quibus non eft diffimilis. In magna etenim cæli varietate, etiam cum Sol fplendet, minutiffimis guttulis facilè & fine ftrepitu delabitur, & rebus nafcentibus exitio eft. (*o*)

a) *l. I.*

a) *l. 1. met. c. 10.* b. c) *Liebler. epit. phil. natur. p. 311.* c. g. i. m) *Hochstetter, decad. 4. obs. schol. ad cas. 2.* d. o) *Magir. com. in physiol. l. 4. c. 6.* f) *Iun. in lexic.* h) *Tandl. disp. met. 6. th. 24. & 25.* k) *Cellar. partit. met. sect. 25. art. 2.* l. n) *Ruland. l. 2. probl. 222.*

LIII.

Cera estné de substantia florum, an etiam aliunde venit sicut Mel?

Si Cera esset succus florum, etiam ipsi flores forent cerei. Nihil tamen ex ipsorum substantia interna producit Chymia. Quæ item arbores, quique flores resinas, lacrymas, gummi, &c. fundunt ex se, nullam unquam ceram exhibuisse sunt comperti. Ceram nullus fecit sine melle. Itaque & ubi non est mel, ibi nec cera. Si cera absq; melle esset, seorsim fieret. Cum melle ergò cadit, nec unquam fuit substantia plantarum. Adde quod in superficie florum reptantia insecta, legant ceram cruribus. Si esset plantarum succus, non haberet per se eundem saporem, temperaturam, odorem, consistentiam, quæ in diversis sunt diversa: sed in cera omnia eadem, nisi ex accidente, eveniat varietas. Nullus est succus plantarum, quin suæ matris naturam referat. Nec ars potest imitari ceram, posset autem si esset succus plantarum. E succis enim tanquam materia conficeretur. Pedibus apum convehitur cera. Pedes non ita abstergunt substantias rerum. Nihil ergò est eorum. Et tàm mel, quàm cera fiunt absque jactura florum & fructuum. Aliud ergò ab ipsis est. Non marcescunt, non pereunt: non fiunt inferiores virtutibus. Manna quoque absque favo genita misturam mellis & ceræ repræsentat,

Consentaneum itaque videtur, eundem ortum esse utrique & materiam eandem. Atque Philosophi mel duntaxat rorem esse scribunt: ceram ex floribus peti, tempore veris adeo obviam, ut si diminuta in alveis fuerit, brevi instauretur. Hyeme vix cadit ros melleus. At etiam tunc in Ponto fieri favi dicuntur, ex flore hederæ. Ita cernimus floribus insistere vel ex eis emergere quandam farinaceam aspeiginem, quæ mista aqua videtur materia ceræ esse, nec absimile est id, quod in cruribus gestant apes. (Floribus juniperi, liliorum staminibus &c. multa adest ejusmodi farinacea substantia, quam ceræ materiam putamus. Itaque & sublimatur cera ex floribus si illa stamina cum pulvere suo imponantur) Si cera caderet cum rore melleo, vel peculiaris species roris esset, inveniretur per se aliquando solitaria, etiam super foliis, truncis, lapidibus, ramis &c. Jam etiam apes eam seorsim sine melle colligunt, quod fieri non posset, si comes mellis foret à primâ statim generatione. Nec cera abit in formicas, sicut mel. Probabile itaque est, non quidem succum plantarum, florumve esse, sed tamen ex iis enasci & veluti exudare, coagulatam foris in specie λοπκείσιας farinaceæ, quæ etiam detergi à floribus potest. Quid si sudor esset florum subtilis, junctus roris mellei tenui aspergini & unà exsiccatus, aut farinacea illa materia eo imbuta? Philosophus videtur lachrymas arborum & florum sudorem, vel simile quid ex illis, ceræ materiam ponere, cum scripsit, ceram ex lachryma arborum fieri (a) & ex floribus (b) legi. (c)

a) *l. 5.* b) *l. 9. hist. de animal.* c) *Libav. l. 2. sing. p. 112.*

LIV.

Mannæ descriptio, ortus, an cum Manna Hebræorum idem.

Manna (Galeno *(a)* ἀερόμελι, & δροσόμελι mel aëreum & roscidum) est vapor terræ succosus & optimus, æstatis calore elevatus, & in aëre in dulcem liquorem excoctus, noctis frigiditate coactus, & roris modo supra arborum & fruticum folia decidens. In Calabria, circa canis ortum ex Fraxino, & Orno, ab incolis in usum medicum colligitur. *(b)* Manna Israeliticum, initio divinæ potentiæ coactum ex natura fuit, & naturali nutritionis usui cessit, diffluens Solis radiis, ut vulgare Manna. Miraculosum itaque est, tùm procreantis vi, tùm copiâ & continuitate tantâ, tùm efficaciâ in alendo & elaborando perquam commodè. Naturale verò, respectu materiæ, loci natalis & collectionis, item corruptionis, quâ in vermes putrefactum abiit, vel à Sole colliquatum periit. *(b)* Valesius *(d)* aliique recentiores, eandem omninò rem, & secundum suam naturam ejusdem speciei cum vulgari fuisse statuunt. Conveniunt quidem plurima, quæ de Manna, quo Hebræi annis 40. in deserto alebantur, dicuntur *(e)* etiam vulgari: in illo tamen à vulgari discrepare videtur, quod ex eo mola fracto, sive in mortario trito, & in olla cocto tortulæ sive placentulæ fiebant, *(f)* vulgare enim non est tantæ duritiei. Utut sit, in hoc omnes conveniunt, plurima, quæ circa Manna Hebræorum contigerunt, naturalibus causis attribui non posse, sed solius DEI Opt. Max. potentiæ infinitæ assignanda esse, *(g)*

a) *l. 3. alim.* b) *Bauhin. in pin. th. botan. l. 12. sect. 6.* c) *Libav. exerc. de melle th. 41.* d) *de sacr. phil. c. 57.* e) *Exod. c. 16. v. 14. Num. 11. v. 7. Psalm. 78. v. 24. Johan. 6. v. 31.* f) *Sapient. 20. v. 16.* g) *Sennert. Physiol. l. 4. c. 8.*

LV.

Micâ panis melli injectâ, cur mel corrumpatur.

Melli adversatur panis, à quo facile corrumpitur, inque vermes abit, cum tamen farinæ misceatur, & in placentis dulciariis duret absque damno. Utrum, quod fermentati ea vis sit? an panis cũ aqueo humido accipit δύναμιν adversã? si verò mera farina subigitur, mel dominatur, itaque obsistit corruptioni. Panem certè putrescere & mucidum fieri videmus, idque brevi calore ambientis, nisi sæpius sit coctus. Farina verò diutius durat. Cum itaque tale principium in mel incidit, corrumpi id contingit, præsertim pane raro existente, & aërem externum trahente. At alioquin fugacibus fructibus servandis mel est idoneum, Sed accidit pani fermentatio. Mulsa quoque corrumpitur in acetum, ob mistam aquam, vel vinum, quod item aquosum: nec potest abire in vermes, ob abundantiam humidi. Crassum verò mel consistit, in speciem animalculorum. Fiunt aliàs animalcula in putredine, non quà putrescit quid, sed qua vitale principium consistit & segregatur à non vitali. Mel per se non facilè putrescit. Necesse itaque est, peregrinam dispositionem inductam esse, quâ calor prorius & humidum ejus evocatum consistit. Ea autem est panis humiditas, quæ postea contagio mel inficit

ficit, & ab ambientis calore facilè evocatur, fitque ut peregrina ſuperſit. At mel eſt igneæ naturæ. Ignem negat putreſcere Philoſophus, quia non poteſt vinci ejus actus, actu ambientis. Sed & aereum mel eſt, Aerem putredini obnoxium eſſe idem fatetur. Chymici etiam aquoſitatem quandam extrahunt, quæ & ipſa eidem paſſioni ſubjacet. In placentis non durescit mel, tum quod dominetur, tùm quod ignibus peregrinum humidum ſit edomitum. In hydromelite ideò quoque corrumpitur, quia præter Aquam, etiam fermentum additur. Hoc autem facilè acorem præſtat, ſicut & vino & maſſis.

Libav. l. 2. ſingul. p. 87. & 108.

LVI.

Mercurialis pluviæ deſcriptio.

Mercurius Macrocoſmi corruptivus (ex corruptis ipſius primis principiis, Mercurio volatili, ſulphure diſſoluto, ſale reſoluto) ſæpè forma pulveris cinereſcentis vel albi, ſuper arborum folia cadit, atque in aere volitat, atque eſt mirum, quantum venenatus, & ſolâ analogiâ cerebro, non cordi, non Epati, adverſus. Obſervavi illius caſum & volatus his annis ſæpiſſimè: obſervavi illius cum pluviâ deſcenſum. Ita etiam Tetragrammaton Numen Deut. c. 28. v. 24. his verbis minatur: efficiet Jehova, ut pluvia terræ tuæ ſit pulviſculus, aut pulvis è cælis deſcendet ſuper te, donec exſcindaris, vel ad proprietatem hebraici textus: dabit Jehova pluviam terræ tuæ Pulviſculum, id eſt, veluti flos tenuiſſimi pulveris illic volitabit. Achim. 652. Chronographorum fide talis pluvia Cinerum cælo delapſa eſt. Exemplum, ejuſmodi

 plu-

pluviæ Mercurialis recenset etiam Joan. Hayus, cujus verba propria usurpare hoc loco non inconveniens duxi. D. 22. Julii, 1596. per totum diem Meaci, ejusque finitimis locis, atque etiam Fuscimi, in Japponia, in magnâ copiâ pluit cineribus minutis, quibus tecta, montes, arbores, quasi nive operiebantur, totoque illo die, tanta fuit aëris caligo, ut multi capite dolerent, plurimis Cor mœrore & melancholiâ obruerentur. Eodem die Ozacæ & Sacaiæ pluit minutissimâ arenâ nonnihil coloratâ: superiori pluviæ mox successit copiosissima pluvia candidorum longorumque capillorum, qui nihil distare videbantur à capillis mulieris vetulæ, nisi quod essent molliores, deinde quod in ignem conjecti non reddebant odorem tetrum, uti veri & naturales: & duravit ad diem medium. In Regnis ad Septentrionem sitis, ut Jechu, Jechingo Scimano & Noto tanta copia delapsa est, ut tota terra omniaque tecta hujusmodi capillis essent operta, quæ res, ut erat nova & insolita, ita non exiguum stuporem omnibus attulit, & magnum etiam terrorem incussit.

Rhumel. de morbo castrens. c. 3. & 6.

LVII.

Qui fit ut homines aquas quasi calcent, & per eas erecti incedant, licet usq; ad pectus insistant.

Ita Balenarum genus dicitur, se è mari erigere, & nonnunquam incubitu naves deprimere. Nimirum æquilibrium studiosè observandum est, in quo & manuum libramento se continent. Fit ergo ut quasi centro

tro insistat tota moles, nec videatur plus aquæ indigere, quam quod satis sit pedibus in aqua sustentandis. Ita qui perticas in pollice erectas, vel etiam naso gestant prolixas, centrum & æquamentũ quærunt, caventque ne nutet reliquum pondus. Facilè item promovemus scalas erectas soli, quas alioqui ob gravitatem protrahere & gestare non possumus. Ita navim centro movebat Archimedes, pollicitus se orbem terræ moturum, si daretur locus standi.

Libav. l. 2. sing. p. 202.

LVIII.

Incrementi & exundationis Nili causa.

Cùm in re obscurâ & conjecturis involutâ etiam mediocris industria veniam potius, quàm reprehensionem, odiosamque insectationem mereatur: boni lectores ignoscent nobis causam Nili, quæ ita dubia est ut proverbiale sit: Nili caput quærere, inquirentibus si non satisfecerimus. Putamus autem incrementi & exundationis Nili (qui 7. grandibus ostiis effunditur & influit in mediterraneum) causam esse, tùm imbres, tùm solutas magnis æstibus nives, ex immanibus Æthyopiæ jugis largius, quàm ripis accipi queant, defluentes. Nam navigantes experientia docuit, imbres assiduos regiones ultra Æquatorem infestare. Et Plinius tradidit observatum, prout nives imbresvé in Mauritaniâ satiaverint, (id est, plures aut pauciores fuerint) ita parciorem aut uberiorem venire Nilum. Et latera borealia, etiam illic nivem habere, inde colligere licet, quod Senecæ seculo Atlas æstate, circum altissima juga nivosus visus esse scribitur. Quæsitum etiam est de causa suavitatis

Aquæ

Aquæ Nili: quæ tanta esse prodita est, ut militibus Ægyptiarum stationum petentibus vinum responderit Pescennius Niger Imperator: Nilum habetis, & vinum petitis? Sed in ambiguo manet, causané hujus suavitatis ad aquæ ipsius naturam, seu nativam qualitatem, an ad Solis operam & ἐνέργειαν; an verò ad cursus Nili longinquitatem (longo enim cursu exercitus humor attenuatur) referenda sit.

Goglen. P. comment. in c. 28. phys. Corn. Valer.

LIX.

Pluvia non descendit ultra 10. pedes in terram.

Ego tibi, diligens vinearum fossor, affirmo, nullam pluviam esse tàm magnam, quæ terram ultra 10. pedes in altitudinem madefaciat, omnis humor intra primam crustam consumitur, nec in inferiora descendit.

Seneca. l. 3. quæst. nat. c. 7.

LX.

Admirandi stagni in Carinthia descriptio.

In Carniola prope Metropolim Labach est Stagnū, sesqui milliaris quaqua versū spacio, altitudine verò alicubi plusquam 18. cubitorum, cinctum undique montibus: quod singulis annis sub finem Autumni repletur aquis, nemine sciente unde illa Aqua veniat, estque valde tùm piscosum, magna vi piscium ex cavernis terræ fortè egesta. Vere autem adventante aqua omnis absorbetur (adsunt enim apertæ ad finem scrobes, quasi immanium speluncarum sub illis montibus, fortè aquam absorbentes) & fundus in quo antè paulò piscati sint, ab accolis colitur & metitur

titur herbosissimus. Messe peractâ commodum ibi venari: nam locus feris & avibus abundat.

Bartolin. l. 1. de aquis c. 14.

LXI.

Oceanus ab ortu in occasum propensiùs fertur, quàm ab occasu in ortum.

Qui ex Hispania occidentem versùs Americam petunt, ut observavit Columbus, cursum intra mensem conficere possunt, reditum autem iisdem ventis secundis vix intra tres vel quatuor menses, ob nisum aquarum contrarium. Eandem motus tarditatem observarunt Lusitani, quando caput bonæ spei Africæ prætereuntes in Indiam Orientalem contendunt, licet secundis navigarent ventis. Sic in mari mediterraneo, qui ex Hispania in Palæstinam contendunt, plus temporis eundo, quam redeundo consumunt. Causam hujus motus esse putamus Astrorum cursum, quem ex oriente in occidentem quotidiè in cælo fieri, doctrina de Stellis exposuit. Sidera ergò aquas nonnihil secum eandem partem versus vehunt.

Bartol. l. 2. de Aq. c. 4. Keckerm. curs. phil. disp. 1. coroll. geograph. 2.

LXII.

Aqua postquam efferbuit, cur frigore concrescit ociùs?

An quia contraria sibi opposita efficacius agunt, frigus enim plus in calidum, ut contrarium, quàm in frigidum, ut simile, agit? An quia calor partes aquæ tenuiores hausit, crassiores reliquit? ob id enim lutum citius quàm aqua pura coagulatur, quia crassius est.

Bodin.

Bodin. l. 2. th. nat. p. 202. Cellar. partit. Meteor. sect. 27. art. 1. Cornel. Valer. instit. phys. p. 84.

LXIII.

Cur aqua calida ociùs ad Solem refrigeratur, quàm in umbra gelida?

Quia simile allicit simile, & eliciendo debilitat. Sic ignis languescit, sæpè etiam extinguitur à Sole. Contraria autem contrariis opposita magis vim suam exerunt.

Keckerm. curs. phil. disp. 4. coroll. 5. Bod. th. nat. l. 2. p. 154.

LXIV.

Aqua mense Martio collecta, cur durabilior, pleuritidi & oculis confert.

Aqua è liquatione Nivium, mense Martio labentium, imò omnis reliqua Aqua, quæ eo mense colligitur, durabilior, & minus obnoxia putredini, quia Sol circa æquinoctium Vernum, in Signo Arietis constitutus, temperatioribus radiis sparsis, aquam & terram nec nimis densat, nec nimis etiam attenuat, quæ autem temperata sunt & moderata, eadem quoque durabiliora sunt. *(a)* Aqua ex nive mensis Martii, in pleuritide probatur. *(b)* Absque ullâ aliâ re adhibita, in affluxu calido, loco collyrii est in rubore oculorum. *(c)*

a) *Keckerm. curs. phil. disp. 7. coroll. 16.* b) *Plater. de dol. p. 440.* c) *Crato cons. 21.*

LXV.

Cur aqua tepida ferventem frigefaciat?

Cur Aqua tepida ferventem refrigerat? cum tamen medi-

medicamenta calida (si caliditate nobis inferiora sint) nostrum calorem adaugeant? an tepida ferventi aquæ affusa non tàm caloris gradum intendit, quàm substantiæ quantitatem auget, cumque sit per majorem molem parùm aucta quâlitas latius distributa, minor certè in qualibet portione persentitur? An medicamenta substantiæ naturæ, cui inest calor, mole non adaugent, solam qualitatem intendentia?
Ruland. l. 1. probl. 154.

LXVI.

Cur in aqua scyphum, ad summa labra plenissimum, centum immissis aureis nummis, nihil effunditur.

Ratio est, à cohæsione partium aquearum & labiorum scyphi siccitate. Namque in cumulum ad medium intumescit aqua. Quod si labris apponitur ita, ut madefiant, per eam partem delabetur Aqua. Animadvertendum etiam, quòd demisso nummo nonnunquam exire videntur ampullæ quædam.
Scaliger exerc. 101. 19.

LXVII.

Aquarum strepitus unde.

Aquæ collisio fit, aut cum aliis, aut cum seipsa. Cum aliis, ubi vel ex alto cadens colliditur, vel cum subjectis saxis, vel cum aqua alia. Cum seipsa, quibus in locis ob angustias colluctatur. Utroque modo cum seipsam frangit, veluti quando silicibus objectis & pugnat, & urget, & tundit & retunditur. Quemadmodum contra, non casu, sed ex inferiore loco imminentes impetens scopulos adlatrat. Neque secum

solùm

solùm nec cum saxis, aliove solidiore obice, sed cum ipso quoque aëre concurrens strepit, in quem facit impetum aliquo modo, quare non magis erit in aquâ ipsâ, quàm in saxorum angustiis strepitus: sed ut à saxis elisis, in aëre: sic & in aëre, ab aquâ. (a) Frigidioris autem Aquæ major est strepitus, quia graviùs cadit, calida verò permixta aëre est; quò ergò quid aëreum magis, eò minorem sonum edit: hinc oleum effusum strepitum non edit. Major enim collisio est inter solidiora corpora. Maximus etiam fit strepitus, cùm inter saxa vehemens fit & frequens repercussus, & qui in abditas vastasque cavernas reboat, quoque surdastri interdum fiunt accolæ. Ob hanc inter duras cautes conquassationem, horrendus sonitus in Nilo est, ubi supra Sienem inter occursantes scopulos pluribus milliaribus tanto cum impetu ruit, ut propè habitantes perpetuò sint surdi. (b)

a) *Scaliger. exerc. 58.* b) *Bartolin. l. 1. de Aq. c. 12.*

LXVIII.

Carnes semi-elixæ frigidâ ablutæ feliciùs: pisa ferventi aquâ abluta, infeliciùs elixantur, aquâque puteanâ tardè mollescunt.

Carnes semielixæ, aquâ frigidâ ablutæ, feliciùs elixantur, quia calor internus per ἀντιπερίστασιν frigoris auctus, elixationem perficit. Legumina ut Pisa &c. si primò ferventi aquâ abluantur, non possunt deinde elixari commodè, quia vehementi illo calore partes tenuiores resolvuntur, manentibus partibus solidioribus & terrestribus. Eadem ratio reddi potest, cur legumina sale conspersa difficilius coquãtur. (a) Sed cur Legumina aquâ puteanâ tardè mollescunt?

lescunt? An quod illa crassissima, ideoque immutatu difficillima? an quod ignis calorem ægrè concipiat ob sui crassitiem? quippe, quod tenue, rarumque est, alterationem facilè subit: crassum & densum contra. *(b)*

a) *Keckerm. disp. 9. coroll. 2. & 4.* b) *Ruland. l. 1. problem. 169. De aquis calcosis vide Libav. l. 1. de fer. Tub. c. 8.*

LXIX.

Strumarum ortus controversus.

Quædam Aquæ gignunt Gulæ tumores, vel gutturis, quos vocant Strumas & Broncocelus; quo morbo omnes laborant incolæ nonnullorum locorum in Alpibus, ultra Salisburgum, Oenopontum, Curiamque Rhætorum: item in Stiria & Carinthia: item alicubi in montibus Pyrenæis. Nec incolis id tantùm illic natis vernaculum est vitium, sed etiam advenis, qui si collo etiam anserino graciliore advenerint; & aliquot annos de his fontibus potaverint, guttura eorum, veluti taurorum colla, quibus palleatia dependent, referre videbis. Imò, quod omnem superat admirationem, lignis etiam & virgulis, in aquas quasdam ibi projectis tubera adnascuntur. Eorum, qui ibi nascuntur, penè nemo eo vitio caret, penè omnes inepti sunt ad loquendum, & ferè amentes. Causas quidam conjiciunt *(a)* 1. cum Scaligero in nives liquefactas, unde aqua multum terrestris frigoris, crudi & tenacis contineat. Cumque crudum repugnet resolutioni, gutturis hæret musculis & glandibus terrestre, quod propter aqueum sese insinuavit, ibique concretum durescit. *(c)* Sed cùm hoc, in aliquibus solùm locis regionis illius, ubi Nivium aqua in usu

eſt, accidat, ut in Valeſiæ noſtræ inferioribus tantùm ferè illius vallis partibus, non videtur veriſimile. Sed quòd ejuſmodi colli ſtrumæ & ſcrophulæ illæ plures ſimul corpora invadentes, populares ſint in quibusdã regionibus, illud potiùs diſpoſitioni cuidam naturali iſtorum hominum ad eas ſuſcipiendum aptæ, attribuendum. Quæ quoniam hæreditaria, & à parentum ſemine, continuâ generis ſucceſſione propagata glandulisque innata eſt, quod in certis locis hi affectus adeò vulgares ſint & regnent, efficit, quam hujus rei cauſam ſtatuere, quàm aquam aut aliam aliquam, minus mihi videtur à ratione alienum. *(c)* Cardanus, frigore gulæ tumorem concreſcere ſcribit, & à lacunalibus aquis gigni. *(d)* Sed non omnis lacuna gignit hoc, præterea non omnis aqua frigida. Nullum enim tale vitium in Syria, in Africa, Arabia, Perſia, India, Troglodytica, cujus aquas tàm eſſe gelidas ſcribunt Luſitani, ut incolarum dentibus vitium faciant; Peregrinos torminibus necent. Item univerſa Germania inferior, Sarmatia, Scythia, Nortwegia libera eſt. Et ex lacunis bibunt Arabes, bibunt Lybies: è gelidis Islandii. Nulli tamen ibi Gutturones. *(e)* Baccius ad Gypſum refert; ſed cur non gutturoſi, qui Albulas bibunt, aliasque gypſeam maximam continentes? *(f)* Langius, in halitus mercuriales & aquas Mercurio affectas cauſam confert. *(g)* At halitus illi in pluribus abundant metallis & aquis, neque tamen inde tàm multi gutturoſi. *(h)* Putandum ergò peculiarem & occultam eſſe proprietatem loci & non ſatis explicabilem, quæ communicatur plantis, herbis, aquis, fructibus. *(i)*

a. f. h) *Bartol. de aq. c. 15.* b. e) *Scal. exerc. 60. ſect. 2. & ex.*

& ex.54. Comment. in Arist. l. 1. de hist. anim. text. 98. c) *Plater. de vit. p. 239.* d) *de subtil. l. 2. p. 179.* a. g) *l. 1. ep. 43.* i) *Forest. de tum. p. n. l. 3. obs. ad schol. 13.*

LXX.

Aquæ per plumbeos canales fluentes, an sint causa dysenteriæ.

Aquæ quæ per plumbeos canales defluunt, suspectæ nonnullis habentur. (*a*) Plumbum enim per cerussam fit & nascitur. (*b*) Cerussa namque, Græcis ψιμμύθιον dicta, (*c*) pota, ac dentibus & gingivis, quas albo colore inficit, impacta, linguam & paristhmia aspredine exulcerat, tussim siccam & singultum commovet, & ex ventriculo nauseabundo perniciosum halitum eructat, eâ caligine oculos suffundit, corpus veterno algere, membra & crura torpere ac vacillare cogit, & cum soboles parentis referat vitia, & plumbum cerussam, dum aceto infunditur, evaporat, aut cum sulphure decoquitur, parturiat: quis plumbũ de eâdem cerussæ virulentiâ participare negabit? cujus solo viroso vapore, dum funditur, artifices plumbarios pallere, artus & sanguinem exuri, Vitruvius asserit. *(d)* Proinde Plinius: dum plumbum, inquit, coquitur, munienda sunt spiritus foramina, alioquin plumbi è fornacibus halitus noxius sentitur & pestilens, ac à canibus ocissimè. *(e)* Quare tàm præclaris testimoniis & ratione fretus, fistulas aut siphones ex plumbo, ad aquæ ductus non probo: sed fictiles tubos, à plaste diligenter vitreatos, ne aquarum limus illis adhæreat, longè præfero. At ii, si defuerint, aut superingestam terræ molem ferre non potuerint, tùm, præcipuè si sub terrâ defodiendi

erunt, canales ex pini arboris trunco torno oblongo excavatos, ob insitam illis resinam, qua ipsorum & aquarum putrefactioni resistunt, non improbarem. *(f)*

a) *Avinc. l. 1. fen. 2. doctr. 2. c. 16. Galen. l. 7. de med. sec. loca. Brujerinus l. 16. c. 8. de alim. Fuchs. de med. morb. l. 3. c. 15. Mirald. cent. 2. aph. 3. Riolan. de diat. san. c. 9. V. Schönf. c. 8. cons. de dyss. Fabric. c. 3. de dyss. 9. Petraeus nosol. harm. tom. 2. diss. 28. Nester de diss. c. 5.* b) *Vitruv. l. 8. c. 5. Pallad. l. 9. c. 11. Joub. l. 1. parad. c. 5.* c) *Nicand. in Alexiph.* e) *lib. 34. c. 17.* f) *Lang. l. 1. ep. 44. Libav. 1. de fer. Tubar. c. 3. Heurn. l. 1. M. p. 20.*

LXXI.

Controversiæ decisio.

Parcant mihi magni viri, si negavero, Cerussam abradi aqua, præferrent eam fossores, utpote viliorem, aceto, nec novi, an aqua sordes à plumbeis tubis abradat & malignam contrahat vim, quæ nervosis & membranosis partibus noceret. *(a)* Quercetanus saccharum ex plumbo dulcissimum & naturæ nostræ amicissimum elici scribit. *(b)* Quæ est igitur illa malignitas, aut vis corrodens in plumbo, quæ dyssenteriam causat? *(c)* Weckerus plumbi oleum intestinis dedicat, ejus guttis tribus vel quatuor colicam pellit, in aqua vel liquore exhibitis. *(d)* Augustæ rarum morbum Dyssenteriam novi, at nobis aquam salientis fontis, (per tubos plumbeos ductam) frequentem potum scio. *(e)* Sic aquarum per plumbeos canales ductarum usus Lutetiæ satis est frequens, nec tamen insalubris *(f)* Si tamen canales plumbei, ita vetustate jam corrupti sint, aut aquæ ita comparatæ, ut à canali-

nalibus aquæ aliquid de ſubſtantia plumbi communicari poſſit, tales aquæ innoxiæ planè non ſunt. *(g)* Unde Aëtius, ea de cauſa aquam pluvialem damnat, quæ defluxit per tecta plumbea. *(h)* Baccius aquas quasvis, quæ per tegulas metallicas defluunt, vituperat, additque ipſam aquam pluvialem quæ per tonitrua decidit, ea de cauſa, quòd aqua hæc pluvialis acrem quandam & pravam qualitatem concipiat, ſtomacho & inteſtinis præcipuè noxiam. Uſum quoque aquarum medicatarum, quæ metallorum & mineralium vires obtinent, cum cibis valdè damnat. &c. *(i)* Verùm, non in omnibus aquis medicatis talem noxam metuendam eſſe, cùm rationibus, tùm experientia ſuâ & aliorum probat Bauhinus. *(k)*

a. c. e) *Höchſt. 4. decad. obſ. 4. p. 66. Agric. l. 3. c. 18.* b) *tetrad. c. 28.* d) *l. 2. antid. ſpec. p. 675.* f) *Renod. l. 1. ſect. 1. c. 7.* g) *Sennert. de dyſſ. c. 2.* h) *tetrab. l. 3. ſerm. 1. c. 45.* i) *l. 21. c. 9* k) *l. 2. de aq. medic. c. 1.*

LXXII.

Caldaria plumbea, dum Sal excoquitur, vehementiſſimo etiam ſubſtrato igne cur non liqueſcant.

Hujus eventûs cauſam exiſtimo eſſe geminam. 1. hanc, quoniam capacitas caldarii plumbei, humore quodam largiter in fuſo adimpleta, qui per poroſi corporis meatus, ſeſe undiquaque diffundens, ita ignis violentiæ reſiſtit, ut impreſſionem, quam aliàs ſolet, facere nequeat. Etiamſi itaque quemvis liquorem, actuali ſua humiditate id præſtare poſſe crediderim: non tamen dubito, quin idem hoc multo luculentius præſtet aqua ſalſa, quoniam ſcilicet &

pinguior est, quàm simplex, atque ideò suo lentore magis protenditur, & intima liberalius imbuit, tùm etiam coquendo non tàm facilè absumitur, sicut olea & adipes, longissimam etiam coctionem, cùm minus exhalet, sustinere videmus: præterea ratione subtilium partium altiùs penetrat, & vi ad hæc adstrictoriâ insigni pollet. II. causa est, quod in omni coctione seu lixatione superna magis calent, quàm inferna; Ignis enim & ab hoc emanans calor, ex suâ natura sursum fertur, ideoque etiam superiores partes, nisi quid obstet, impensiùs, quàm inferiores calefacit, ibique primùm ebullitionem excitat. Norunt hoc egregiè periti coqui, ipso usu edocti, cùm eas piscium portiones, quæ coctu difficiliores sunt, utpote capita, in superiori cacabi parte, non autem inferiori seu fundo collocant. Quid verò, si non salsa, sed dulcis aqua eidem infundatur, an tùm saltem colliquatum iri existimas? ego ne tùm quidem hoc futurum crediderim. At etiamsi nullum in tam grandi vase periculum unquam fecerim, videre tamen licet quotidie in mensis catinos ex stanno aut plumbo candido fabrefactos anthepsis seu foculis, qui prunas continent, impositos non liquari, si modo jusculo aut aqua simplici imbuti fuerint, quantumvis muria nulla accedat: Ubi autem humore illo destituuntur confestim ab igne dissolvi incipere. Notandum tamen, caldarium plumbeum, in quo Sal excoqui diximus, non ab omni omnium ignium injuriâ & impressione immune esse. Semper enim aliqua portio decedit, adeò ut cum tertiam summùm salis coctionem sustinuit, necessariò refici, & liquatum de novo fundi illud oporteat.

P. Mo-

P. Monavius ep. 215. ad Mercurialem, ap. Scholtz.

LXXIII.

Lebetis ad ignem fundus, cur non calet?

Fundus lebetis sive aheni, in quo pisces elixantur, aut carnes, ab igne remotus cæteris omnibus in aheno ferventibus, ita tamen frigidus est, ut sine noxâ posit contrectari; quia naturâ frigidum æs, eam quantum potest retinet frigiditatem. Retinet autem aquæ frigore adjutus fundus, quæ in ipsos poros sese induit. Propterea, quod quæ pars aquæ calefit, summum locum petit: frigida semper in imo est. Hoc autem sensu percipi nequit idcirco, quia cum effunditur, miscetur. Patet autem ex eo, quòd in lebetem si aqua calida infundatur, statim calescit fundus. *(a)* Feci hujus periculum non semel meâ ipsius manu, cum alii, quibus hoc recitabam, se in fraudem allici putarent. Et me prævio, & ipsi postmodum manum innoxiè admoverunt. *(b)* Addiderim rationem aliam ex naturali figurâ ignis, quæ in pyramidis figuram assurgit, & cacuminatur, ita ut ignis ibi fortiùs agat, ubi figura pyramydalis est exactior: quare cum fundus aheni latior ignem ad parietes diffundat, atque idcirco pyramidalem ignis figuram à sese propellat, fit, ut minùs efficacem ignis actionem experiatur. Unde & experientia testatur, fundos acuminatos validius incalescere, acutos non item. *(c)*

a) *Scalig. exerc. 101. 8.* b) *Monav. l. c.* c) *Keckerm. disp. 9. corol. 6.*

LXXIV.

Plumbum in locis subterraneis augetur, sub dio, ut gravius fiat, collocatur.

Plumbi quantitas augetur, si in locis subterraneis, vel etiam humectis reponatur, quemadmodum statuarum vincula satis declarant. Præterquam verò, quod huic rei experientia attestatur, & Mercatores etiam præclarè norunt, dum tempore pluvioso, plumbum sub dio, ut majus incrementum acquirat, obque id carius vendant, collocare solent; etiam ratio ipsa nobiscum apertè facit. Neque enim absurdum adeò est & puerile, cogitare, plumbi substantiam & molem augeri & incrementum sumere posse accessione & adunitione materiæ planè similis & ὁμογενῆς, aëreæ nempe & aqueæ, ex quâ per se constat, & in natali solo, ipsis scilicet terræ latentibus venis efformatur, dum præsertim circumstans frigus & obscurus tepor illis aëris qualitatibus proportione respondet, qui in subterraneis cavernis conclusus effectricis seu formatricis causæ vicem subit, quando etiam in vegetabilibus tale quid fieri quotidie animadvertere liceat. Quis enim non vidit Aloen, Semper vivum, Cepam, Croci radicem, acetabulum, squillam, porrum, Portulacam, & similes plantas, succi plenas, à matre, ut cum Poëta loquar, jam recisas, & de laquearibus hyeme suspensas, nihilominus crescere & augeri, tantùm ideo, quia succo ad sui incrementum idoneo non destituuntur, & blando insuper vaporarii calore non secus atque antea solari circumfunduntur & foventur. Quid igitur mirum, si tàm ignobile & imperfectum metallum, quod vitam nunquam habuit, nec habere aptum est,

quod-

quodque minime exquisitâ aut operosâ transumptione vel præparatione materiæ indiget, credamus aliquod augmentum extrinsecus accipere posse, si & idonea materia, aër videlicet crassus & turbidus, qualis in conclusis locis est, subministretur, agentique præterea causa verè proportionata non destituatur.

Monav. l. 6. Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. c. 52.

LXXV.

Lue Venereâ curatur Mendicus, universo corpore, fimo equino obruto.

Scatebat quidem è grege mendicabulorum lue venereâ, aliquot diebus universum corpus fimo equino obruit, ut tantùm esset, quà respiraret. Erat stercus stabularium equino lotio sæpiùs perfusum, quodque jam computruerat. Effecit ille hâc arte, ut totum virus exprimeret: addidit aliquoties euporistum, ex axungiâ, larignâ & hydrargyro. Nec alia vitæ lex servata est, quàm mantica offerebat: atque his remediis curatus est.

Holler. l. 1. instit. chir. p. 8. a.

LXXVI.

Cur fauces in acutis febribus sæpè rubesiant, lingua verò fuliginibus tantùm tingatur.

Cur fauces & partes circa columellam, in acutâ vel ardente febre sæpè inflammantur & rubesiunt, lingua verò fuliginibus tingitur? an quia fauces propinquiores sunt accenso vapori, qui è ventriculo, per gulam, & è pectore per trachæam, expirat; lingua verò remotior est, & quæ jam progressas fuligines & ex-

tinctas excipit? adde linguæ substantiam esse magis raram, quam fungosam, & idcirco magis aptam, ut fumosos vapores rapiat. Videmus enim fornaces laterum calcarios, longè à loco, in quo ignis dominatur, fuliginibus nigrefieri, focum verò ipsum inflammari & rubefieri.

Proth. Casulan. de ling. l. 2. c. 12.

LXXVII.

Cur pestis brumali frigore cesset, ἐγκεφαλόνοσ@ vigeat.

1. Quia in peste vis veneni arsenicalis pinguioris sulphurei ab ambientis frigore intenso cohibetur & congelatur. 2. Pori corporis clauduntur, & veneni penetrationem abarcent. 3. Calor naturalis coactus fortior redditur ad resistendum. In ἐγκεφαλονόσῳ 1. motus intrinsecus veneni Mercurialis vaporosioris frigore ob ἀντιπερίστασιν adjuvatur. 2. fit qualitatibus acrior & tenuior, atque actione penetrabilior Mercurius. 3. difflatio ejus prohibetur. 4. Venenum intra cerebri arcem quasi clausum difficilius amovetur.

I. Cunr. Rhumel. P. de ἐγκεφ. c. 32.

LXXVIII.

Cur Lues Vngarica hyeme atrocior, æstate mitior.

An ob cutis constipationem fit ex ambientis nos aëris frigiditate, nihil putridi & maligni exhalare permittente? æstate verò quicquid vaporosum & putridum (malignâ hac febre ab internâ causâ putri profectâ, externâ aëris περιφάσει vel suscitatâ vel pro-
motâ)

motâ) per aperta aëris calentis ope spiracula undiquaque expelli potest, & natura malignitate & copiâ morbosi apparatus, hoc pacto exonerata alacrior reddi, morbusque clementior.

Ruland. de l. Ungar. c. 8. quæst. 9.

LXXIX.

Luis Vngaricæ blanditiæ & clandestinæ insidiæ unde?

Cur Febris Ungarica mitis adeò primitùs apparet, ut Medicis etiam peritis dolosè haud rarò imponat, aliam & benigniorem simulando febrem? An quod malignitas cordis intima impugnare laboret, ἐν τῷ γίνεσθαι consistens, vitæ fonte primo repugnante? an quia primis diebus fomite caret, non undiquaque habili, sed deinceps in sui augmentum immutato demum? an spirituoso ab initiò insidet subjecto in cordis domicilio redundante? quo fit ut malignitas πνευματικῦ τῦ ὑπεκκαύματ☉ generata, in alio stabiliori agere contendat, aut evanescat spiritualium more δι' ἀδήλυ sensim evecta, non propterea ab initio Medico exposita? an corde πρώτως hic ægrotante, eamq; ob causam spiritib9 primò affectis, utpote perniciei agenti in procinctu stantibus necessario, prioribus enectis, alios in præsidium avolare, in fronte collocatos oportet, quorum indigentia fit, ut malignitas, quæ primò in sola vaporosa sede insidiata interioribus, extrinsecus nihil exerat virium, manifestè apparatu idoneo omni ex parte succēdendo defecta? an crassities & frigiditas obstat ipsius fomitis (pituitâ pu-

putato) quæ primitus inflammari, vel affici vix tota poteſt?

Id. ib. quæſt. 11.

LXXX.

Peſtis eadem eundem vix corripit.

Hi, qui peſte tentati jam ſunt, ubi periculum evaſerunt, contagium non facilè, in una eâdemque peſte ſecundò hauriunt, quod forſan materia, quæ peſtis focus eſſe queat, tota jam ſit abſumpta, & quod cor illorum triumphum jam canat, nec hoſtiles inſultus ſecundâ vice metuat, ſed veluti his pugnis jam aſſuetum crudelis morbi minas deſpiciat. Eſt ſanè hoc penitus ferè nobis perſuaſum, quod experientiâ ac obſervatione didicimus, unde pro Noſocomii famulis eos præ cæteris delegimus, qui pulsâ affectione jam modò convaluiſſent, huc alluſit Poëta inquiens:

Quos ſemel invadit Peſtis, repetatq; ſecundò,
raros eſſe quidem, ſed tamen eſſe ſcio (a)

Obſervaſſe hoc quoque viſus eſt Thucydides, cùm ait: neque enim bis eundem morbus corripiebat, ita ut extingueret. Atque hi tùm ac aliis beati cenſebantur, tùm ſua ipſi ſponte ob ſuæ ſoſpitatis lætitiam ſpem in poſterum præſumebant, ſe ne ab alio quidem morbo unquam abſorptum iri. *(b)*

a) *Minderer de peſtil. c. 10.* b) *l. 2.*

LXXXI.

Lapidis Septici cum peſte comparatio.

Lapis Septicus, (quem vulgari, minus verò proprio nomine plebs Medicorum lapidem corroſivum appellare conſuevit, quo chirurgi communiter in paran-

parandis fonticulis, in corporibus præcipuè delicatis, & actuale cauterium candentis ferri vi alioquin inuri solitum non sustinentibus, utuntur) parti cuipiam corporis impositus, extremam primùm Epidermidem & huic deinde subjectam cutim, tandem verò & carnem sub hac ipsâ latentem, nec non huic innatas fibras, atque hinc inde sparsas venulas nullo planè, vel eo exiguo, & vix perceptibili (dummodò ritè paratus is sit) doloris sensu adeò mortificat & inductâ putredine eo usque necat, ùt eæ, quas tetigerit partes, brevi horarum spacio, omni penitùs sensu privatæ, ac omni prorsus vitali munere destitutæ conspiciantur, donec hæ liventes ac omnino putrefactæ luridi putaminis instar (cum sanum in statum nullo planè artificio reduci queant) à sanis, quibus nullo amplius vitæ vinculo cohærent, & nullo nutritionis beneficio gaudent, segregentur & excidant, aut in tabem resolutæ relicto cavo ulcere decedant ac diffluant. Eodem ferè modo Pestis sese corporibus nostris insinuare solet, utpote quæ subdolo & vix sensibili principio cordis penetralia clanculum subintrans, intestinas paulatim parat insidias, adeò ut jugulatis nonnunquam spiritibus ac maligna putredine peremtis, nullâ ferè doloris perceptione, sed sola virium vitalium consternatione homo derepentè corruat, quod in Ephemerâ pestilente sæpius contigisse fuit animadversum. Et sanè illa putredo pesti conjuncta non quidem externis semper notis deprehensibilis est, ut plurimùm tamen manifesta ingentis suæ pravitatis indicia exhibet. Et sicut lapis ille septicus, causticam & adurentem quandam, imò & corrosoriam vim possidet, eam tamen non tantam,

quæ

quæ putrefaciendi vim huic præ reliquis insitam, superet; sic in peste quoque universam pestilentis veneni vim quantumvis alias quoque malignas qualitates sibi junctas habeat socias, in venenatæ putredinis nocumentum & damnositatem tanquam in vincentis causæ energiam potissimùm conjiciendam, huicque pro reliquis noxam omnem acceptam esse referendam arbitramur.

Minderer. l. c. c. 3.

LXXXII.

Chersydri cum peste comparatio.

Chersydrus magnæ venenositatis bestia, aquosa primitus loca incolit, his verò tandem arefactis sicca inhabitat, *(a)* quod his carminibus facundè Virgil. expressit:

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis
Squammea convolvens sublato pectore terga
Atq; notis longam maculosus grandibus alvum,
Qui dum amnes ulli rumpuntur fontibus & dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus austris,
Stagna colit, ripisq; habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluviem, ranisq; loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt,
Exsilit in siccum & flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperq; siti atq; exterritus æstu. (b)

Simili planè modo pestis, corpora humida, succi plena & putredine humiditatem semper aliquam excrementosam præsupponente gravata, imprimis apprehendit, quâ quidem humiditate, (pulsis sudoribus) discussâ, aut naturæ opificio disjecta, vel alio quovis modò exclusa, nihilominus tamen ea ipsa jam dicta

cor-

corpora non deserit, sed quæ humida primùm infecerat, ubi ea arte aut natura arefacta fuerint, pertinaciter detinet, quomodo nos in febre pestilente curanda venenum in putridâ humiditate constitutum, omnium primò pepulisse, exinde verò febrem percurasse meminimus. *(c)*

a) *Columel. l. 1. c. 5.* b) *l. 2. c. 3. Georg. l. 3. J. Bapt. Silvatic. de usu Ther.* c) *Minderer. l. 3. c. 6.*

LXXXIII.

Acari animalculi mirabilis consideratio.

Acarus minimum animal, sub sensum vix cadens, progressivo movetur motu, nec ut insecta & vermes: quare plura crura habet: crus autem moveri & flecti oportet, mobiles & movētes partes habeat necesse est: igitur in crure erit os, vel quid ossi respondens, quod est mobile: erit musculus, vel saltem tendo, vel quid horum vicem gerens, movens: erit præterea nervus, & ligamentum, aut tantùm nervus, ut paucioribus contenti simus, qui & spiritus deferat, & sentiat & moveat: erit arteria & vena, ut vivere & nutriri crus possit: erunt ligamenta articulos & ossa & cartilagines colligantia: erit denique cutis, vel quid illius loco omnia subjecta continens, defendens ac externa sentiens: quæ si duce sensu judices, toto aberrabis cælo, quando arenæ granum totum animalculum non excedat, quæ si de puris cruribus examines, oculos & eorum partes percurras; caput, cerebrum, collum, pectus, pulmones & cor, ventrem, ventriculum, intestina, jecur, splenem & tot famulantia instrumenta, os, dentes, linguam, gulam, tot necessarias venas, arterias, nervos, ossa, ligamenta, membranas perquiras,

ras, in maximam tui deficientis intellectus deficientiam & debilitatem devenies, & in Omnipotentis opificis minimum ſapientiæ radium duceris.

Parisan. l. 2. de ſubtil. exerc. 2. c. 8.

LXXXIV.

Experientia de pediculorum ſagacitate.

Pediculi ac pulices, ubi corpus hominum tabeſcere ſentiunt, omniaque membra ſenſim ſanguine destitui, vel ipſum deſerunt, vel illas partes occupant, quibus ſanguis, calorque nativus diutius inhæret. Expertum enim eſt à Libitinariis ac veſpillonibus in eâ ſe lacunâ recondere circa ſtomachi orificium, in quam deſinit cartilago enſiformis, vel in eâ, quæ mento ſubeſt, ac vocali arteriæ incumbit. Siquidem illæ partes, utpote cordi vicinæ ad extremum usque halitum caleſcunt: quod cùm à nonnullis, qui ægrotis aſſiſterent, mihi eſſet relatum, incunctanter pronunciavi, certiſſimum id eſſe imminentis mortis argumentum, jam jamque emigrantis animæ indicium.

Lemn. l. 1. de occ. nat. mir. c. 22.

LXXXV.

Allii etymon, uſus πολύχρηστος, internus.

Allium fortè ab ἄλλεσθαι, exilire, quod exiliendo creſcat. Σκόροδον Græcis, (*a*) vel qui σκαιὸν ῥόδον, id eſt, rudis roſa propter odorem gravem: vel quod comeſtum, vapores excrementitios ad cutim pellat, & veſcentibus pandiculationes moveat. Sunt qui ab halante gravi odore deducant, & Alium ſcribant. (*b*) Adverſus plurima venena creditur antidotum. (*c*) (qui enim matutino tempore (*d*) comedit Allium, ei mor-

ei morſus animalium venenatorum nihil obeſt, non modò intrò ſumtum, ſed etiam extrinſecus admotum. Id ſerpentes fugiunt, perinde ac Rutam. Ejus fruſtula duo cum ſale ſumpta aërem peſtilentem repellunt, atque diſcutiunt. Nam, præterquàm quod occulta & inexplicabili facultate venenorum perniciem infringit, forti etiam vapore corpus opplet, ac ſpiritu perfundit, cujus vi peſtilentem aërem efficaciter vel repellit, vel extinguit, ac ſuperat. *(e)* Ideoque ruſticorum Theriacam Galenus appellat. Hinc navigantes contra ſentinæ fætorem, corruptasque aquas & cibos, nauſeamque ex maris tempeſtate excitatam, ut & ad robur in remigando conciliandum, Allium utiliter uſurpant. Humores in pectore tuſſim excitantes educit, puerorum vermes enecat & ad toleranda frigora, aquarumque pravitatem corrigendam optimum remedium. Unde, quibuscunq; aqua non ſatis pura bibenda eſt, rectiſſimè faciunt, ſi antequã eam bibant, allio, quocunq; modo, eam corrigãt. *(f)* In Vaſconia tantopere adamantur Allia, ut vulgus nullũ magis aſſiduum & quotidianum cibum agnoſcat, iisdem in omnibus penè utatur condimentis & obſoniis, atque non ſolùm appetitum dejectum inſtauret, ſed etiam vires, illorum uſu frequentiore, conciliet. Mirum enim in modum vires collapſas reficiunt atque inſtaurant, prout ex eo conſtare poteſt, quod ruſtici qui terram multo cum ſudore ſubigunt & ipſi triremium remiges, illis, nec aliquando ſponte, utantur: quando magnus aliquis labor eſt ſubeundus, & claſſis è magno quodam periculo remigando eripienda. *(g)* Galli quoque gallinacei, qui Allium degu-

deguſtarint, ferociſſimi fiunt ad pugnam. Ideoque viatores idem libentiſſimè identidem arrodunt, nec non qui bella & caſtra ſequuntur, quod eis agilitatem addat, vires firmet ac animum faciat. Datur etiam equis, ex pane & vino, horâ bellici conflictus, ut ferociam & laborum expeditam tolerantiam promoveat. (*h*) Calculum pellit. In vino enim coctum, ita tamen, ne in coctione quid vaporum exhalet, & calculoſis propinatum, magnarum eſt virium; fuit hoc ſecretum cujusdam Monachi Medicaſtri, olim apud Hallenſes agentis, qui plurimos Nephriticos hoc remedio curavit. (*i*) In hydromelite coctum, & ad Unc. ij vel paulò plus exhibitum potenter ſudores & urinam elicit. (*k*) His autem ſolùm, qui craſſis & viſcidis humoribus ſcatent, uſus ejus non eſt incommodus: (*l*) ſed otioſis, mollibus, bilioſis & ſanguineis, quibus calidum jecur, ſanguis tenuis & fervidus, & ſenſus exquiſitus noxium eſſe ſolet. (*m*) Omnibus autem quocunque modo paretur, uſus ejus frequentior noxius. Inprimis verò ob fœtorem moleſtiſſimum, ac ferè intolerabilem uſus ejus valdè incommodus, dolorem capitis infert, oculis (*n*) nocet (comperimus enim, qui allium vorant imbecillitatem viſus incurrere, & tandem noctiſpices fieri, nec aliter quandoque affici, quibus humidius cerebrum oculos irrigavit, qui fumis ſunt vexati, aut lachrymarum diuturno fluxu, ut in ophtalmia, quibus etiam radii, ita affligunt oculos, ut dolorem inde concipiant, (*o*) & neceſſe habeant eos velo munire.) ſenſuumque omnium inſtrumentis, (*p*) ſitim excitat. (Quod tamen de crudo potius, quam elixo intelligas velim, coctum enim crudo, elixumque toſto utilius.

Eli-

Elixatur ut acrimoniam amittat, succique sit melioris. Nihil enim est tàm medicamentosum, quod coctione & elixatione aliquâ ex parte non fiat (*q*) alimentosum) flatus (*r*) discutit. (an quia suâ acrimoniâ, in pituita redundante idem quod cepa expedit, cum flatuosorum ventorum copiam (*s*) promoveat?)

a. r) *Hippocr. l. 4. de rat. vict. in ac. text. 90. Diosc. l. 2. c. 182.* b) *Fuchs. in herb. c. 284. Bauhin. pin. th. bot. l. 2. s. 4.* c. e. m) *J. Plac. Const. de febr. pest. cap. 14. & l. 8.* d) *Pansa. l. 4. pract. spec. c. 55.* f. l. n. p) *Sennert. instit. l. 4. part. 1. c. 3. Camer. in Mathiol. l. 2. c. 78.* g) *Quere. de pest. l. 2. c. 5. diat. polih. l. 3. c. 2.* h) *Mizald. cent. 6. aph. 77.* i) *Unzer. de nephr. l. 2. part. 48. Forest. l. 24. schol. ad obs. 25.* k) *Plat. de dol. p. 197.* o) *Libav. de Nyctoblepis p. 276. & 278.* q) *Gogl. de prer. vit. p. 261.* s) *Gogl. P. de ris. & rid. p. 9.*

LXXXVI.

Externus.

Comestum vel cum origani decocto potum pediculos fugare prodiderunt, fortè etiam eâdē vi, quâ & vermes pellere docent, collo appensū. Aliqui, rusticos Allium comedere, ne à muscis infestentur, dixerunt. (*a*) Qui carnes & cum primis Vervecinam torrentes verubus, Allio eam implent ac infigunt, non faciunt insalubriter. (*b*) Allii bulbus tracto cortice in formam suppositorii scissus & in aurem partis dolentis intrusus, vel coctus & impositus, mirè juvat in dolore dentium. (*c*) Mesuæus putat, trita Allia manu dextrâ, aut sinistrâ, prout dextri aut sinistri dentes doluerint, gestata dolorem sedare. (*d*) Sævo ursino

permixtum, plantisque pedum inunctum, ad tussim tollendam, certum quorundam prædicatur præsidium.*(e)* Si lituAllii parietes infeceris, exibit statim Leopardus, nec resistet, cujus odoratum venenata fera non patitur, nos internis visceribus infundimus. *(f)* Propè rosas consita Allia, illas odoratiores præstant, quia Alliorum acrimonia ac caliditas etiam insitas illis vires excitat atque elicit: quæ enim ex frigiditate languescunt, calore acuuntur. *(g)*

a) *Plat. de vit. p. 983. 988.* b) *Goglen. l. c.* c) *Plat. de dol. p. 374.* d) *Paraus l. 16. c. 25.* e) *Plater. d. l. funct. p. 491.* f) *Ambros. libr. 7. hexam.* g) *Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. c. 52.*

LXXXVII.

Allium vasa figulina fracta conglutinat.

Experientia ipsâ docente, non semel comperimus, Allium tanta virtute dissolvendi atque discutiendi pollere, ut fragmentum vasis figulini, modò reliquis ejusdem partibus aptè leviterque adjungi possit, ipsimet vasi tàm firmiter, si Allii succo confricetur, adhæreat: ut continendis etiam ipsis, qui destillantur spiritibus, inservire possit. Usque adeò partes confractas invicem Allium consolidat atque compingit.

Quere. pest. alex. l. 2. c. 5.

LXXXVIII.

Ceparum Etymon, tritæ ad combustionem valent, & qui.

Cepa à Capitis magnitudine, Græcis κρόμμυον ὅτι κόρας συμμύειν ποιεῖ, quòd oculi pupillam comprimere

mere cogat, utpote mordaci nimium vapore lancinando & lachrymas movendo. *(a)* Paratu facilè & expertum remedium est, si quis statim ab ambustione cepas crudas, & cum sale intritas dolenti parti apponat. Intellige maximè de simpliciter ambustis partibus & nondum excoriatis, aut exulceratis (nam si in ulcus abierit malum, dolor exacerbatur, & inflammatio augetur) Cepæ enim potestate calidæ sunt & humidæ, itaque temperie calidâ rarefaciunt, humiditate autem activâ remolliunt cutem: quo fit, ut attrahant & foràs evocent, dissipentque inustum calorem, sicque pustularum generationem intercipiant. *(b)*

a) *Bauhin. lib 2. pin. sect. 4. Plater. de las. funct. pag. 52. Aristot. 20. probl. 22.* b) *Paraus l. 11. c. 9. Bartol. de cancer. c. 11.*

Vide cent. 6. part. 80.

LXXXIX.

Cur agrumina, (allium, cepa) foris corpori adhibita, exulcerent, intus non.

Non omnia, quæ extrinsecus exulcerant, intus assumpta idem efficiunt. Hujus inæqualis operationis causa diversis subjectis imputanda: cutis enim sicca, impressiones ceparum impositarum facilius recipit; ventriculus verò humoribus cibisque refertus, à cepis ingestis haud ita facilè affici potest. *(a)* Partes quoque externæ promtius patiuntur, quàm internæ. Allium etenim crassè contusum & applicitum, admodum est strenuum & efficax vesicatorium. *(b)*

a) *Math. in spec. sanit. c. 2. Scal. exerc. 160. 3. Stup. disp. p. 149.* b) *Capovac. l. 1. pract. c. 8. & 9. l. 3. c. 5. Jac. Zvvinger. exam. princ. chym. c. 11.*

XC.

Cepa, Allium cur vigent evulsa, & germinant?

An quia calidum & humidum innatum vegetum habent, & densum, externis siccitatis & marcoris injuriis quàm maximè resistens, & sponte sua levi à foris stimulo excitatum sobolescens? *(a)* Ideò Theoph. partes resectas, quæ absq; radice seruntur, vel alteri trunco inseruntur, propagari posse negat: quod humor insitus illis, aut propter paucitatem suam, ut in lignis siccioribus, aut propter plantæ raritatem, ante expiret, quàm radices agant, aut cum alia arbore coalescant. *(b)*.

a) *Ruland. l. 1. probl. 166. Lemn. l. 2. de occ. nat. mir. cap. 52.* b) *libr. 1. de caus. plant. vide centur. 7. memorab. part. 87.*

XCI.

Cur allia cum excaulescunt, pleniùs, quam recens edita olent.

An quòd recentia humoris multum adhuc extranei contineant, quo fit ut vim suam integram habere nequeant. Cùm autem decocta jam sunt, secreto humore illo inutili, tùm suum odorem sincerè adipiscuntur, qui scilicet acer est. Quin etiam cæteri nuper editi fructus dilutiores sunt, & ce-

cepas recentiores ob eam causam minùs acres sentimus.

Arist.l.20.probl.30.

XCII.

Cur pulegium, lirium, & cepe, suspensa florent, tempore solstitii.

An inest crudum in his alimentum, quod in hyeme concoqui ex frigore nequit, sic solstitio ex calore concoquens auget. Utrum quia influxu carent assiduo, brevi marcescunt. Etenim quæ nullum alendi indicium, nullum affluxum assiduum habent, intereunt, exsiccanturque. Quâ de causâ accidit apud Scythas, ut frumentum diu in terra maneat, propter copiam nivis, & ubi emerserit, citò crescat.

Arist.l.20,probl.21.

XCIII.

Raphani etymon, & cui usui.

Raphanus dictus, παρὰ τὸ ῥαδίως φαίνεσθαι, quòd statim appareat, nam die 3. à satu prosilit. *(a)* Quovis tempore salubres Raphani, nephriticis præsertim. Nam urinam proliciunt, & renes ab omni arenosâ substantiâ purgant: quin imò massam istam mucilaginosam, unde calculus generatur, virtute suâ specificâ in aquam resolvunt: ad quod institutum illos cum carnium jusculis coquere licet, si ita videbitur; aqua eorum stillatitia est præsentissimum quoque calculi remedium; (in ictero quoque peculiariter *(b)* laudatur) cocti etiam & contusi in formâ cataplasma-

tis, pectinis & perinæi regioni feliciter applicantur, ut hinc crassa illa & mucilaginosa materia dissolvatur: sicut illorum effectus specificus in hoc statim se prodit, quod acris sapor eorum, tàm sit efficax, ut quam primùm sali marino, intercedente quantulocunque spatio, admoveatur, illum statim resolvat & in aquas convertat. *(c)* Commodiùs autem sumitur primâ mensâ, atque ante alios cibos, etsi alius hîc aliis nationibus mos sit. Alii enim primâ mensâ, alii in fine, alii toto prandii & cænæ tempore obsonii loco utuntur, quod calore suo coctionem adjuvare credant. *(d)* lienem absumit, *(e)* appetitum ciborum excitat, ructus tamen subolidos & fœtidos generat, & vomendi inclinationem promovet, *(f)* & oculis nocet. *(g)* Jejuno stomacho commanducatus, cum sale & pane veneno potenter resistit, experimenti via facilis & certa. *(h)* Quicunque manus suas inungit succo raphani, is serpentes absque noxa tractare & retinere potest. Orbiculi de raphano concisi, & lateri sinistro impositi, revellunt venenum à corde. *(i)* Raphanus minutim incisus, aceti momento conspersus, & plantis pedum alligatus, accursum vaporum delirium causantium, in malignis febribus, impedit, deorsum retractis fuliginibus. *(k)*

a) *Fuchs. herb. c. 258. Bauhin. in pin. th. botan. l. 3. s. 1. in not. ad Matthiol. l. 2. c. 106.* b) *Plater. de vit. p. 150.* c) *Querc. diat. polib. l. 3. c. 2. Mirald. centur. 8. aph. 96. Plat. d. dol. p. 568. Unz. de nephr. l. 2. p. 150.* d) *Sennert. l. 4. inst. part. 1. c. 3. Lemn. l. 2. de occ. c. 52.* e) *Heurn. l. 2. M. c. 19.* f) *Math. in spec. sanit. c. 2.* g) *Sennert. l. c. hoc negat Platerus l. 1. las. funct. p. 262. Lemn. l. 4. c. 6.* h) *Goglen. de pror. vit. p. 258.* i) *Pansa l. 4. pract. spec. c. 55.* k) *Ru-*

k) *Ruland. d. l. Ungar. p. 103. 127. & 191. contradicit Oberndorf. de morb. Ung. p. 172.*

XCIV.

Radices Indicæ, quas pappas vocant (German. Erd-Äpfel) *quid, vires controversæ.*

Plantæ (solani tuberosi esculenti) cum A. 90. iconem, suis coloribus delineatam, à D. Scholtzio, Pappas nomine accepissem, & à nemine descriptam invenirem, in Phytopinace, sub solano tuberoso, & in Mathiolo, sub sol. tuber. esculento, figurâ additâ, descripsimus, ejusque iconem D. Clusio transmisimus. Solanum appellavimus, propter formam aliquam foliorum cum malis aureis: florum cum malis insanis: fructuum cum baccis solani vulgaris: seminum cum solanis penè omnibus: denique propter totius plantæ odorem, quem cum Solanis communem habet. Hæc Bauhinus. *(a)* Cui sententiæ refragatur Camerarius: Habui enim (inquit) magnam copiam harum radicum, superiore Anno, ac instar raporum paratorum sæpè comedi, non sine voluptate, nec ullam inde noxam sensi. Utinam aliquid somni conciliâssent, quo ego alioqui in hac senectâ sæpè destituor. Valdè in solum pingue injectum sese propagât, sed radices, quas per hyemem volumus retinere, tantùm in fictili terrâ sunt reponendæ, & in aliquod conclave, ubi frigus non penetrat, reponendæ, ac primo vere rursum plantandæ. (*b*) Ad caulis exortum, radices plures, fibrosæ, oblongæ, albicantes, per terram sparsæ, quandoque in profundum descendentes, cui aliæ tuberosæ radices adnascuntur, ita ut plantam hyeme versus erutam, ultra

quadraginta (alii 50. notarunt) tubera diversæ magnitudinis notaverimus. Ex ramis etiam reclinatis, terrâque tectis, Burgundi propagare solent, quo plura tubera acquirant. Florent apud nos, in Iunio, & sæpè ad Autumnum usque & à primis pruinis offenduntur. Ex insula Virginea primùm in Angliam, inde in Galliam, aliasque regiones delata est. Italis Tartuffoli, quo nomine & tubera nominare solent, dicitur. Germanis Grüblingbaum/ id est, tuberum arbor dicitur. (*c*) Communiter apud nos Erd-öpffel. Libavio Rapæ papales. (*d*) Indi radicibus panis loco utuntur: radicem evulsam solique expositam siccant, siccatam in partes diffringunt, ex quibus edulium Chunno nuncupatum admodum diu durans conficiunt. Papas, adhuc verò viridis, interdum verò vel cocta, vel assata manducatur. (*e*) Sic nostrates aliquando tuberum modo, sub cineribus assant, & cuticula ablata cum pipere comedunt: alii assatas & mundatas, in taleolas dissecant, & jus pingue cum pipere affundunt, & comedunt, ad Ven. excitandam: alii & tabidis utiles volunt, cum bonum alimentum præbeant: non minus, quàm castaneæ & pastinacæ alunt & flatulentæ sunt. Relatum mihi, nunc apud Burgundos, harum radicum usum interdictum, persuasi earum esu LEPRAM causari & Artiscokos Indicos vocari. (*f*)

a. c. f) *l. 5. prodr. c. 1.* b) *Cist. med. ep. 87. Doldius ib. ep. 256.* d) *l. 2. batrach. schol. ad c. 10.* e) *Acosta histor. Ind. l. 3. c. 20. l. 4. c. 17.*

XCV.

Quomodo plantæ virides & pulchræ sint asservandæ, & exsiccandæ.

Narrabat mihi Adrianus Spigel, Medicus, se in diversis Italiæ locis plantas inquisivisse, & semper habuisse secum rusticum indigenam, qui & sarcinas gestârit & alia. Inter cætera igniarium habuisse semper & gluten paratum. Inventâ igitur plantâ aliquâ, subitò jussisse hominem suum suscitare ignem, & gluten facere fusile, tùm verò plantam viridem & humidam, ut à matre terrâ accepisset, se agglutinasse & retinuisse omnes colorem suum genuinum. Ostendebat etiam non paucas, hoc modo servatas, quæ satis videbantur pulchræ. 2. Norībergæ vidi sæpè filiam herilem ita siccare. Accipiebat patinam stanneam, ex illo genere, quas vocamus Zerlegteller, faciebat stratum ex arenâ (horologiorum) tenuissimâ, & imponebat flores suos benè explicatos quibus iterum insternebat arenam eâ copiâ, ut flores ipsi non apparerent. Ita exponebat soli, & post paucos dies eximebat pulcherrimos. 3. Ope aquæ chrysulcæ servantur garyophylli nostri hortenses & rosæ & alia tàm vegeta, ut si adesset illis mollities illa, quam habent virides, affirmaretur pro certo, ex plantâ suâ jam decerpta esse. (*a*) Nos hoc modo experti sumus & aliquam veritatis partem invenimus. Rosarum calyces nondum dehiscentes sed tumentes in harundinem immisimus (oportet enim rosæ sint juxta plantatæ) internodia harundinis leviter scindimus, & aperto è latere foramine, constrictâ vinculis fissurâ ne hisceret, diu asservavimus. (*b*)

a) *Hof-*

a) *Hoffman. ep. Hernung. ad Schnitz. 201.* b) *Porta mag. natur. l. 4. c. 2. Mirald. centur. 3. 27.*

XCVI.

Herba viva, foliis polypodii, admiranda planta.

Herba viva dicitur, eò quòd si eam quis apprehendere cupiat, folia illicò contrahat, & sub tenues ramulos recondat, si verò quis apprehendat, subito licet, adeò marcida conspiciatur, ut exsiccata existimetur: attamen si quis manum retrahat, illicò nitorem recuperat: & toties marcescit, aut reviréscit, quoties comprehenditur, aut manus ab eâ retrahitur. *(a)* An Æschynomene Apollodori apud Scaligerum? *(b)*

a) *Bauhin. pin. th. botan. l. 10. f. 2.* b) *exerc. 181. 28.*

XCVII.

Ἀντιπαθείας *exemplum, de Fragis.*

De seipso olim commilito quidam meus retulit. Is quoties fraga comedisset, imprudens in cutaneum quendam affectum subitò incidit, in quo tumor, rubor, pruritusque totius cutis, perinde ac si scabie sicca laboraret, quæ tamen cutis defædatio, paucis diebus rursus evanuit. Primò sensit hanc affectionem, cum dono missa fraga vino generoso & saccharo conspersa, absumpsisset, putans venenum sibi datum. Sed postea cum idem pateretur ex fragis, suâ manu lectis, idque sæpius, agnovit ἀδυναμίαν. Multa nimirum inter abdita latent, quæ hominum nequeunt capi ingenio. Verisimile est, fastidisse fraga matrem prægnantem, & inhorruisse conspecta aliqua re absurda aut

aut abominabili in ipsis. Quid si morticinam, aut morbum ejusmodi conspectum ob similitudinem ad fraga retulisset, & affectionem talem impressisset nato, ut comestis fragis perinde pateretur? Ita quidam abstinebat à columbis assis, quod senem quendam excarnificatum ita rugosum vidisset. Veneni vim in eo habuerunt fraga, idque ratione nutritioni destinatorum membrorum tantùm. Natura verò robusta infectos ichores ad cutem rejecit, quibus absumtis abolitum fuit malum. Eodem modo aliis fuêre venenum, malæ, rosæ, ova, cassia &c.

Libav. de antipath. p. 157. 158. 159.

XCVIII.

Ambulantes in arena, cur celeriter progredi nequeant.

Qui in arenâ ambulant, celeriter progredi non valent, sed semper decidunt, quia pedibus nulli rei inniti possunt, ideoque animali currenti aut saltanti fulcrum est terra: piscium natantium pinnis aqua subjicitur, tanquam quiescens sustinens motum, volatilium alis pars aëris commota & densata dat sustentaculum.

Aristot. de mot. anim. c. 1.

XCIX.

Apum industria, justitia, cura, munia.

Apes constituta quadam Reipublicæ forma, sibi Regem deligunt, qui corporis proceritate & formæ præstantia reliquis antecellat: alis insignitur brevioribus, cruribus rectis, incessu graviore, & quodam ceu dia-

diadematis & coronæ regiæ loco: aculeo vel caret, vel non utitur, quo reliquæ pro armis instructæ sunt. Nunquam solus extra alvearia progreditur, sed stipatu regio cinctus, reliquo insequente comitatu, nec nisi cum toti agmini incumbunt foris negotia, progressum illum multo fremitu & bombo tubarum tanquam cantu præsignificant & accedunt: quæque propius potest Regis lateri se agglomerat, omnesque illum volando defessum suo corpore sustinent. Quemcunque locum Rex insederit, illic statim castra metantur. Ubi mori illum contigerit, non jam foris pastum prodeunt, sed tristes cadaver ejus circumstant, extra alvearia deportant, tanquam funus prosequuntur & inhumant. Tandem funebribus omnibus exsequiis magnâ pompâ peractis, alium sibi Regem eligunt, quòd vivere sine Rege nequeant. Ad omnia attendit, oculos in omnem partem torquet, dum reliquæ operi incæpto intendunt: atque obvolitans omnibus animos addit & moras castigat. Tempus sibi ad progressum, pastus causâ, serenum & sudum eligunt, nam & præsagiendarum cæli tempestatum vim insitam habent. Hac sunt justitiâ & æquitate, ut nunquam, alicui animanti aculeo aut aliâ arte sint molestæ, nec unquam stimulum suum in quenquam exerant & acuant, nisi domicilii & alvearii tuendi causâ. Interdiu ad portas vigilum & custodiarum stationem disponunt: de nocte tamdiu, ab opere quiescunt, quoad una, cui id munus incumbit, uno aut altero bombo, tanquam tubæ clangore omnes excitaverit. Inde coëunt, exploratura cæli conditionem, quam si serenam fore præsagierint in campos & pabula prodeunt. Ergò aliæ florum fasciculos

cru-

cruribus, aliæ aquam ore, aliæ roscidum humorem corpore exceptum in alvearia comportant. His occurrunt aliæ, quæ onera excipiunt, & in sua loca statutasque sedes distribuunt, quæ in campos ad pastum dimittuntur, juniores sunt & graciliores. Itaque si tùm fortè suboriatur sævior aliquis ventus, tamdiu expectant, quoad subsederit, & vis ejus atque impetus remiserit. Quod si sæviat diutiùs illis adversus, lapillo se saburrant, & humiles supra terram volant, ne illius impetu huc illuc exagitatæ raptentur. Ad res omnes suas sunt attentissimæ, & desidum socordiam sæpè morte ulciscuntur: nonnullæ extruunt: aliæ extructa perpoliunt: aliæ commeatum important, miro autem artificio sibi architechnantur fornicata illa alvearia, eaque faciunt duabus januis pervia, unâ ad ingressum, altera ad egressum comparatâ. Conveniunt unà omnes, ne inæqualitas aut in cibis, aut in labore dissidii ansam adferat. Lauta & munda ut sint domicilia sua, curant, ignavos fucos, fruges consumere & lætos aliarum labores destruere natos, à præsepibus arcent, quæ aculeum amiserunt inutiles redduntur, quòd paulò pòst illis viscera effluant & moriantur. Dominis suis mirificos adferunt ceræ & mellis fructus. Gloriatur Aristomachus philosophus, se magna cura per 58. annos apes nutrivisse, ut illarum statum conditionemque omnem magis exploratam haberet.

Paræus lib. 1. op. chir. p. 44. & seq.

C.

Apium murmur unde?

Apes non spirant, nullum enim habent septum trans-

transverſum, quod eſt inſtrumentum motus ad ſpirandum. Αἴρονται καὶ συστέλλουσι: attollunt ſeſe & contrahunt: cum attollunt, dilatant alas, mox contrahunt. Itaque ſpiritus, id eſt, aër interceptus eliditur. Nec Ariſtoteles (*a*) voluit dicere, in eorum corporibus ſpiritum includi, ſed inter alas elidi. Itaque τῇ πλήσει id eſt, τοῖς πτεροῖς αἴρονται, tolluntur ipſæ alis, καὶ στέλλονται, non ipſæ ſolæ, ſed ipſæ cum alis. Quamquam facilè eſt intelligere unde ſit ſonus. Pueri cum eſſemus regulam lineam ſurreptam à Præceptoribus noſtris, aut coëmtam, appenſam funiculo circum agebamus, loco tubæ in belli ſimulachris, quæ ciebamus: inde ſonus edebatur mirus: ſic membranam ſi ventiles, ſonum edes: ſic aër ſectus à membranaceis muſcarum alis ſonat: à papilionum autem alis, non item: molliſſimæ enim ſunt: à crabronum alis grandior: duriores enim ſunt: à ſcarabeorum vaſtus, cruſtaceæ enim ſunt: à culicibus tenuis, acutus, anguſtæ enim ſunt. *(b)*

a) *Hiſtor. de anim. l. 4. text. 267.* b) *Scalig. in comment. ad d. l. exerc. 273.*



CEN-



CENTURIÆ X.

Particula I.

Imperitiæ Medicorum in medendo, pœna.

Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam committit; prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo hominis innoxium esse non debet. (*a*) Ex quo consequitur. Medicum hæc, quæ à nullo sollicito de verâ & genuinâ restitutione sanitatis, ignorantur aut ignorari debent, negligentem & contemnentem, si res malè cadat, suæ temeritati Reipublicæ nocentissimæ imputare, & proinde pænâ convenienti coërceri debere. Et quidem, si dolosè egisse compertum sit, gladio ultore feriendus, tanquam sicarius erit. Si verò per imperitiam mactaverit ægrotum, tenetur constitutionis Caroli V. Imperatoris, artic. 134. Der peinlichen Halß-gerichts Ordnung / cujus verba hæc sunt. Item / So ein Artzt auß unfleiß oder unlust / und doch unvorsetzlich jemand mit seiner Artzney tödtet: erfind sich dann durch die Gelehrten und verstendigen der Artzney / daß er die Artzney leichtfertiglich und verwegenlich mißbraucht / oder sich ungegründter / unzulässiger Artzney / die ihme nit gezimbt hat / unterstanden / und damit einem zum Todt ursach gegeben / der soll nach gestalt und gelegenheit der sachen / und nach Rath der verständigen gestrafft werden: und in disem fall / allermeist achtung gehabt werden / auff leichtfertige Leut / die sich der Artzney understehen /

flehen / und die mit keinem grund gelernet haben. *(b)* Hinc removendi & ad glacialem Oceanum relegandi sunt circumforanei, impostoresque illi, (Germani vocant Tyriackskrämer / Landstreicher oder Landbescheisser) qui vicatim, sine ullo discrimine (quia haberi debet ratio ætatis & complexionis, præterea non quolibet, sed certo & trutinato tempore Medicina propinanda est, in tempus præterea morbi cœpti diligentissimè inquirendum, idque diligenter contemplandum, quæ cum negligant hi impostores, fieri non potest, quin ipsorum medicamentum potiùs noceat, quàm prosit) sua indocta medicamenta distrahentes immensam copiam nummorum corradunt, (modô illicitô & minimè à Republica benè constituta, cui salus populi suprema lex est, approbando: unde diligenter hi pollinctores à Magistratu sunt observandi) & sic non loculis tantùm, sed & saluti hominum insidiantur. Quatuor autem concurrere debent, ut mors non imputetur Medico, 1. est, ut non excedat limites suæ professionis, quia culpa est, se immiscere rei ad se non pertinenti. 2. ut sit peritus in arte, quia imperitia culpæ annumeratur. 3. est, ut sit diligens circa curam infirmi. 4. ut edoceat ægrotum de his, quæ contraria sunt ægritudini suæ. Hoc ipso enim Medicus, quòd est Medicus, offert & obtrudit suam operam ægrotantibus, ergò diligentiam exactissimam debet. (*c*)

a) *Ulpian. in l. 6. §. 7. ff. de offic. præs. Justinian. in §. 7. instit. de leg. Aquil.* b) *Damhaud. in prax. rer. crimin. c. 77. num. 24. & 28. Gail. l. 2. obs. 111. num. 26. & seqq.* c) *Sattler. disp. de jur. & privil. Med. th. 22. dian. astrol. c. 6.*

II.

Historia Curarum Paracelsicarum.

Paracelsicus Medicus Epilepticus curari non vult. Quendam Paracelsicum Medicum miris modis sæpiùs excruciavit Epilepsia. Interrogatus, cur non uteretur suis illis certissimis & mirificis Medicinis, ex cranio humano, sanguine, chelidonia, vitriolo, auro & reliquis essentificatis, salsatis, Mercuriatis, sulphuratis &c. respondit, non quod olim Mahomet ille callidus, se non Epilepticum, sed Enthusiasticum esse, & rapi ad colloquia Deorum, ad montem veneris, vel antrum Patricii, &c. sed simpliciter, se nolle curari, sed suo oblectari malo, quod est incredibile, modo sanâ fuit mente & non instar illius, qui liberatus Melancholia ab amicis, pol me occidistis amici, non servastis, ait.

Bernh. Dessen. de cur. paracelſ. Libav. in anti-Graman. 1. p. 715.

III.

Podagra exasperata à Paracelso.

D. 25. Maij A. 1570. Cum Pragæ in cubiculo Cæsareo convenissent Medici, Videlicet D. Julius Alexandrinus, Ego, & Nicolaus Biessius, accessit nos Generosus Baro, D. Bertholdus à Leippa, Marschalcus Regni Bohem. Cæs. Maj. Consiliarius & Camerarius: ac, cùm de Medicis sermo esset, ajebat; Paracelsum, cùm primum de illo esset pervulgatum, posse ipsum curare podagricos, à Parente suo D. Joanne de Leippa, Marschalco Regni Bohem. magnis sumptibus ex Helvetiâ evocatum. Laboravisse autem D. Joan-

nem per intervalla: neque unquam diu lecto affixum fuisse. Hæsisse vero Paracelsum ferè per biennium Cromaviæ,& varia medicamina adhibuisse,ac parentem suum planè Arthriticum reddidisse, atque non multò post doloribus summis confectum vitam cum morte commutasse.

IV.

Paracelsus ex læso oculo cæcum facit.

D. Bertholdum etiam, cui leviter oculus affectus fuerat,ita curavisse, ut ne nunc quidem eo oculo videat.

V.

Paracelsus termina levia vertit in Epilepsiam lethalem.

Accersitum tunc ad Nobilem in primis Fæminam, conjugem D. Baronis Joannis à Zerotin, Filiam Generosi D. à Bernstain: quæ neque valdè ægrotavit, cum ventris tormina haberet, neque Epileptica unquam fuit. Huic verò cum Paracelsus quædam medicamenta dedisset, Epilepsiâ correptam & supra 20. paroxysmos passam, eodem die expiravisse.

Joan. Crato à Craffsheim ad Erast. Erast. disp. contra Parac. tom. 4. p. 159.

VI.

Alia historia Paracelsica curationis.

Cùm ante annos amplius 30. Theophrastus ille Paracelsus (quem multi nunc laudibus ad astra usque tollunt) in Austriam proficisceretur, à Patritio quodam Augustano ex familia Langenmantelorum, vocatus est, ut uxorem quæ aliquandiu afflictæ valetudinis

nis fuerat, curaret. Cui cum in speciem sanitatem restituisset (nam brevi admodum post tempore à vivis excessit) secundum Lycum adversus Augustam, descendens Landspergam Bojariæ oppidum, in quo medicinam ego tunc factitabam, pervenit. Habebam tunc fortè una in domo duas matronas nobiles ægrotantes, quarum altera hydrope, altera Phtisi laborabat. De Paracelsi adventu certior factus Ge. Raunser Chirurgus, statim Nobili D. Sebaldo à Pfeten indicat, Medicum præstantissimum appulisse, cui soli morbos gravissimos quosque curare datum esset. Cum adduci ad ægras Paracelsum mihi nunciatum fuisset, eodem ego quoque propero, non tàm ægrotantes visitandi causâ, quam ut vel experimentum, vel aliàs præclari aliquid ex eo discerem. Ingredienti mihi obviam fit Paracelsus Nobili comitatus, imperioseq; satis interrogat, num ipse sim ægrotantium fœminarum prænominatarum Medicus? & quibusnam morbis eas putem affligi. Ego me consuluisse eis respondi, ac morborum species nobili præsenti fideliter aperuisse, simulque quid de utraque sperarem exposuisse. Addidi, me nihil dubitare, quin & ipse (si quidem Medicus esset, atque arterias explorasset, urinas inspexisset, symptomata indiciaque cætera considerasset) utriusque morbum facilè deprehendisset. Ad quæ tùm conticuit, meque rogavit, ut unà cum chirurgo in hospitium concederem, quod & feci. Cum interea dum varios ibi sereremus inter nos sermones, tussire eum ex catarrho animadvertissem, ac virum Medicum affectus tales dedecere obiter dixissem, (quod Galen. ita Medicum *(a)* instituat, ut sese ab omni morbo, præterquam à Diaria

 fortè,

fortè, ad extremum usque vitæ præservare posset) sublato poculo, nisi hoc esset, vinum digito monstrans, respondit. Verbum ex eo latinum extorquere nullum potui. Postridie neque ægrotantibus, quas curandas susceperat, neque me, neque Nobile liberaliss. & præclarissimo viro salutatis Monacum abiit. Ibi ab Aulicis deductus ad virum nobilitate insignem, cognomento Monachum, qui tunc Ducis Bojariæ culinæ præfectus sive Magister erat. Illum tùm Ducis Medici D. Panthaleon, & D. Alexander Carthauserus, haud infeliciter decocto ligni curabant, ut manifestè jam inclinaret morbus. At his dimissis tota curatio Theophrasto commendatur. Eo in curam recepto mox unguento ex hydrargyro (quod ei Joan. Vogt, Scholæ Paracelsicæ discipulus, Augustæ tunc habitans, mihi optimè notus, concinnaverat) persanare tentabat. Verùm Paracelsus, cum ægrotum morti jam proximum videret, pridie quàm moreretur Monaco clàm summo mane profugiens, in Austriam descendit, atque ita convalescentem, aut ex dimidio curatum culinæ præfectum illum interfecit impurus carnifex. *(b)*

a) *lib. de tuend. valet.* b) *D. Marcus Recklauus in Epist. ad Erast. Erast. l. 3. antipar. p. 212. & seq.*

VII.

Paracelsi jactantia.

Theophrastus Paracelsus, cum vulgò in Medicorum scholis, tùm temporis ferè silentium esset de Chymia, & multa in præparatione Pharmacorum meliùs fieri posse animadverteret, ad reformandam Medicinam animum adjecit. Verùm quam reformare voluit,

luit, penè cum aliis omnibus scientiis evertit. Primò enim, ut Thessalus ille, se ἰατρονίκην nominavit: ita hic, ad se pervenisse Monarchiam omnium artium, in præfat. lib. de tinct. physic. scribere ausus est, se arcanorum Monarcham, quem omnes, qui philosophiæ naturalis cognitionem appetant, Itali, Galli, Poloni, Germani, Philosophi, Spagyri, Astronomi, ut Ducem sequi necesse habeant, ejusdem lib. c. 1. & 4. haberi voluit: & in præfat. Paragra, Avicennam, Galenum, Rhasen, Montagnanam, Mesuen, Parisienses, Monspelienses, Suevos, Misnios, Colonienses, Viennenses, & quotquot Danubium & Rhenum accolunt, Insulas Maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Israëlitas, se Monarcham Sapientiæ constitutum sequi jubet. In præf. l. 1. de peste, quem Nördlingæ scripsit, libros suos, libris quatuor mille Annorum spacio scriptis præfert.

VIII.

Paracelsi in Galenicos convitia, ejusque modestia.

Contra passim Galenum, Avicennam omnesque Academicos & Medicinæ Doctores, acerbissimis convitiis prosequitur, & de pestil. tract. 2. Parisienses, Patavinos, Monspelienses, Salernitanos, Viennenses, Lipsienses, non Professores veritatis, sed confessores mendaciorum, mendaces, non Doctores esse scribit. Qualia convicia in Medicos plurima passim in scriptis suis evomuit: quæ omnia hic recensere non libet. Quia tamen insigne modestiæ specimen edidit loco modo allegato, in præf. paragr. p. 199. integrum

grum eum transcribere placet: Ihr müsset mir nach/ ich nicht euch nach/ ihr mir nach/ mir nach/ Avicenna, Galene, Rhasis, Montagnana, Mesue, &c. Mir nach/ und ich nicht euch nach/ Ihr von Paris, ihr von Mompelier/ ihr von Schwaben/ ihr von Meissen/ ihr von Cölln/ ihr von Wien/ und was an der Donaw und Rheinstrom ligt/ ihr Insuln im Meer/ du Italia/ du Dalmatia/ du Athenis/ du Griech/ du Arabs/ du Israelita, Mir nach/ und ich nicht euch nach: ewer wird keiner im hindersten Winckel bleiben/ an den nicht die Hunde 2c. werden. Ich werde Monarcha/ und mein wird die Monarchey seyn/ und ich führe die Monarchey/ und gürte ewre Lenden/ wie gefält euch Cacophrastus, disen .... müst ihr essen. Wie wird es euch Cornuten anstehn/ so ewer Cacophrastus ein Fürst der Monarchey seyn wird? und ihr Calefactores werdet und Schlotfeger? wie dünckt euch/ so secta Theophrasti triumphieren wird? und ihr werdet in meine Philosophi müssen/ und ewern Plinium Caco-Plinium heissen/ und ich werde sie/ ewern Porphyrium, Albertum &c. in meinem .... wischen/ mit sambt ewer Gevatterschafft/ das wird mir zu wegen bringen die vis mineralis und generatio mineralium, und was zwischen den zweyen polis ligt/ wird mein Harnisch sein/ ewer Astronomy/ und Laßtaffelkunst in Pilati-See zuwerffen/ und die Alchimey/ muß mir ewern Æsculapium, ewern Avicennam, ewern Galenum &c. Vnd ewere Scribenten alle in ein Alkali versieden/ und in Reverber, biß in die hindersten feces verbrennen/ und seüberer müßt ihr noch gereiniget werden/ dann das Gold durchs Fewr/ ihr müßt durch das Spießglaß/ da will ich sehen/ wie ihr und ewer König gehn Boden setzen/ und über den

Tuff-

Tufftstein will ich euch pallieren lassen: und die Tugendt/ als die vierdte Saül wird auß euch ein groß Spectacul machen/ deñ die Juristen über keinen Malefactorem erdacht haben/ &c. Et ut omne odium suum erga antiquam Medicinam declararet, & asseclarum suorum in Medicos alios odium accenderet, nec Luthero inferior videretur, Canonicum Avicennæ volumen contemptim exussit, ut refert Jac. Curio Hofemianus, in Hermotimo.

Plura de Paracelf. genere, vita, Praeceptoribus, conviviis, blasphemiis &c. Vide Sennert. de Chym. cum Arist. & Gal. cons. & diss. c 4. Döring. de Med. & Med. l. 1. sect. 5. class. 2. c. 5.

IX.

Imperatoris D. Ferdinandi de Paracelso judicium.

Imperator D. Ferdinandus, quem à maledicentia & falsitate alienissimum fuisse sciunt omnes boni, Paracelsum mendacissimum & impudentissimum impostorem, qui cum doctis hominibus nunquam conversari voluerit, nominavit. Imperator bis illum accersivit, & cum responderet, se non velle cum Doctoribus colloqui, Doctores sibi posse reservare sua, se non cupere eos docere, nec ab iis discere, nunquam deinceps voluit ad se admittere. Hæc non solùm ego, verùm etiam D. Julius Alexandrinus sæpè audivit. Audivi etiam ab iis, quibus in Pannonia & Austriâ notus fuit, perpaucos & ferè nullos curasse.

Crato in ep. ad Erastum. Erast. tom. 4. anti. Parac. p. 160.

X.

Quidam sumpto medicamento Chymico paulò post expiravit.

Vicini montes nivibus prægnantes, monstrum aut potiùs carnificem pepererunt, qui præpotentem & crudelissimũ illum hostem humani generis, Arthritidem videlicet, domare, aliaque mira se præstare posse, impudentissimè jactare ausus est. Inter monticolas & rusticolas tympanistam & tibicinem hactenus egit, & etiamnum agit, sed postquam à Vulcano edoctus fuit, ut ipsius industria ex margaritis & lapidibus preciosis, ut ille asserit, medicamenta preciosissima præparare possit, Bernam quoque venit, ubi imperitiæ & temeritatis suæ specimen singulare & lamentabile edidit, hoc modo. D. Joan. Franciscus Rex, Pharmacopola, optimus & probus Senex, cùm per dies alioquot dolore chiragrico laborasset, malitiosus ille Agyrta (qui antea aliquoties medicamenta in ipsius officina emerat) ad ipsum se confert, & ut horum impostorum mos est, futilia sua & vana ad cælum usque extollit. Probus ille vir, vanis istis persuasionibus aut potius diabolicis incantationibus hujus nebulonis commotus, 1. die febr. A. 1620. circa 7. matutinam, potiunculam, quam ex margaritis aliisque lapidibus preciosis, ô nefandum scelus! arte vulcaniâ præparatis, conflatam esse ajebat, ab imperitissimo isto nebulone sumit. Quid fit? sumtâ potione, protinus vires totius corporis diminuuntur, & paulò pòst ita deficiunt, ut intra horas circiter 3. postquam pituitæ nonnihil evomuisset, visum, auditum,

lo-

loquelam, motum item & sensum amiserit, & sequenti die, cum ipsum inviserem, punctiones acicularum non senserit, atque in hoc vitæ statu placidè obdormivit, cùm post sumtam potiunculam vix 40. horas vixisset.

G. Fabric. obs. l. 5. obs. 37.

XI.

Mercurius vitæ, evadit Mercurius mortis.

Matronam Solodurensem asthmaticam & decrepitam, cum Mercurium vitæ ab Empirico sumsisset, eadem die extinctam fuisse, à viris fide dignis Soloduri mihi sæpius relatum est.

Id. cent. 3. obs. p. 548.

XII.

Magisterium Perlarum corrodit ventriculum.

D. Woyselius senior mihi narravit, Episcopum Uratislaviensem, Casparum Logum, Magisterium Perlarum, persuasum à fratre, sæpè porrectum à Paracelsista quodam bibisse, atque demortuo tunicas ventriculi nigras & corruptas apparuisse. Eodem eventu usam esse Marchionis Joannis Conjugem, in quâ ventriculi tunicæ planè fuerint erosæ. Rarum certè ullum vitrum, in quo asservatur tàm est firmum, quin erodat, & in cinerem convertat. Longum esset omnia ista persequi, quæ impertissimè de gemmarum atque auri dissolutione dicuntur.

Crato in Ep. à Scholtzio ed. ad Monav. 163.

XIII.

A medicamento Chymico & Medicus & Ægrotus extincti.

Ante Annos 20. Medicus quidam Tononæ in Sabaudia ad lacum Lemannum medicinam faciens, cum calculoso cuidam medicamentum chymicum ad calculum conterendum & expellendum exhibere vellet, æger verò, à Medicamentis Chymicis omninò alienus, id recusaret, postridiè in duplâ quantitate id adfert Medicus; & ut æger majori cum fiducia eo uteretur medicamento, partem unam ipsemet Medicus sumsit, alteram ægro suo obtulit. Ambo cum hausissent, simul etiam intra paucos dies vitam cum morte commutarunt.

XIV.

Quidam ex Antimonii usu Herniam ventriculi contraxit.

Trutinarius quidam, Coloniæ Agrippinæ, cum ante Annos 17. potiunculam ex Antimonio ab Empirico, & rerum Medicarum imperitissimo homine paratam sumsisset, tàm vehementer & impetuosè agitatus & commotus ipsius fuit ventriculus, ut herniam ventriculi indè contraxerit, qua etiam nunc non sine maxima molestia laborat, ut ego, cum ipsum aliquando inviserem, ipsemet vidi. Quotiescunque enim corpus inflectit, ventriculus non sine molestia, veluti in saccum excidit.

XV.

Antimonii usu quidam extinctus.

Ante annos 14. D. Eleasar Perialdus, in Schola Lau-

Lausannensi Philosoph. Professor, cum sibimet præter Consilium D. Alberti Roscii, Medici celeberrimi, simul & mei ipsius bolum ex Antimonio (quod paulò antè se Lutetiâ attulisse, ibidemque à D. Quercetano paratum fuisse, ajebat) parasset, & sumsisset, parum abfuit, quin eadem die, animam unà cum excrementis evomeret: tàm vehemens & impetuosa, per superiora simul & inferiora sequuta est operatio, quæ per totam diem duravit. Sequenti nocte doloribus maximis brachiorum & crurum simul & convulsionibus (propter evacuationem maximam & siccitatem nervosarum partium) lipothymia & virium prostratione (propter defectum spirituum vitalium & humidi radicalis) correptus fuit. Ego cum prædicto Medico circa horam 2. noctis accersitus cum essem, protinus seq. potiunculam exhibuimus. Rec. Confect. Alkerm. drachm. sem. Theriac. opt. scrup. un. C. Cervi ust. & præp. scr. sem. aq. Cinam. Unc. un. bugloss. unc. c. 2. misc. f. potio. Juscula caponum & carnis vervecinæ, nec non alia, quæ partes nobiles corroborant & humidum radicale, spiritusque vitales instaurant, præscripsimus. Brachia, crura simul & spinam dorsi. seq. linimento calidè inunximus. Rec. ol. amigd. d. lil. alb. viol. ana. unc. un. ol. lumbr. vulp. pingued. hum. & urs. ana. Unc. 2. misce. Hôc linimento de hora in horam, prædictis partibus inunctis, remiserunt quidem dolores, nihilominus tamen intra paucos dies animam Deo piè placidèque reddidit; Tum quia humidum radicale, violentiâ medicamenti ita absumtum & evacuatum erat, ut refici non posset, tùm etiam quia propter violentam attractionem medicamenti, à circumferen-

tia

tia ad centrum inflammatio in Epate oborta fuerat.

Fabric. cent. 3. obs. p. 551. 550. 548.

XVI.

A poto Antimonio auditus deperditus.

Biennium est, cum nobilis quædam Matrona Bernensis, adhuc juvenis & optimo corporis habitu prædita, de dolore aliquo gravativo ventriculi, ex cruditatibus orto conquereretur, & ob id Medicum in consilium vocasset, protinus ipsi potiunculam pro tribus dosibus, in crepusculo matutino sumendis præparavit. Cùm primum haustum sumsisset, sequutus est vomitus maximus & frequens. Sequenti die secundum haustum tàm violentæ & frequentes sequutæ sunt vomitiones, ut parùm abfuerit, quin vitam cum morte commutaret. Circa vesperam cessantibus vomitionibus paulatim restituta fuit & evasit: tertium enim haustum, qui procul dubio ipsam jugulasset, non sumpsit. Intervomendum autem, quòd notandum, cùm tinnitus dolorosus aurium supervenisset, auditum amisit. Medicus nonnulla auribus instillavit, quorum beneficio auditum sinistræ auris recuperavit: auditus verò dextræ, ex quo antea quoque laboraverat, feliciter tamen restituta fuerat, hactenus restitui non potuit. Arbitror enim in ipsis violentissimis vomitionibus membranam tympani, præcipuum instrumentum auditus, disruptam dilaceratamque fuisse. Si enim surditas, ut in vehementiss. vomitionibus fieri consuevit, ex viscido aliquo humore, circa prædictam membranam collecto procederet, maximus procul dubio adesset tinnitus.

nitus. At hîc ferè nullus. Vomitorium autem nihil aliud, quam vinum infusionis vitri Antimonii fuisse, indicat gustus ipse. Nihil aliud enim, quàm vinum purum se bibere putabat ægra. Sœvissimus deinde vomitus, uti & lipothymiæ, aliaque symptomata, quæ supervenerunt, id testantur.

XVII.

Mentis alienatio post sumtum Antimonium.

A. 1619. Empiricus quidam idiota & temerarius, hîc in vicinia Medicinam, aut potius nequitiam suam exercens, Matronam quandam Solodurensem de dolore capitis conquerentem, vomitorio suo, sibi in omnibus ægris familiari, ad cymbam ferè charontis deduxit. Evasit enim quidem, sed facta est planè fatua. Lectum non egrediebatur: nec loquebatur, nisi interrogata, cibum & potum nunquam petebat: esurienti tamen si offerebatur, cum voluptate comedebat, sin minus, renuebat. In excretione excrementorum eundem observabat ordinem. Noctu erat quieta, interdiu similiter, præterquam quod continuò strophiolum aut linteum aliquod complicaret, & explicaret denuo, repetitis vicibus: festucas item & floccos ex culcitris extraheret & colligeret. Sed admiratione dignum est, adeò obtusi fuisse sensûs, ut propter acrimoniam excrementorum & decubitum in dorsum, nec non negligentiam astantium factum esset ulcus ingens & putridum, circa os sacrum, & coccigem, ad spinam usque, ipsam tamen nunquam de dolore conquestam fuisse. Mansit in hoc statu vitæ, per menses aliquot, maximâ tandem adhibitâ dili-

gen-

gentia, à D. D. Scharandæo convaluit, & aliquandiu supervixit, & integra quidem mente.

Idem cent. 5. obs. 12.

XVIII.

Antimonii ad purgationes pernecina vis.

Scio multos usu solo Antimonii præparati granorum 4. & in substantia & infusione alicujus liquoris, sursum ac deorsum gravissimè fuisse purgatos & in morbos longos incidisse, à quibus nunquam extricari potuerunt. Novi Medicum in Republica nostra alieno, quàm suo periculo cautiorem, simplici confidentia hoc medicaminis in se experiri volentem, eo insalubritatis adactum, ut nunquam pristinum vigorem ac corporis robur recollegerit, sed ad extremam penè animam Antimonium detestatus sit. Novi febrientes, novi Phtisicos, arthriticos, calculosos, leprosa scabie ac cutis vitiis affectos, ejusmodi centaurica medicatione, aut verius mordicatione vomitiones vehementissimas, colicos dolores, diarrhæas, convulsiones, cardiacas syncopas frequentes, in summa, præmaturas mortes inductas fuisse. Atq; hæc omnia, quanto promiscuè confuseque, citra rationem Physicam, methodum citra demonstrationes arte inventam, imò cum pudenda execrabilique Philargyria, sub prætextu justæ mercedis, proximorumq; calamitate agitantur.

B. Dessen. in defens. med. vet. contra Paracels. c. 40.

XIX.

Alia historia de iis, qui Stibium sumserunt.

Referebat mihi nuper Illustrissimi Principis, Elector. & Palat. Rheni D. Oth. Henrici, & D. Friderici Medi-

Medicus experientissimus D. Marcus Reecklaw/ se ex nobili fæmina, cui fuisset exhibitum, audivisse, visam ei esse animam de corpore exiisse, tandem perrupisse medicamentum & alvum turbavisse.

2. Affirmavit mihi Marchionis Badensis Philiberti Medicus, se aliquot novisse, quibus ex ejus usu venæ in pectore aut pulmonibus ruptæ sunt: quique Phthisici perierunt.

3. Pharmacopæi etiam nostri famulus, ut se à peste præservaret, sumsit ipse grana, opinor, quinque. Paulò post erumpente ex ore ac naribus sanguine, sensu & mente amissis tertio die animam efflavit. Hujus generis historias recensere plurimas possem, si res posceret. *(a)* Imò, si nos Medicorum passim experientiam vellemus coacervare, in justum volumen excresceret Oratio. Audires hunc periisse nigris globulis ex mercurio, & animam excacasse; illum per turbidum minerale, alios per margaritarum & Coraliorum essentias, alios per spiritum vitrioli, quem vidi digitos cuidam prærosisse &c. & ita in aliis. *(b)*

a) *Erast. de propriet. med. c. 65.* b) *Libav. antigram. 1. p. 719. Cratol. 3. cons. 13. lib. 4. epist. p. 406. lib. 3. p. 434. & ult. Andern. de vet. & nov. Med. tom. 2. dial. 7. Fe-tsn. de abus. Medic. Schenck. l. 7. obs. 219. Paraus l. 23. c. 41.*

XX.

Infelix successus Croci metallorum.

Fuit aliquandiu nobiscum Chymiater quidam, homo alioquin non indoctus, sed purus putus Paracelsista. Is rebus suis fortè desperatis, aut ad rem us-

que perductis, ſpe majoris lucri, Francofurtum ſe contulit, ibique brevi poſt vitæ & praxeos finem fecit. Habuerat ille puerum pro famulo, quem poſtea diſcedens, hîc reliquit. Famulus verò ab hero ſuo (neſcio quo titulo) fortè fortuna acceperat pixidulam Croco metallorum plenam, quemque contra omnes, etiam deploratiſſimos affectus egregiè prædicare didicerat. Quid fit? mulier quædam ipſius vicina conqueritur de filiola graviter decumbente, & ſuſpicionem lumbricorum verita, doſin iſtius pulviſculi tantopere cõmendati à vicino ſibi erogari petit. Illa impetrat ſatis magnã quantitatem pulveris, tantamq; eã ægrotanti filiolæ quinqueñi exhibet: à cujus aſſumptione paulò poſt graviſſima oriuntur ſymptomata, vomitus & dejectiones alvi enormes, concuſſiones vehementes totius corporis, inſultus aliquot Epileptici & dolores in toto corpore acerbiſſimi. Parentes miſerrimo hoc ſpectaculo perterriti, & commoti D. Jerem. Moltherum Medicum accerſi curant, ſed priusquam adventaret, mortem oppetiit infelix iſta puella. Cadaver ipſius de conſilio Medici & aliorum fuit inciſum & ſequentia notatu digniſſima in eo deprehenſa. Aqua citrina ore & naribus effluxerat copioſiſſima. Omentum viſceribus exemptis fuerat à parte inferiori diſruptum. Hepar cæruleum & nonnihil induratum, quaſi in aquâ ferventiſſima fuiſſet maceratum. Pulmo in dextra parte flaveſcens, veſica fellis præter modum tumida, exuberans & repleta ſanguine aterrimo. Cor in ſiniſtra parte flaccidum, exangue. Ventriculus ad ovi magnitudinem, in quo repertus adhuc fuit iſte pulvis ſeu crocus,

cus, à quo etiam inteſtina fuerunt tincta & infecta.

G Faber. in ep. ad Guilh. Fabric. obſerv. Fabric. l. 4. obſ. 79.

XXI.

Omne nimium Natura bellum indixit.

Omne nimium naturæ inimicum eſt, *(a)* deſtruit enim Elementorum τὴν συμμετρίαν, in qua ſanitas conſiſtit, & in qua omnis animalis ſubſtantia, Naturaque propria conſervatur. Affatim itaque corpus quovis modo mutare, periculoſum eſt, talis ſiquidem repentinus motus nimius eſt, adeoque Naturæ adverſus & inimicus. (*b*) Si quis enim coactus 3. aut 4. dies jejunarit & derepente comedat, moritur ſtatim: quia ſubitam hanc mutationem Natura non ſuſtinet. *(c)* Sic qui diutius in carcere tenebricoſo detenti fuerunt, occæcantur, *(d)* ſi protinus lucidum aërem intueantur: ſi quis à vehementiſſimo frigore ſtatim ad ignem luculentum accedat, animam protinus efflat: nam per frigus & imminuitur & intrò ſe colligit calor nativus, qui mox ſe ad vicinum ignem explicans, diffunditur atque evaneſcit, ut qui ſit exiguus & languidus, *(e)* Sic nimiis ſtudiorum laboribus defeſſa ingenia corruunt, pondere moleſtiarum oppreſſa. Plantæ ſanè modicis rigatæ aquis ſurgunt, at multis tabeſcunt: ita animus mediocri vegetatur labore, nimio opprimitur. Reſpirent ergò à valido labore: nam vita eſt labor & remiſſio. Somnum & vigiliam dedit Deus, hyemem & æſtatem, faſtos & nefaſtos dies; tu etiam arcum remitte, ut habeas, quem tendere poſſis. Cùm animum ſtudiis fatigari ſen-

ſentis, ad corporis gratum exercitium te vertes, nam ut ait Iſocrates: πλησμονὴ ἁπάντων. Ita inſtar Organi Muſici, dum intenſione & remiſſione ſibi concinna redduntur ſtudia, ſuaviora evadunt. Pythagoras dicebat, cor non manducabis, hoc eſt, nimiis ſtudiorũ curis id non exedes. Nec ergò animus anxio ſtudio corpus, nec corpus animum nimio labore fatiget: ſed gratâ viciſſitudine alterũ alterius laborem excipiat. Scripſit Hippocrates, ab exercitio fatigationem, alterius generis exercitio recreari; nam, ut ait Plutarchus, ἡ ποικιλία τερπνόν, id eſt, varietas omnis grata eſt. Ut enim cultrum uno latere, ſi perpetuo acuas, hebeſcit, ita ingenium uni ſemper rei inhians torpeſcit. Attamen hæc ingeniorum laxamenta non tales illecebras aſpergant, ut quaſi Sirenibus, ex nave evocati, Ulyſſem, hoc eſt, animum ejusque ſtudium negligamus, ſint itaque cuncta moderata, πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Præclarè olim ad hanc ſententiam Alphæus Mytilenæus: τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει: nihil nimis nimis mihi placet; & eleganter Phocylides: πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίη δ' ἀλεεινή: Modus omniũ optimus, exceſſus autem vitandus eſt. *(f)*

a) *Hippocr. l. 2. aph. 51.* b) *Viſcer. Galen. Fuchſ. in com. ad alleg. aphor. Emmanuel. Stupan. p. 463.* c) *Holler. in comm.* d) *vid. centur. 7. noſt. memorab. part. 25.* e) *Viſcer. l. c.* f) *Heurn. de mod ſtud. medic. c. 8. in com. aphor. cit.*

XXII.

Quando maximè ſtudiis indulgendum?

Philoſtratus prodidit, *(a)* Apollonium dicere ſolere diſcipulis, oportere eum, qui rectè philoſophatur,

tur, veniente aurorâ, cum Diis versari: procedente autem die, de Diis loqui: reliquum verò tempus humanis rebus & sermonibus impendere. Dea quædam apud Virgil. ita dormientem compellat Æneam:

Surge, age, nate Dea, primisq; cadentibus astris
Junoni fer ritè preces -- -- *(b)*

Etenim,

Tunc vigor intus agit major, tunc pectora cœlo
ingeniis primâ luce favente calent.
Inde fluunt sacri latices, studioq; perennes
fons matutino fundit apertus aquas. (c)

Hinc Pegasum fabulantur reclusisse Musarum fontem, quod, id cum oritur sidus, socio sole (hoc fit in Aprili & Majo) matutinis horis, aptissimè tractentur studia & pleno fonte, quod tunc se effundant ingenii vires. Et nos in Auroræ horis, sacra faciemus Musis: nam hæ Musis sunt sacræ, etenim divina illa nostræ mentis aura, spiritusque Palladii, (hoc est cerebri) cuncti, ab omni fœdo vaporum incursu, his horis sunt liberrimi, nec ullo madore polluuntur. Commodæ sunt & horæ ante cœnam, Italis admodum ad studia expetitæ, jam soluto ab officio stomacho. Et summa cautio adsit, ne studium ineatur, dum in ciborum mitigatione stomachus fatigetur: expirat enim ita in mentem vapor, qui illam caligine obnubilat, quem sæpè bibens mens, hebetata, splendorem pristinum exuit, indeque ingenia tandem in stuporem flaccescunt. *(d)*

a) *de vita Apollon. Thyanai. l. 8. c. 3.* b) *l. 8. Æneid.* c) *Lorich. l. 2. Carm. p. 171.* d) *Heurn. de modo stud. med.* *c. 8.*

c. 8. Lang. l. 1. Epiſt. 55. Macrob. l. 7. Saturn. c. 4. & 5. Cent. 2. noſt. mem. part. 11.

XXIII.

Conſuetudinis quanta vis.

Conſuetudo eſt vis quædam uſu aſcititia, quâ eadem pati aut agere inoffenſa naturæ œconomia licet. Non temerè hæc vis eſt mutanda; quòd natura aſſuetis gaudeat. Elucet id in alvinâ Oeconomia: qui enim duris cibis aſſuevêre, hos facilè ſuperant. Cauſa ejus rei hæc eſt. Quia id quod coquit æquè alteratur, ac id, quod coquitur: quare aſſueta facilè coquuntur, nam naturam non afficiunt, ſed faciunt, ut ea ſuo ſtatu conſervetur, familiaritate ſubſtantiæ & occurrentis qualitatis. Nam longa die inita his eſt familiaritas quædam & ſimilitudo. Et ſimilia facilè ſe alterant & mutant. Quanta vis ſit conſuetudinis, probat Galen. *(a)* exemplo Arrii Peripatetici, qui, cum gracilis naturâ eſſet, & os ventriculi ejus ex frigore langueret, ita ut vel ex leviſſima refrigeratione, ſingultum incurreret, & ob id nunquam auſus fuiſſet aquam guſtare, tandem febri occupatus, atque à Medicis coactus frigidâ uti, (quamvis alii, niſi hæc propinetur, extinguantur) ſubitò fuit exanimatus. Magna profectò conſuetudinis vis. Quibusdam tanta clyſmatum conſuetudo eſt, ut in eorum inediâ alvus ſui immemor ſtupeſcat, nec cedit aliis remediis. Hoc Duci Albano evenit, cui, (ut nobis retulêre ejus Medici) ſine enemate non reſpondebat alvus: nam ſui quaſi oblita natura, totam ſe Medicinæ familiari concrediderat. *(b)*

a) *l. 1.*

a) *l. 1. de alim. & libr. de consuet.* b) *Heurn. in explic. aph. 50. l. 2. l. 3. M. M. c. 19. & l. 7. instit. med. c. 3.*

XXIV.

Consuetudo Tyrannus.

Magnus naturæ Tyrannus est consuetudo, quæ sensim irrepens, tota gubernacula hujus Oeconomiæ sibi tandem adscribit, nec irato cedens genio: cujus leges non solùm evertere, sed & abrogare interdum videtur, ut non temerè Cretenses olim, se abundè diris devovisse existimârunt illum, cui delicias pravæ consuetudinis imprecarentur. Ita modesto voti genere, efficacissimum ultionis eventum reperiebant. Grave profectò assuetudinis pondus: Mithridates venena assuetudine vorabat, adeo ut captus à Pompejo Magno, in carceribus, veneno se interimere non potuerit. Puella, inquit Albertus, araneis victitabat. Quod nec ratio, nec Philosophia persuadere possunt, his par est consuetudo. Darius, cum intellexisset, Indis familiare esse, vita defunctos parentes, solenni quodam ritu vorari, quòd putarent ad pietatem pertinere, viscera, ex quibus prodierant, iterum (mutuo officio) suis visceribus condi: conversus ad præsentes quosdam Græcos, rogat, quanti emere velint hanc consuetudinem Indorum? respondebant, longe illam immanitatem à suis abesse, nulloque precio eò abduci posse: mox conversus ad Indos, persuadere voluit, ut Græcorum more, rogo parentes mortuos cremarent. Ad quam vocem, mirum, quæ trepidatio & impietatis execratio apud hos enata fuerit. Cùm itaque nec ratio nec Philosophia frenare consuetudinis vim potest, non mirum, ejus

habenis humanum corpus trahi. Propterea ſcripſit Hippocrates,*(a)* cottidianis laboribus aſſueti, etiamſi invalidi ſint, aut ſenes, inſuetis, quamvis robuſtis juvenibus faciliùs conſuetos labores ferunt. *(b)* Cauſa verò facilis tolerantiæ, quæ à conſuetudine laborum naſcitur, duplex eſt, quia robur partis exercitatæ auctius redditur, propter duritiē ac ſoliditatem articulorum, tendinum atque ligamentorum, quam ex attritu mutuo per exercitia accipiunt: plus etiam caloris & ſpiritus, qui motu fit excitatior, ad eam partem transmittitur: facilior quoq; fit extenſio fibrarum in muſculis, quia promtiùs ad eam figuram, quam ſæpè acceperunt, trahuntur, idque ſine dolore, ideò Celſus ait: ignavia corpus hebetat, labor firmat. *(c)* Quin etiam, quæ jam pridem ſunt aſſueta, minus gravare conſueverunt, quamvis pejora ſint iis, quæ familiaria non ſunt: quare ad conſueta iterum facienda mutatio. Ita habent antiqua Exemplaria *καὶ ἐς τὰ συνήθεα μεταβάλλειν*: non autem *ἀσυνήθεα*, ut vulgati textus legunt. *(d)* Dionyſius tyrannus obſidione oppidana preſſus, cùm à ſibi aſſueto potu aliquantulum abſtinuiſſet, extemplo tabeſcere cæpit. *(e)* Narratum eſt nobis exemplũ cujusdam barbitonſoris Lipſienſis, ni fallimur, cui conſuetus potus in prandio cænave erat, ſeptem cantharorũ Lipſienſium. Huic in febrim illapſo minuere Medici pocula volebant, & unciatim inſtillare ſat tenuem cereviſiam. Sed ille vix detrahi partem tertiam ſibi paſſus eſt. *(f)* Non aſſuetis Pharmacia & Phlebotomia gravis eſt. *(g)* Quantum autem robur ſit aſſuetudinis, eleganter narrat Theophraſtus: Thraſias, inquit, manipulos totos ellebori eſitabat. Et

Eu-

Eudemus Chius unâ die, in foro ſedens, 22. ellebori potiones accepit, nec tamen à ſuis vaſis ſurrexit: tùm vero abiit lotum atq; cœnatum, uti conſueverat, nec evomuit: Ita paraverat ſe longa aſſuetudine, paulatim creſcente elleborimole. *(h)* Hiſtoria quoq; percecelebris Atticæ anus, cicutâ absq; detrimento veſcentis, docet, quod quis & venenis aſſuefieri poſſit. *(i)*

a. d) *aphor. l. 2. aph. 49. & 50.* b. e. g) *Heurn. l. 3. M. c. 19. Plin. l. 25. c. 2. Sebiz. in diſc. de ſerpente L. iij.* a. *Galen. l. 1. de antid. c. 1. Ariſt. l. 1. Rhet. c. 11.* c. i) *Galen. l. 3. simplic. c. 18. Viſcer. in tom. cit. aphor. Lang. l. 1. epiſt. 69. Scholtz. epiſt. medic. 248. edit. poſt. Gogl. de pror. vit. p. 66.* f) *Libav. de cruent. cad. p. 217.* h) *l. 9. de plant. c. 18. Neander, in ſyntagm. de Medic. orig. p. 62. Sebiz. de acidul. diſſ. 9. ſect. 2. coroll. 3. poſit. 13.*

XXV.

Cur facies frigus meliùs, quàm reliqua membra ferat.

Miramur in quibusdam regionibus homines, vel omninò, aut ex parte nudos vagari, nec frigus curare, aut eô offendi, præſertim in locis frigidioribus, ut Hyberniâ, ubi quoque brachiis & pedibus nudis, per abſtruſa illius loca incolæ incedunt; & licet in Americâ cælum temperatius ſit, ſine dubio tamen, aliquando etiam, noctu præſertim, gelidum, ut etiam apud nos, in ipſis canicularibus fit, ita ut Conſuetudo hîc quoque multum poſſit; Quæ facit, ut facies noſtra detecta, quæ non minùs rara, mollis, ac reliquum corpus & ſenſilis, frigora tamen perferre poſſit.

Plater. quaſt. phyſiol. parad. 5.

XXVI.

Proditor consuetam actionem repetit imprudens.

Nostratibus hominibus sæpè inter pocula redeunt consuetæ furiæ. Succurrit lepida quædam historiola, ejus qui deferre alios assuetus, inter pocula connivens, seipsum ut sorex prodidit. Alunt Respublicæ quædam delatores, quos vocant consiliarios secretos. Ex horum numero unus, cum bene potus ad mensam dormitaret, tanquam coram Magistratu, incepit nominare socios, in eadem mensa compotantes, & crimina deferre. Et licet admoneretur, ut si prodere vellet, suo loco id faceret, tamē abstinere non potuit, donec cum sella in pavimento prostratus evigilavit. Tanta vis est assuefactionis, ut etiam insciis invitisq; redeant commotiones.

XXVII.

Consuetudinis vis mira, etiam in Animalibus.

Consuetudo est natura quædam, ut & mansuefactio bestiarum, quibus videmus recurrere sua sponte motum consuetum, ut isti Sturno, qui assueverat pronunciare hæc verba; Cave tibi à consortio pravo: quæ ipse, cum evasisset caveam, & inter alios ruri captus fuisset, venatori occinit more solito. Idem de Corvo sutoris legimus. Cum ex Actiacâ victoriâ reverteretur Augustus, occurrit ei inter gratulantes quidam, corvum tenens, quem instituerat proferre hæc verba: Ave Cæsar, victor Imperator. Miratus Cæ-

Cæsar tàm officiosam avem viginti millibus eam emit (hoc est, quingentis aureis solatis, Rob. Cenalis) multasque præterea similes comparavit. Quo exemplo motus pauper sutor, instituere ipse quoque aggressus est Corvum, ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad avem non respondentem dicere solebat, opera & impensa periit. Cœpit tamen aliquando Corvus optatam salutationem exprimere, ac fortè auditâ, dum transiret Augustus, respondissetque, satis talium salutatorum habeo domi, superfuit Corvo memoria, ut & illa, quibus dominum querentem solêbat audire, verba subjungeret, opera & impensa periit. Ad quod subridens Cæsar, emi avem jussit, quanti nullam aliam emerat: nempe redeunte ad motum solitum linguâ, cum neutiquam intelligeret censuram aut verba Augusti.

Libav. περὶ αἱματοδείξ. p. 333. & seqq. Macrob. l. 1. Saturn. c. 4. Gessner. de avibus p. 324.

XXVIII.

Psittacus mirè loquax.

Nuper Amicus quidam recitavit nobis jucundam de Psittaco historiam: quem ajebat Londini in Anglia è palatio Regis Henrici VIII. in præterlabentem fluvium Thamesin decidisse, & voce consueta iis, qui quantocunque precio (ut in periculo aliquo constituti, aut alii etiam joco) portitorem ex oppositâ ripâ vocant, a bott a bott for eWentye poWnd: quod est, Cymba, Cymba, vel pro viginti libris, quam sæpissimè enunciari audierat, & tùm commodissimè meminerat, exclamasse. Eâ excitatum portitorem quendâ, properè adnavigasse & sustu-

ſuſtuliſſe avem, & Regi (ad quem pertinere agnoſcebat) reddidiſſe, tantùm mercedis ſperantem, quantùm avis promiſerat. Rex pactus eſt, ut quam avis interrogata denuò mercedem dixiſſet, acciperet, placuit, reſpondit avis: Gibe the Knabe à grott: id eſt, da nebuloni ſolidum.

Martialis.

Pſittacus à vobis aliorum nomina diſcam:
hoc didici per me dicere, Cæſar ave.

Autor Philomelæ.

Pſittacus humanas depromit voce loquelas,
atq; ſuo Domino, χαῖρε valeq; ſonat.
Geſn. de avibus fol. p. 693.

XXIX.

Sturnus ſibi ipſi pedem luxatum reponit.

Experientia deprehenſum eſt, Sturnum ſibi ipſi Medicinam facere. Cùm enim quidam Luſcinias ſimul & Sturnum aleret, & huic pes luxatus eſſet, ova formicarum, quibus veſcuntur luſciniæ, Sturnus roſtro minuit: & depoſita ſub alis atque calefacta, roſtro ad pedem attrivit. Quâ ratione intra paucos dies integer ut antea, inceſſit, ut C. Fabricius, ſuis ad nos litteris teſtatus eſt.

Id. ib. p. 716.

XXX.

Charadrii aviculæ mira vis.

Charadrios à voragine vel voracitate, vilis avis, quæ credebatur viſa Icterum ſolvere, propterea venditores occultabant, ne emptores conſpecta ave cura-

rarentur, priusquam emissent, ut autor est Euphronius. *(a)* Inde nomen ei, qui rem vilem quasi magni precii occultat & dissimulat. *(b)* Plutarchus putat, invidiam imaginatione proprium tabefacere corpus & etiam contaminare alienum: causamque harum rerum refert ad effluvia, quæ ex tali surgentia corpore, ad alios & perveniunt, aliosque lædunt. *(c)* Respondet, quamvis Charadrius avicula attraheret bilem, tamen non liberaret à morbo, qui est obstructio & intemperies hepatis. Et quomodo effluvia ad se traheret Charadrius, etenim oculis connivet & caput sub alis condit? *(d)*

a) *Gesn. de avib. p. 246.* b) *Erasm. in adag. p. 568.* c) *l. 5. probl. 7.* d) *Heurn. l. 3. instit. c. 6.*

XXXI.

Sol vapores ad se ut trahat.

Sol calefaciens hæc inferiora trahere ad se dicitur vapores & exhalationes, non vero tractu, ut nimirum motu, quo Sol movetur, eodem etiam vapor moveatur, sed quòd vapor propter Solem incalescens, isto calore suapte naturâ in sublime efferatur, quemadmodum etiam Naphta dicitur ad se trahere ignem, quamvis non attingens ignem, sed remotiori loco ab igne distita, nihilominus inflammetur. Ob id Dioscor. Naphtam ad se trahere ignem scribit, nam facillimè inflammatur, ut calore ignis non multo affecta & alterata mox inflammetur, quemadmodum aliàs extincto elychnio in sebatio aut cereo lumine, si propius ad ignem adhuc fumans adhibeatur, mediante fumo illo facilius accenditur rursus, non quod extinctum motu locali ad se rapiat flameum ardorem ignis remotioris.

Iac. Scheck. disp. phys. p. 198.

XXXII.

Nævi in Unguibus quid præjudicent?

Maculæ ſunt excrementa cordis, eſt enim cor validiſſimum viſcus, quod à ſe noxia omnia propellit, ſed minus nobilia membra cum conatu & inviſibiles: quæ in unguibus eveniunt, maximè viſibiles, quia transparentes, unde in his & oculis facilius obſervantur. Unde, quando ex aliquo intenſo & vehementiſſimo timore, labore, mæſtitia, cor nobiliſſimum membrum obſidetur, ſuâ pellitur robuſtitate. Si atrabiliaris humor, nigras maculas ejicit, & cætera, ſed præcipuè in annulari, ibi enim ex corde venæ ſunt, ex hoc Medicorum juſſu, aurei annuli in eo geſtantur digito, ut cor lætificetur, unde prius adverſa, poſtea maculæ oſtenduntur, ſed ob obſervantium imperitiam non animadvertuntur: nam maculas videndo, ſuarum ærumnarum meminerint præſentium & futurarum. Sed ego ex paternâ hæreditate cum adverſa aliqua & maximè melancholica paterer, unde exilia & perſecutiones ſufferrē, nigerrimæ maculæ in unguibus per totum ſeptennium apparuerunt, ob ſolicitudines, labores, honoris timorem & exilia, quæ ſuſtinebam, quæ jura cum moleſtiis evanuerunt & hoc verum obſervavi. Albæ nimirum ex phlegmate, cum corpus eâ redundat & maximè in unguibus emergunt, cum corporis partes cæteræ non ita conſpicuæ, cum phlegmaticis conſiderationibus ſtimulamur. (a) Medici quoque colorem unguium obſervare ſolent, nam ungues, deficiente cordis calore pal-

leſcunt,

lescunt, & frigidioribus temperamentis pallidiores sunt. At quibus calor justus est, rubescunt. (*b*)

a) *Bapt. Porta calest. physiogn. l. 5. c. 14.* b) *Bartolin. l. 4. Anat. instit. c. 1.*

XXXIII.

Annularis digiti sinistræ manus præstantia, & quare præ cæteris auro devinciri mereatur.

In articulari morbo & coxendico, qui vere & autumno viget, vis ac facultas naturalis, humores in corpore coacervatos à partibus robustis ad imbecilles propellit. Sic observavi in Gallia Belgicâ, complures chiragræ ac podagræ obnoxios, quibus omnes articuli acerbissimo dolore, tumoreque erant inflati, illo tantum sinistro manus digito illæso, qui infimo proximus est. Is quidem ob cordis vicinitatem, ac consensum, nihil sensit incommodi. Nec est, quòd ex hoc morbo quisquam mortem extimescat (à cæteris enim sunt immunes, modo ne ficosi sint, ac venereâ lue contaminati) nisi circa sinistrum pectoris sinum, cui cordis turbinatus mucro subest, humorum colluvies decumbat, digitusque annularis nodosus efficiatur atque intumescat. Hæc siquidem, ubi fieri incipiunt, luxato vitali robore, vigor labascit, omnisq; animi & corporis vis concidit. Hinc igitur mos inolevit apud veteres, ut is digitus auro insigniretur, talique gestamine decorus esset, potiùs quàm cæteri: quod tenuis quidem arteriæ ductus, *(a)* non nervi, ut Gellius *(b)* existimavit, à corde ad hunc digitum porrigatur, cujus motum in parturientibus, ac delassatis, omnibusque cordis affectibus, indicis attactu

mani-

manifestè percipis. Nec sanè id cuiquam absurdum videri debet, cum animi defectu collapsos erigere soleam, vellicato hoc articulo, aurique, cum momento croci, attritu; per hunc enim vis quædam refocillatrix, quæ illi insita est, ad cor dimanat, vitæque fontem, cui is digitus connexus, implicitusque est, recreat. Quapropter præ cæteris illum honorem promeruit, auróque decorandum censuit antiquitas. Hujus quoque dignitas, quam à corde consequitur, hoc effecit, ut veteres Medici, à quibus etiam nomen *(c)* obtinuit, medicamenta ac potiones illo *(d)* commiscerent: nihil enim venenati vel extremis ejus radicibus adhærere potest, quin homini infestum sit, utriusque cordi commiscetur. *(e)*

a) *Hoc controvertitur. Dicitur* παράμεσος δακτυλιώτης, *annularis, ob continuam annulorum in eo usum, cum plerisque opinione persuasum fuerat, edoctis ita ab Ægyptiis, quasi de hoc solo digito vena quapiam peculiariter ad cordis interiora derivaretur, gratiâ cujus cordis substantia, ob auri familiaritatem, quam invicem conjunctam habent, magis magisq; corroboraretur, quod tamen falsum, & anatomia repugnans, & consuetudini magis asscribendum, cum reliquis digitis æquè ac tertio huic, non vena sed arteriola sua, ab aortæ brachialis ramo, ζωῆς ἕνεκα largita sit. C. Graßee. in exam. theat. microcosm. claß. 1. sect. 6. Bartol. instit. anat. l. 4. c. 1.* b) *l. 10. noct. Att. c. 10.* c) ἰατρικός, *digitus Medicus, cordis digitus, & potissimum sinister Vesal. l. 1. p. 208. Mach. Dresser. l. 1. de part. corp. hum. p. 54.* d) *Laurent. l. 5. anatom. c. 8.* e) *Lemn. de occ. nat. mirac. l. 2. c. 11.*

XXXIV.

XXXIV.

Cuti cum subjecta carne naturalis amicitia.

Cuti cum subjectâ carne naturalis quædam amicitia coiit, ut ægerrimè sanescant, quibus omninò illa excidit: facillimè ubi incolumis servata est. Mirum, quod præcisa, sed loco suo reddita coalescit, recipit spiritum & quasi mortua reviviscit: quodq; è plaga, livore ducto, non in juvene solo, sed etiam sene, vividum colorem recuperat. Magna igitur in vulneribus cutis habenda ratio, neque ob id solùm, quòd inde celerius glutinatur vulnus, sed quia interjectâ cute plurimis juvatur, quæ nuda caro non perferat.

Holler. instit. chirurg. l. 2. c. 5.

XXXV.

Sine cute natus.

Ludovicus, Uladislai Iagellonis F. Casimiri Poloniæ Regis Nepos, Ungariæ & Bohemiæ Rex, sine extremâ cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editus est. Arteque & inunctionibus ea producta, vel adolescens canos aliquot alebat capillos. (*a*) Quod sinistri ominis loco à quibusdam meritò reputatum, quandoquidem & eventus ostendit, in ætatis flore, vitâ & regno semel spoliatus, (*b*) copiis suis ad oppidum Mohazium, medio loco positum inter Budam, & S. Ecclesias (Belgradum) à Solymanni exercitu fusis & cæsis fugâ salutem quæsiturus, in vicinæ paludis lutulento gurgite depressus & suffocatus interiit, die 29. Aug. 1526. (*c*) Sunt, qui tradiderint appetentem equum ripam, retrò actum super Regem in-

cidiſſe, itaque illum oppreſſum. *(d)* Deſiderata ſunt 15. millia Chriſtianorum, & Buda, Antiqua Regum Vngariæ ſedes, per deditionem à Turcis occupata eſt. *(e)* Regnare cœperat 10. ætatis anno: Nuptias cũm Ferdinandi Imperatoris ſorore Maria A. 15. celebraverat: & 20. anno æt. periit. *(f)* Mortem violentam (quod in gratiam cultorum Aſtrologiæ judiciariæ appono) ex equo præcipitati portenderunt, Sol, Hylech cum Hercule, & Luna cum corde Scorpii, ſtellis fixis violentis, Venus Domina 8. & 1. domuum, juncta Soli, in cæli Medio. Mars in duodecima, domo cadente, cum ſtellis de nat. Saturni & Iovis, Argonavis. *(g)* Præceſſit obitum, Eclipſis Lunæ, in 18. Cancri, quem locum, tempore nativitatis, Sol, Hylech ſive vitæ ſignificator, occupaverat. (*h*)

a) *Schenck. l. 5. obſerv. 173. ex Sambuc. in append. Bonfin. Porta l. 2. de hum. Phyſiogn. c. 56.* b) *Ieſſen. anatom. p. 21. b.* c) *Bucholtz. indic. chronol. p. 518. Thuan. l. 1. hiſtor. Sleidan. comment. l. 6. Leunclav. pand. rer. Turc. c. 216. & 221.* d) *Camerar. apud Manl. in loc. com. p. 57.* e) *Bunting. chron. p. 486. ex Paul. Jovio.* f) *Cruſius part. 3. annal. Suev. l. 11. c. 1.* g) *Origan. part. 3. ephem. c. 24. Garcæus de judic. nativit. c. ult. p. 366. & 379.* h) *Vict. Schönf. in prognoſt. anni 1591.*

XXXVI.

Hiſtoria digiti præciſi, & curati, leviter.

Puer quidam, patre ſcrinario alibi occupato, ad opus acceſſit, volens neſcio quid peracuto cultro levigare, ſed declinans ille à materia, minimum digitum trajecit transverſum, atque ita magnam partem abſcidit penitus. Ille exterritus animo ita ſangui-

guinem cohibuit, donec abscissam partem correptam subitò apponeret mutilatæ, & circum circa glutine (cujus lebes paulò antè à Patre usurpatus, adhuc calens, cum materia astabat) oblineret, obligaretque. Factum ita est, ut partes divulsæ spacio 21. d. compingerentur, cujus vestigium postea per omnem vitam mansit, nempe circulus totum digitum ambiens.

XXXVII.

Unâ ligaturâ ingens vulnus curatum.

Nobis hoc accidit. Incideramus aliquando in pernam suillam apud amicum quendam. Hanc divisuri, non contemnendo vulnere consecuimus pollicem sinistræ manus. carnemque cum cute, & vasis, ab osse separavimus, usque ad articulum, secuta est magna hæmorragia, utpote sectâ venâ. Nos asperso Zuccaro vulnus obligavimus, atque ita unâ perpetuâ ligaturâ integritati restituimus. Obligatio enim cohibuit hæmorragiam, calorem & spiritus coercuit, aërem corruptivum prohibuit, & alias injurias obsistentes unitioni avertit. Hæc autem præstat, non quà obligatio est, sed quà consequuntur istam & comitantur dicta, seu quà interventu obstantis materiæ arcetur noxium & naturæ vis unitur, calore servato, alioquin sufficeret vel simplici filo ligare aut quavis materia. Jam autem requiruntur idoneæ fasciæ & certus ligandi modus.

Libav. περὶ ὀμιλιατρίας pag. 52. & 66. Minderer medic. milit. c. 9.

De vi Zuccari in vulnusculis, vide centur. nostr. 8. partic. 88.

XXXVIII.

Nasus recens decisus, expeditè conglutinatus.

Cuidam decisus Nasus, quà os in cartilaginem desinit. Rusticus propendentem partem alteri digitis conjunxit, herbam tusam & è vino nigro tritam, quod Millefolium appellant impegit, rudiùs omnia colligavit, unde celeriter restitit profluens sanguis, & vulnus pulchrâ cicatrice brevi coiit.

Holler. l. 2. instit. chir. c. 5.

XXXIX.

Nullum vulnus vel minimum contemnendum.

In parvo & recenti vulnere fasciola in orbem nexa satis esse potest, & quæ cultellis cibariis fiunt, solo suctu, qui partes colligat, sæpius coalescunt. Alia vulgari therebinthinâ illita (quæ abietina potius vocanda est) & injecta fasciola celerrimè committuntur. Verùm nullum omninò vulnus, vel minimum, contemni debet. (*a*)

1. Ab exiguo & planè despicabili vulnere, in volâ sinistræ manus accepto, quod vix subditam cuti carnem contingeret, Ludovicum Vivem, Senatorii ordinis hominem eâ in Curiâ, quæ apud Monspessulum est, quam vulgò Generalium vocant, intra 7. diem convulsione derepente ortâ decidisse vidimus.

2. Avenione Marcum Sobiratium, spectatæ virtutis ac summæ spei juvenem, ex calcanei vulnere leviore, quàm ut quid mali ex eo speraretur, mortuum 17. die, accepimus; quo tempore ex eo loco digressus, in aulâ agerem. (*b*)

3. Tra-

3. Tradunt M. Antonium de Luna Bononiensem ex levissimo vulnere cubiti periisse.

4. Observavimus Patavii ex vulnere minimi digiti, Joan. Baptistam Argentinum decessisse.

5. Petrum quendam Sutorem, ex puncturâ acus, inter unguem & carnem pollicis dextræ manus inflictâ, obiisse, Ludovicus pater testatus est. (c)

6. A. 1598. Rusticus quidam probè Lusannam, tractando spinas, malleolo spinam sibi inflixit. Neglecto morbo & maturè nimis clausâ puncturâ, exortus est dolor: mox sequuta est inflammatio & gangræna: tandem sphacelus totam tibiam invasit atque occupavit. Cum verò abscissionem tibiæ recusasset, intra paucos dies extinctus est.

7. Virgo nobilis, quum in choreis incaluisset, & capite in postem cecidisset, vulnusculum in vertice contraxit, ubi cutis vix læsa fuit. Illa, quia neque dolorem, neque inflammationem sentiebat, 1. & 2. die, vulnus (aut potiùs contusionem) planè neglexit. Tertio die incepit parùm dolere, quapropter barbitonsorem accersivit, qui rasis crinibus, cutem vix læsam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò, capitis gravitate & febriculâ correpta est. Ego 6. die morbi ad ipsam vocatus, comperi ipsam delirantem, faciem & oculos inflammatos & linguam aridam, ita ut sequenti die è vitâ decesserit. Aperto capite, sanguinem sub cranio collectum & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus: cranium tamen nequicquam læsum fuit. (d)

8. Joan. Beckler, Illustriss. Principis D. Ernesti Friderici Marchionis Badensis Cubicularius, homo sanguineus, ad iram tamen pronus, aliquando cum nobili

bili puero, gladio obtuſo, pugilum more contendebat; cumque puer cubicularium ſub oculo ſiniſtro leviter vulneraſſet, vulnere ſolam palpebram inferiorem penetrante, oculique exteriorem tunicam, quam albuginem vocant, parùm contundente, ille ſive irâ percitus, ſive dolore victus, abjecto gladio humi procumbit, in lectum delatus nihil loquitur, poſt aliquot verò horas fortiſſimo Epileptico paroxyſmo correptus obiit. Poſt mortem ablato cranio, examinatoque diligentius vulnere, nulla læſio, præterquam quæ exterius quoque videbatur, deprehenſa fuit. (*e*)

9. Vidi in Cremonia quendam, qui vulneratus fuit in crure, ſuper focile minus & perforavit ſagittâ crus, usque ad ſuperficiem oſſis, & non læſit os: & cum omnibus inſtrumentis Medicus non potuit defendere, quin ſuperveniret rigor & febris: & mortuus eſt infra menſem ſuæ infirmitatis. (*f*)

a) *Holler. l. c.* b) *Valleriol. l. 3. enarrat. c. 8.* c) *Augen. tom. 1. ep. & conſult. l. 9. c. 2.* d) *Fabric. cent. 1. obſ. chir. cent. 4. obſ. 76. cent. 5. obſ. 2.* e) *Mathæus obſervat. med. caſ. 7.* f) *Guilhelm. Placent. Pract. c. 5.*

XL.

Adriani Spigelij, Anatomici incomparabilis, mors ex levi causâ.

D. Adr. Spigelius, nuptias celebrarat filiæ unicæ, in quibus cum fractum colligeret Vitrum, vulneravit neſcio quem è digitis ſiniſtræ manus. Supervenit inflammatio, quæ non tantùm occupavit totum brachium, ſed & tumorem ſub alâ inſignem excitavit: quo

quo vix ad suppurationem perducto, quamdiu effluxit sanies subcruenta & fœtida, meliusculè quidem habuit: cessante verò illa & diarrhæâ superveniente, omnia in pejus sublapsa sunt, usque dum tandem 7. April. A. 1625. Empyematicus moreretur. Ita ad me amici perscribunt Patavio. Vide, quàm levibus occasionibus moriamur: etiam illi, qui imperium in mortem habere nobis videmur.

Casp. Hoffm. in Epist. ad Fabric. Fabric. Cent. 5. observat. p. 10.

XLI.

Exigua vulnera, immania sequuta symptomata.

1. Mercator quidam Coloniæ Agrippinæ, cum quadam die in officina circa Merces suas occupatus esset, examen bilancis volæ manus infixit. Ab initio affectum neglexit, & peritos chirurgos non adhibuit, multo minus vulnus turundis apertum retinuit. Superficie itaque vulneris clausâ, circa 4. auctus est dolor ille, quia corpus sanguine & humoribus oneratum erat, adeò ad se attraxit, ut exorta febre, sequuta sit inflammatio, ac Phlegmone, ita ut variis in locis exulcerata sit manus, & non nisi magno cum labore restituta.

2. Jacobus Bergerius, in suprema Curia Lausennensi Notarius, scalpello volam manus sibi punxit. Et quia vulnus, propter sui angustiam, turundis minimè apertum retineret chirurgus, & pus in ipso fundo vulneris colligeretur, retineretur que, dolor exortus est acutissimus, mox febris, inquietudines & phlegmone sequebantur, ita ut de vita periclitaretur, Ego tan-

dem in consilium adhibitus & omnibus ad morbum depellendum necessariis institutis, post graviss. ac diuturnos cruciatus, tandem pristinæ sanitati restitutus fuit.

3. Pagana quædam, Hildenæ spinâ summum digitum indicem punxit. Cùm verò propter causam superius allatam vulneris superficies coaluisset, & pus circa partes nervosas collectum fuisset, exortus est dolor, inflammatio atque gangræna, quâ in sphacelum conversa, adiit me tandem. Purgato corpore, & ad metacarpum abscisso digito convaluit.

4. Honesta quædam matrona, cum piscem exenterando, spinâ, secundum articulum medii digiti dextræ manus punxisset, & ab initio imperitæ cuidam medicastræ se curandam commisisset, & exortus fuisset dolor gravissimus, in consilium vocatus fui 8. morbi die. Dum manum brachiumque ad cubitum usque supra modum intumefactum & inflammatione detentum reperi: humor ille, quem vulgus chirurgorum Germanorum existimat in articulis contineri & proinde Glidwasser appellat: copiosè effluebat, quapropter vix credibile est, quantus fuerit dolor inuncto brachio oleis anodynis, & applicatis defensivis circa cubitum, manum verò, quæ dolorem leniunt, mox remisit, tumor brachii & manus quoque paulatim evanuit quidem, quinque tamen in locis, circum circa digitum & in volâ manus, materia illa acris carnem eroserat & ulcera sordida & cuniculosa post se reliquerat: circa quæ etiam nunc occupatus sum.

5. Cum Matrona quædam sibi indicem dextrum vitro punxisset, sequutus est primò dolor vehementissi-

tissimus, deinde inflammatio, aliaque gravissima symptomata, quæ brevi totam manum occuparunt, & diversis in locis ulcera sordida, cum ossium & ligamentorum erosione excitarunt. Operâ & diligentiâ chirurgi cujusdam non vulgaris, tandem post longum tempus curata quidem fuit, sed ingenti cum labore: articuli quoque nonnulli digitorum rigidi permanserunt.

Medicina chirurgica Aquila Fabricius, cent. obs. 4. obs. 76. cent. 5. obs. 2.

XLII.

De punctura vespæ, historiæ singulares.

1. Matrona quædam Nobilissima, cùm in canicularibus, in prandio à vespâ punctionem circa carpum sinistrum accepisset, protinus dolor ingens in loco affecto exortus est. In ipso ferè momento cum Lipothymia supervenisset, ad lectum se conferre coacta fuit. Ubi non diu post, dolor ille, qui ab initio manum & carpum solum occupaverat, per totum corpus expansus, & acerbior factus fuit. Eodem quoque die vesicæ humore seroso & pellucido (veluti in combustionibus conspiciuntur) repletæ, exortæ sunt. Sub vesperam, uti quoque sequenti die, cum totum corpus oleo Scorpionum (quod maritus in promtu habebat) excellentissimo inunctum, & sudor lapide Bezoar copiosè provocatus fuisset, brevi pristinæ sanitati restituta fuit ægra, separatâ per totum ferè corpus Epidermide. *(a)* Colligitur hinc, istud vespæ venenum fuisse summæ activitatis, eò quod vitiosum & malignum suum humorem, vi internarum partium calorifica, & virtute Bezoardica ad remotiores & excre-

mentales partes cutis & poros amandarit, tandemque per sudores Epidermide excoriata & ablata, omnino extra corpus propulerit. (*b*)

2. Matrona quædam genere & pietate nobilis, cum quadam die in viridario obambularet, & à vespâ punctionem circa juncturam mandibularum acceperat, protinus exortus est dolor maximus, inflammatio quoque mox sequuta est, & totum caput intumuit. Adhibitis remediis, dolor nec non intumefactio ex parte remiserunt, relicto abscessu in ipso loco affecto, quo rupto, sordidum & insanabile sequutum est ulcus; quod etsi præclaris quoque Medicis atque chirurgis curandum commissum fuisset, oleum tamen & operam perdiderunt omnes, quamvis summam adhiberent diligentiam, uti egomet testis sum ocularis. Cùm enim apud Cosman Slotanum Medico-Chirurgum præstantissimum viverem, & Chirurgiæ studio operam darem, in 6. usque annum, vidi quantâ diligentiâ, quantâque sedulitate circa affectum huncce laboraverit. Defuncto Slotano, cum omnia frustra adhibita fuisse vidisset ægra, nihil amplius tentare voluit, sed curationem palliativam ad finem usque vitæ suæ adhibuit. Ad decrepitam tamen ætatem usque vixit & quidem utcunque commodè: quandoquidem ulcus hocce velut cloaca erat, ad quam natura superfluos atque excrementitios humores ex toto corpore copiosè & quidem continuò amandabat. Ulcus enim, cum è regione juncturæ mandibularum esset, non potuit propter continuum motum juncturæ ad cicatricem perduci. Ulcera enim, ut norunt Medici, non sanantur, nisi exsiccentur: at quia motus, attrahendo humores hume-

mectat, sequitur necessario, ulcera circa juncturas mandibularum, cum sint in continuo motu, prӕterquam cum homo dormit, insanabilia esse, nisi forsan chirurgus, methodum illam, quam ego primus inveni, & in 1. centur. observ. mearum 38. proposui, adhibeat. (c)

3. A. 1598. Patavii, Matrona nobilis, in ipsis canicularibus à vespâ, circa metacarpium dextrum lædebatur: ubi statim dolor obortus est maximus, cum inflammatione insigni, supervenit febris ardentissima & Phrenesis, (siquidem nervosis & musculosis partibus inflammatis, hæc noxa cerebro promtissimè communicari solet) Aderant præterea frequentes & biliosæ evomitiones, ventris constipatio, aliorumq; symptomatum συνδρομή, & momentanea quædam istorum exacerbatio: accedente insuper tempore æstivo calidissimo, quod impetum moti jam humoris mobilis, in matrona præsertim valdè plethoricâ & succulenta, magis magisque intendebat. Accersitus itaque D. Julius Casserius, Fabricius Placentinus, præmissis Bezoardicis, & cordialibus, locum affectum sine ulteriori morâ scarificando, cauterizabat, eamq; non neglectis aliis convenientibus remediis, cum universalibus, tùm particularibus, (divina annuente gratia) à præsentissimo vitæ discrimine dextrè liberabat, feliciterque pristinæ sanitati brevi restituebat. Suspicabatur D. D. insectum hoc, ab alterius cujusdam venenati animalculi suctu, vel insessu, vel herbæ quapiam venenatâ depasta, infectum fuisse, & postea malignitatem hanc parti læsæ dyscrasia, ipsique punctura induxisse, id quod rationi aut veritati haud absonum videtur. (d) Quid plura? videmus indies

etiam ex levissimis causis atque occasionibus gravissimos oriri morbos, præcipuè si subjectum vel impurum, & pravis humoribus refertum, aut plethoricum, vel denique error in curatione fuerit commissus. *(e)*

a. c) *Idem centur. 4. observ. 77. & 78.* b. d) *G. Faber. in epist. ad Fabric. centur. 4. observ. 79. Forest. l. 30. obs. 5.* e) *Fabric. centur. 5. observ. 2. Augen. tom. 1. l. 9. epist. 2.*

De Apum & vesparum ictu, causis & curâ, vide Aëtium, l. 13. c. 11. Paul. Ægin. l. 5. c. 5. Forest. l. 30. schol. ad obs. 12. sub finem. Plat. de dol. p. 772. 797. & 930. Mel contra Apum infixos aculeos, vi magneticâ auxilium præstat. Quercet. in tetrad. c. 30.

XLIII.

Alapâ & pugno mortui.

1. Vidimus quendam pugno in faciem percussum statim Apoplecticum concidisse. *(a)*

2. Exorta inter duos Juvenes lite, cum alter alterum externo brachio alapa percussisset, in morbum statim, quem ἀποπληξίαν Græci vocant, resolutus vapulans, paucis etiam horis jugulatus interiit. Quare convocatis Medicis (in vinculis enim detinebatur reus) quæsitum est de causa ipsius mortis. Verùm, aliis in ictum ipsum, quo maxillam commotam fuisse putarent: aliis, in humidiorem locum, quo, diutius obdormierat; nonnullis etiam in lautiorem victum & potum pleniorem, quo dum vixit, est usus, hujusmodi mali causam referentibus, indiscussum apud Præsidem remansit judicium. *(b)*

3. An-

3. Ante paucos Annos, uxor accepta à marito alapa, repente concidit & exspiravit; Medici aperta calvaria, & inspecto cerebro, ejusque membranis, reliquisque vasis, maritum insontem judicarunt. *(c)*

4. Novimus fullonem quendam, qui unico pugno, stomacho cujusdam juvenis violentius impetito, hominem interemit. *(d)*

a) *Horat. Augen. tom. 1. consult. & epist. l. 9. epist. 2.* b. d) *Beniv. de abd. morb. caus. c. 110.* c) *Ex observ. Prop.*

XLIV.

Historia notabilis, cultri à rustico deglutiti, & sectione exempti.

A. 1602. Pragæ quidam rusticus, cui Mathæo nomen erat, vir tricenarius, casu fortuito cultrum, qui 9. transversos pollices longus fuerat, deglutivit, in angustia inexplicabili constitutus, cum nulla ars excogitari posset, per quam loco alieno onus infelix extraheretur, tandem verò Dei misericordia hoc suggessit. Magnes & alia attrahendi vi pollentia medicamenta sunt applicata, ut cultri cuspis circa superius ventriculi os eminere inciperet, ubi deinceps, uti in re propè desperatâ, ad sectionem est ventum, administrante eam experientissimo chirurgo Floriano Mathisio Brandeburgensi, sic tandem culter ille, qui 7. ipsas totas hebdomadas & biduum in ventriculo conclusus delituerat, & colorem contraxerat similem telo alicui, quod in igne jacuisset, à dicto chirurgo exemptus, & vulnus sectione factum, idoneis adhibitis medicamentis curatum coaluit: ipse-

ipſeque ruſticus ingenti anxietate liberatus priſtinam ſanitatem feliciter recuperavit: cum æterna laude eorum, quorum ſapientia, induſtria & arte liberatus fuit.

Glandorp. in ſpecul. chirurg. obſ. 31.

XLV.

Aenea acus deglutita, poſt 10. *annos perforato ventriculo, extruditur.*

Devoraverat mulier quædam æneam acum, & nullâ inde noxâ perceptâ, integrum annum, ita ut erat, ſana permanſit. Quo peracto, cœpit dolor ſatis acutus mulierem ipſam circa ventriculum urgere: qui dum eam magis magisque indies affligeret, plures conſuluit Medicos: nihil tamen de devorata acu, quam penitus oblivioni tradiderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde ſententiæ. Alii enim ab acuto humore, alii à vento inter tunicas ſtomachi recluſo, cæteri verò ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Cumque omni quo poterat ſtudio & diligentia curata ſanitatem nullo modo conſequi poſſet, medicæ artis ſpe depoſita, tolerare id malum ſatius duxit, quàm perpetuis medicamentis inaniter vexari. Sicque annis jam 10. tali urgente dolore, miſeram vitam trahebat, cum ecce acus illa terebrato ventriculo è parvo demiſſa foramine proſiliit. Nos autem & acum vidimus & mulierem curavimus: quæ paucis pòſt diebus, unitate vulneris factâ, in priſtinam ſanitatem reſtituta eſt.

Beniven. de abd. morb. cauſ. c. 20.

XLVI.

XLVI.

Acus mulieris cujusdam genu, inscie & per imprudentiam infixa, gravissima symptomata intulit.

Mulier juvenis, cum multum se domi exercuerat pro domesticis obeundis muneribus: ecce die sequenti, cum ex cubili surgeret, ita acriter & sævè circa genu doluit, ut se emortuam altâ mente clamaret. Ad quam accitus Medicus, locum dolentem advertit, tangit & considerat, sed nihil notatu dignum invenit, prædutiusculi tamen nescio quid particulam præ se ferre ajebat. Quâ de re contra dolorem, anodynis remediis supra positis, invadit, & sanguinem ex jecorariâ brachii malè affectum locum respicientis abundè extraxit, tandem post triduum hujus agonis & infortunii, non sine ipsius ægrotantis & omnium assistentium ingenti admiratione, acus cujusdam intus latitantis supremus apex apparere cœpit, quam tunc chirurgus integram extraxit, meritò namque hujus rei omnes admirabantur assistentes, ut quæ acum totam infigi non præsentierat ægrotans, forte somno profundiore detenta, demum extractâ acu, quæ directè & profundè sævierat, Medicus convulsionem timens, de loco aperiendo dilatandoque contendebat. Cæterùm hoc etsi renuit, remediis tamen adjuta, sanata est, præcipuè hoc uno constante, euphorbio, resinâ & pice. Sed quis precor latitantem acum, eo in loco diceret, præsertim cum puella, eam præfigi, profundiori somno oppressa, non persenserat. Haud dubiè morborum causæ sæpè abditæ & difficiles sunt & habentur.

A. Lu-

A. Lusit. cent. 7. curat. 58.

XLVII.

Conservæ vis mira ad ossa fracta ferruminanda.

Conferva (à ferruminando dicta) muscus est densus, herbaceus, spongiosus, hærens aquatilibus petris, cujus efficax natura, nobili historiâ consignata est. (*a*) Putator quidam ex altâ arbore deciderat, omnibus ferè ossibus confractis. Præstò aderant amici, qui corpus ejus universum eo musco obligarunt, atque ita relatum domum in quiete tenuerunt: subinde consperſa aqua ex eo flumine, quod muscum alluebat, ne videlicet muscus emarcesceret. Raró, nec nisi deficiente herbâ remedium mutatum est. Atque hâc medelâ incredibili celeritate convaluit. (*b*)

a) *Holler. l. 2. instit. chir. c. 1.* b) *Plin. nat. hist. l. 27. c. 8.*

XLVIII.

Rarum & novum compertissimi usûs remedium, spacio 24. horarum, vulnera etiam nervosarum partium conglutinans.

Non possum silentio involvere, medicamentum quoddam præstantissimum, ad partium nervosarum vulnera: cujus descriptionem ab Hispano quodam Sacerdote, fide dignissimo accepi, qui retulit in Hispania non licere hoc medicamentum componere, quòd homines medicamenti viribus confisi facilè digladientur, inque arenam descendant. Est autem hoc: Rec. olei vetustissimi Unc. iij. tereb. puræ unc. viij. frumenti integri unc. unam & semis. hyperici unc. duas,

duas, rad. card.bened.rad. valerian. ana unc. j. thuris pulverisat. unc. duas. Radices & herbæ grosso modo contunduntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi superfunditur, ut omnia in vino mergantur: & per biduum factâ infusione, oleum & frumentum adjiciuntur, & coquuntur omnia ad vini consumptionem: mox facta forti expressione additur terebinthina & iterum parùm sinuntur bullire: servanturque in vase vitreo. Sanat vulnera, ut ajunt, spacio 24. horarum. Modus utendi talis est: Abluto prius vulnere vino albo frigido, statim inungitur totum vulnus, oleo prædicto calente: quòd si hoc commodè fieri nequeat, per siphonem intra vulnus, tanquam per clisterem infunditur & confestim labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, deligatura, sutura aut glutine, deinde partes circumstantes prædicto oleo similiter inunguntur. Supra verò vulneris labia jam reducta linteum imponitur, prædicto oleo madens, & supra hoc aliud vino nigro expressum, mox alia lintea sicca: deinde fascia superligatur.

Hier. Fabric. ab Aquapend. pentat. chir. l. 2. c. 7.

XLIX

Ineptè Chirurgi venis incidendis Vnguentum populneum allinunt.

Ineptè quidam Chirurgi, venam incidendam exploraturi, primum frigido ex populis unguento inungunt: quod potius sanguinem ingrossare, ac regerere, quam ad venam allicere potest. Rectiùs alii primùm calidâ, pòst fluxum inhibituri frigidâ, respergunt loca. Ita enim cogitur sanguis, & contra-

huntur meatus. Veteres, oleo tantùm membrum incidendæ venæ irrigatum fricabant, ut ejus tepore sanguinem fluxilem temperent: unde Galenus inquit: *ὡς φλεβοτομουμένοις ἐπισταζόμενον, ἔλαιον ἔρλον ἐργάζεται τὸ αἷμα.* (a) Videtur hinc, quantum intersit, aliquid ratione duce, quàm sola imitatione fretum, facere, quod simiarum est peculiare: quibus illi jure conferuntur, nihilo illis sapientiores, quum ferè omnia citra rationis judicium agant. (b)

a) *l. 2. de simpl. med. & l. 3. de compl.* b) *Lang. l. 1. ep. 8. Libav. de cruent. cadav. p. 283.*

L.

Rarum Amoris signum.

Assidebat Nobilis quidam (insanus præ amore) juvenis, nobili & honestæ cuidam fœminæ viduæ, cujus nuptias ambiebat, & progressu temporis consecutus est. Hic in prandio ad mensam, cum colloqueretur, ecce vena in temporibus prope aures illi sponte aperta est, & profluxit copiosus sanguis, quem strophiolo compescere conatus est. Hæc ipse vidi, cum utrique in mensa assiderem, in arce quadam, eò ad Nobilis cujusdam curam vocatus.

Mathias Cornax l. 1. consult. med. c. 3.

LI.

Iratis erumpere sanguinem.

Erumpere Iratis aliquibus sanguinem, indicat Historia Georgi Joannis Castriotæ, Ducis Epiri & Albani Filii, quem Amurathes Turcarum Imperator, propter magnifica ejus facta, Scanderbeg ac si dicas Ale-

Alexander Magnus, aut Alexander Dominus, nominavit. (a) Cui ingentis animi viro, non prius è labris erupit cruor, quàm in procinctu pugnę stans ipse, adversus hostē excanduisset, & ebulliens humor, spirituq; prægnans alluvie, ac ceu inūdatione teneram labiorum cutem finderet. (b) Excelsa fuit staturâ, robustis artubus ac toroso corpore, & admirabilis roboris, ita ut prægrandi ponderosoque acinace, quo utebatur, medios hostes, ad umbilicum proscinderet, & sæpè per cervices integros cum humeris brachiorum artus facilè detruncaret, (cùm supra 2000. barbarorum diversis præliis suâ manu interfecerit, cum singulis ictibus singulos per medium scinderet) quorum immanium vulnerum truculentiam audiens Mahometes Turcarum Imperator, inusitatæ violentiæ gladium videre concupivit, impetravitque ab eo, ut Byzantium mitteretur. (c)

2. Incidit in manus meas homo quadragenarius robustissimus, naturâ biliosus & iracundus, cui vulnerato capite ramus sinister soporalis arteriæ, desuper musculo crotaphito incisus fuerat. Sanguine primo apparatu pulvere meo restricto (tract. de gangr. cap. 5.) vulnus ad digestionem perduxi. Quinto verò morbi die, cum ex propinquis quidam, qui vulnus inflixerat, ex improviso in cubiculum ingrederetur, vulneratus inscius adventus, ex ipsius adspectu adeò perturbatus est, ut denuò rupta sit arteria, adeoquę sequuta hæmorragia, quæ vix restingui potuerit: convaluit tamen penitus. (d)

a) *Libav. de cruent. cad. p. 302. Ursperg. in paral. Bucholtzer in ind. chronol. p. 400. & seq.* b) *Salom. Albert. in orat. de sud. cruent. p. 29.* c) *Porta l. 2. de hum. physiogn. c. 41.*

c. 41. & 56. d) *G. Fabric. centur. 1. observ. 18. centur. 1. epist. 1.*

LII.

Ex irâ mortui.

Wenceslaus Bohemorum Rex, A. 1418. cum forti irâ percitus pugionem evaginasset, ut Prægustatorem occideret, qui Husitorum tumultum Pragæ Duce Ziscone excitatum Regi sciens non aperuisset, à circumstantibusque detentus pugionem amisisset, ne familiaris cæde Regiam Majestatem coinquinaret, in illorum manibus statim apoplexia correptus, post aliquot dies mortuus est, *(a)*

2. Nerva Imperator valetudinarius ac ventriculi tanta debilitate laborans, ut crebrò assumptum cibum evomeret: cùm semel in quendam nomine Regulum excandesceret, tantum pectoris dolorem sustinuit, ut confestim febri exitiali deplorataque correptus sit. *(b)*

3. Valentinianus Imperator, cum adversus Sarmatas nonnunquam propter Illyriæ vastationem in prætorio sævus infremeret, & universæ genti excidium rigidus minaretur, sanguine irrumpente animam exhalavit. *(c)*

4. Juvenis 15. annos natus vulnus contusum cum cranii fractione circa bregma accepit. Primo apparatu, vulnere dilatato, & deinde officulis extractis, ad suppurationem feliciter perduximus vulnus, omniaque symptomata remiserunt. Elapso verò 14. die, cum adolescens alius, (qui circa lectum ludebat) ipsum ad iram provocasset, recidit in febrem & Phrenesin, ità ut 4. pòst die è vita decesserit. Cranio

aper-

aperto, inveni cerebri membranas undique inflammatas, ac tùm venas, tùm arterias omnes sanguine turgescentes.

5. Arcularius in duello, vulnus cultro inflictum, ad cubitum recepit, is ab omni mortis & accidentium periculo liberatus, cum per fenestram eum, qui vulnus inflixerat transeuntem ex improviso vidisset, adeò perturbatus, atque commotus est ira, ut denuò aperta in vulnere vena, hæmorragia adeò magna sequuta sit, ut à Chirurgis restingui non potuerit, ita ut post paucos dies è vita discesserit. *(d)*

a) *Cromer. l.18. Joan. Dubrav. l.2. hist. Bohem.* b) *Sexto Cornel. Victor. in Coccei Nerva vit. epitom.* c) *Cuspian. de Cæsar.* d) *Fabric. l. c.*

LIII.

Excandescentiæ in commovendis humoribus magna vis.

Hominem arthriticum aliquando novimus, qui cum egredi non valeret, nec crura movere, concitatus tamen ita crura extendebat, & ad offendentem uxorem, per medium solus cubiculum percurrebat.

Libav. de cruent. cad. p. 302.
vide cent. nostr. 5. part. 30. & seqq.

LIV.

Mulier cur citò incandescat.

Mens Mulieri minus, quàm viro robusta, aut fortitudine fulta, animus prudentia tenuiter stipatus, oblata levissima, nulliusque momenti occasione,

frænum rationis excutit, ſic ut ſui oblita, indiſcriminatim, nulloque delectu notos ignotosque adoriatur. Quòd ſi quis naturalem rationem exigat, hanc ego hujus rei cauſam refero, quod mulier molli ſit carne, laxaque ac fluida, ſic ut bilis incenſa confeſtim ſe per corpus diffundat, ac ſanguinis circa cor ſubitam ebullitionem excitet. Ut enim ignis leviores ſtipulas citiùs corripit, ac ſublimem flammam excitat, ſed quæ citò conquieſcat & ſopiatur: ita quoque mulier celeriter irâ inflammatur atque igneſcit, mirisque modis tumultuatur: verùm fremitus ac vociferatio, in corpore minus forti atque animoſo, tùm etiam humido, confeſtim mitigatur ac reprimitur, omnisque ardor & ira effuſis lachrymis diluitur, ac velut infuſa aqua deferveſcit, quod in quibusdam etiam viris effæminatis perſpicimus, quorum magnanimitàs ac ferocia puerili more, in lachrymas ferè deſinit, ubi adverſarius acriter ſe illis opponit.

Lemn. de occ. nat. mir. l. 4. c. 13.

LV.

Effectus iræ & deſcriptio.

Seneca & Plutarchus Animæ Iram nobis repræſentant, tanquam alteram Megæram furioſiſſimam, truculentiſſimam, audaciſſimam, crudeliſſimam, ac ſummè omnibus terribilem: radices in ſe & ſcaturigines ſeditionum omnium, turbarum ac tumultuum continentem, litium, bellorum, homicidiorum, excidiorum, everſionum ac omnium malorum abyſſum: tempeſtatem, diluvium, ignem, machinam, tonitru ac peſtem, inundantem, ſubmergentem, urentem, mi-

diruentem, fulminantem, inficientem, occidentem ac omnia evertentem: homines quos invasit ad omne sceleris genus præcipites agentem, è qua innumera mala, stupendaq;, tùm in corpore, tùm spiritu contrahuntur. Denique scelerata illa eo usque improbitatis & nefandæ malitiæ procedit contagio, ut non tantùm illos in belluas & tigrides immanissimas, sed in dæmonas quodammodo transmutet.

Atque ut in primis hanc tàm effrenem & teterrimam beluam suis delineamentis, tàm intus, quàm in cute depingamus, irati incompositum incessum & actiones observemus. En quanto fastu, & quàm truci ore, superbaque corporis agitatione, modò huc, modò illuc volvitur, ac circumfertur Iratus: quàm variè modò erubescit, modò pallescit: cubitis, quicquid occurrit hinc inde propulsat, atque disjicit. En, ut à sua ipsius umbra, etiam exacuitur, quam ferre nequit placidè, ut voce tremulâ, modo altâ, modo depressâ, ad bilis agitatæ motum aut quietem intonat? En, ut labia commordet, pectus pugnis verberat, crines indignabundus vellicat, in quos citra rationem involat, instar canis, in lapidem ruentis, quo ictus est? Si acrius ac propiùs Irâ percitum intueri voles, & os ejus circumspicere, in quibus omnes Iræ proprietates tanquam in speculo elucescunt, omnis perturbationum generis notas in illo sævire videas: ut rubore & ferocia scintillet, ut ruffis maculis Leopardi instar, ubique scateat; ut igneis tedis micantes oculi truculentiam minentur, ut capilli colore bovini, in Maurorum speciem arrigantur & crispentur. Denique in ea sæva perturbatione animi, nihil non horrendum & monstrosum cernere licet. At forma illius quam

descripsimus, primis Iræ motibus tantùm congruit, videturque suavis ac benigna, si cum paroxysmo illius impetuque comparetur.

Tunc enim illa infernalis Megæra, vinculis solutis rabiem totam exerit, non uno flagello simplici contenta: sed cruentatum ensem unâ, incensam tedam alterâ manu intentat: illius brachia reducta veste, nil nisi cædes & sanguinem minantur: apertum pectus fastuosè explicat; auras ictibus quasi seriò prælians diverberat, modò hûc, modò illuc circumagitur: quin & horrenda voce ad arma & cædes, ad sanguinem & ignes furiis omnibus agitatur, ac ferro ignique se vastaturam omnia comminatur: usque adeò insolens illa rabies omnibus modis truculentam & atrocem belluam refert. *(a)* Persarum Rex Cambyses, Darii F. cum Amasis Ægyptii Regis Filiam in matrimonium petiisset, Amasis veritus ne eâ potitus, non uxoris loco, sed in concubinarum numero retineret, aliam pro Filia ei similimam misit: quam rem Cambyses cum cognovisset, Irâ exarsit, atque cum ingenti exercitu in Ægyptum descendit, ubi cum defunctum Amasim invenisset, Filium ejus Psamniticum Regno dejecit, ipsius quoque Amasis corpus sepulchro eruit, & tanquam viveret, verberibus cædi, acutisque ferramentis totum pungi ac deinde in foro comburi fecit: neque enim animadvertit, plus in seipsum iracundiæ flammas, telaque, quàm in mortuum Amasim sævire: quod ea Iracundiæ vis, ac natura est, ut semper autorem torquere incipiat. *(b)*

Xerxi non satis fuit, in homines Iracundiam & rabiem suam exercere, sed idem adversus mundi ele-

men-

menta facere contendit. Nam cum trajectum ex Abydo ad ulteriorẽ ripam, quæ est 7. stadiorum, pontibus junxisset, ingensque exorta tempestas ea omnia dirupisset: indignatus, tanquam sensus aquis inesset, trecenta Hellesponto verbera infligi & stigmata inuri, adeoque par compedum in pelagus demitti jussit, atque eis, qui præpositi operi erant, capita præcidi. Deinde cum Athos longo tractu in mare procurrens, classem ejus afflixisset, à continente eum abscindere, omnibus copiis sub verberibus in effodiendo occupatis aggressus est. *(c)*

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sævius angue micant. (d)

a) *Quercet. diat. polit. libr. 1. cap. 6.* b) *Campofulg. libr. 9. cap. 3.* c) *Herod. libr. 7.* d) *Ovid. l. 3. de arte amand.*

LVI.

Sæpè turbati apertissima consilia non videmus.

Extat historia de Melchiore à Zeidlitz à Turcis capto, ac tandem liberato, qui cum in itinere longius à comitatu remansisset, infortunium quoddam incidit, ut clitellæ mulo, quo utebatur, deciderent, neque ab ipso præ nimio pondere facilè restitui possent: cumque id aliquoties ei eveniret, adeò ut in maximo periculo esset, ne denuo caperetur à Turcis, quibus istud iter tunc ob bellum Imperatoris erat frequens, non tamen subiit animo, ut relictis clitellis nudo inveheretur mulo. Et quoties nobis in angustiis talibus evenit, ut vel apertissima consilia non attendamus? quippe mens interno solicitata metu, non

obſervat occaſiones extrinſecus rei gerendæ. Itaque fit, ut neque videamus rectè, nec audiamus, aut aliud quid ſentiamus. Motu ſedato veluti è ſomno inſtar Melancholicorum expergiſci videmur. Idem in magnis ad unam rem attentionibus evenit nobis. Principia enim ſenſuum occupata magnâ agitatione, excluduntur imagines, motionesvé minores, nec admittuntur, cum principium unum & indiviſibile non poſſit plura ſimul ſentire; ſic autem etiam præſens motus tàm vehemens, ut alios minores deſtruat, perinde ut Solem intuiti cæcutiunt ad reliquos colores.

Sic interfectores motu propriæ conſcientiæ, ita in anguſtum compelluntur, ut quò ſe vertant, neſciant, quin & ferè obſtupeſcant, & nec agnoſcere quidem poſſunt loca & occaſiones evadendi, cum alioquin iſtis omnes fores pateant, quod Lipſiæ aliquando eveniſſe dicitur. Ibi enim Nobilis quidam à cæde, quamvis totum ferè oppidum obequitaret, portam vel patentem non invenit: nimirùm animo ita conſternatus, quod omnibus ferè perturbatis accidit.

Novimus hominem contentioſum, qui cum alterum provocaret ad pugnam, isque compareret, propoſitis ſimul humi duobus gladiis, quorum alterutrum ipſe inermis arriperet, poſt iram jurabat, ſe neutrum vidiſſe, cum ante pedes projectus eſſet in medium uterque, me ſimul aſtante & vidente.

Libav. περὶ αἱματοθεὶξ p. 167. 166. 381.

LVII.

LVII.

Conſcientia mille teſtes.

Judex quidam Hiſpanicus, cum factum eſſet homicidium, & plures unà adfuiſſent, ſinguli verò ſeſe excuſarent, ſurrexit, & juſſit ſingulos nudare pectora, & palpavit ipſorum corda. Cùm verò ſenſiſſet in uno majorem cordis tremorem? Tu, inquit, feciſti: etſi alioqui foris, illis cæteris audacior videretur: tamen inde judicavit malè ſibi conſcium eſſe. Ita ſtatim confeſſus eſt ſcelus, ductusque ad ſupplicium.

Manlius in loc. com. p. 243.

LVIII.

Cruentatio occiſi à Magiſtratu.

Obſervatum fuit & pro divino habitum, innocenter occiſi, etiam à Magiſtratu hominis cruorem manantem, copia admiranda ſat diu perſtitiſſe. Epiſcopus quidam ſuſpectum habebat Conſiliarium quendam ſuum hominem divitem, furtique accuſabat. Itaque repente domo ſua evocatum tanquam ad conſilium, in crucem ſuſtulit immerentem. Hujus ſanguis non ceſſavit fluere, quamdiu ibi ſuſpenſus manſit, miraculo admodum ut videbatur. Unde enim ſtrangulato ad nares tantæ copiæ via, interceptis laqueo omnibus venis, arteriisque?

Libav. l. c. p. 275. 245.

LIX.

Sanguinis, è venâ miſſi, judicium.

Actionis Medicæ pars altera, quæ juxta Hippocratem,

tem, in ſuperabundantium detractione occupata, non habet inter omnia operis ſui genera, eo, quod ſanguine mittendo peragitur, præſtantius. Iſtud enim, ut jam olim ratio comperit, ſic Experientia confirmavit, cunctis evacuationum auxiliis, tàm operationis celeritate, ſecuritate, quàm tolerantiæ, ſuperius: nullo propè in morbo ab Hippocrate intermiſſum: cujus, præter veterum teſtimonia, utilitatem, quotidianus etiam fructus probat; ſi modò is temeritate, aut caſu non pervertatur; ita, ut reprehenſores magnæ medicationis hujus Eraſiſtrateos, meritò refutare aggreſſus, feliciter confutârit Galenus. Et quis eſt, qui cum ſciat, multiplicium morborum cauſam eſſe ſanguinem, non exiſtimet, eam protinus, pullulante adhuc morbo ſuccidere, & in primâ, ut ajunt, herbâ necare, factum optimum; præſertim cùm videamus, febres, priusquam incandeſcant, Venæ ſectione extingui: putredines, deobſtructis vaſis, ſolvi; inflammationes ſubnaſcentes jugulari: nec promptius aliud eſſe ullum, quo plenitudo præſens exhauriatur, aut citiùs intercipiatur fluxio. Verùm, non tantùm præſervatorium ſimul, atque curatorium Venæ ſectio extat præſidium; ſed judicium inſuper præbet de ſtatu valetudinis, præſentibus & impendentibus morbis; innuit remedia, docet modum inſtituendi victum; quin & ingenia tandem, moresque prodit hominum. Hæcque multò dexteriùs omnia, quàm quodvis corporis excrementum, quandoquidem ſanguis longè illis nobilior, uti actionum in nobis author, ita viſcerum & univerſæ corporis conſtitutionis index eſt certior. Quo pacto igitur in ipſius exploratione verſandum, monere nunc pro-

propositum: paucis tamen, pro familiari mihi brevitate.

Et primò quidem, quo subjecti habeatur cognitio; quæ sit natura sanguinis; postea, quid circa hunc exeuntem speculandum; demum, quæ in excepto consideranda, tenendaque, expositurus.

Sanguinis vocabulum, è Græcâ Etymologiâ, quod eo corpus vegetetur, sustentetur, atque vivat, Isidoro videtur desumptum; Latinis autem, quasi Suavem, dictum. Hippocrati humor hic, venis, propriè ita nuncupatis, conclusus, contentorum nomine audit, tertiumque corpus nostrum constituens ipsi est principium.

Aristoteles alimentum ultimū definit: quem alius, & fortè meliùs, corpus liquidum, ex alimento genitum. Hunc sanè succum, qualis quidem primâ apparet fronte, naturâ sui minimè simplicem, sicut & Cous noster olim jam docuit, ita & sensus ipse, quatuor diversis partibus compositum, apertè ostendit: nec esse aliud, quàm sanguinis propriè sic dicti; pituitæ item & utriusque bilis acervum, Elementorum Mundi sobolem primogeniam; è quibus commistis & justâ proportione temperatis, sanguis communiter sic vocatus, conflatur, quo etiam toto, per venosos tubos distributo, partes corporis nutriuntur. Proinde Philosophos ex eo, quod Sanguis, priusquam venis illabatur, excrementa sua deponat, alterius prorsus comertii expertem arbitrantes, dudum erroris arguerunt & convicerunt Medici. His etenim, cum institutum sit multò quæ ad humani corporis naturam pertinent subtiliùs scrutari: deprehensas in sanguine cæterorum humorum reliquias, non teme-

temerè à naturâ relictas, judicantes, de usu inquirendo multum anxii, tandem ad ortum & nutritionem ipsos cum sanguine facere compererunt: diversam hanc sanguinis essentiam, partium varietate alendarum exigente. Ordinatum autem ita est, ut sanguis, dilectissimus naturæ filius, uti ipsum Avicennas compellat, reliquos inter vigeat plurimus, caliditate & humiditate temperatus: parcior autem quasi hujus conjunx, humor alter, pituita, multò etiam ob nativam cruditatem frigidior, unde quoque per antiphrasin, quòd omnium minimè inflammetur, Phlegmatis nomen adeptus. Porrò minor adhuc quantitas bilis, quæ veluti flos perhibetur esse sanguinis, caliditate excedens & siccitate. Longè denique paucissimus, illius quasi fex, à colore melancholia denominatus, frigidus atque siccus. Horum qualitate, unione, & symmetriâ servatâ valetudo nobis perstat: violatâ, morborum penè omnium parens oboritur cacochymia. Contrahunt labem singuli, partim victu delinquentium culpa; partim cæli aërisque injuria; ita, ut qui naturales priùs fuerant, factionis evadant adversæ, atque tùm non ampliùs placidè amici cohabitant, sed absque rectore exleges seditiosè tumultuantur in corpore. Ex qua conturbatione non secus, ac in lactis agitatione (butyrationem vocant) succorum fit secessio. Ibi, qui potior & ferocior impetu, si non principem aliquam partem obruat, debiliori saltem vehementer insultat, adeò, ut vel subitam mortem, vel difficilem decubitum sequi oporteat. Hæc in genere de sanguinis conditione.

Quo-

Quoniam igitur sanguis alius in laude, alius in vitio, priusquam illum, qui aperta vena prolapsus, vocemus in judicium, optimi ante, tanquam characteris, & cæterorum regulæ, præmittenda descriptio: qui peccantium cruorum judex non aliter sit, quàm est recta linea obliquarum omnium. Hujusmodi sanè (grata naturæ possessio, divitiæque) ille, qui æquabilis, unius cujusdam, quale oleum, substantiæ; aperta emanat vena, ruber & splendens, non hærens, refrigeratus autem in aquam atque grumum desinens. Talis ante, etiam indicium sui præbet ad faciei malas consistens, partes molles, per raram cutem, veluti vitrum & cornu prospectans, floridus: sicut & actionum integritate, mentis amœnitate, copiâ tantum luxurians, unicamque in victu deposcens temperantiam. Nunc ad rem ipsam.

Et primò, quid in profluente sanguine attendendum, disquiramus.

Quotiescunque requirens & unà permittens præsens fuerit venæ sectionis ratio, obfirmato inprimis patientis animo & pauco acidulo succo refecto, cautè aggredienda vulneratio; ægro, sive naturâ delicatior sit, sive morbo languidior, supino constituto. Sed quia duplex venaturæ genus, sibique habitatione vicinum; unum quiescens, vibrans alterum: illud propriè venarum, hoc arteriarum nomine dictum: in illo, humor contentus corpulentior, in hoc verò tenuior, è priori, destillatione quasi, cordis calore elicitus, ardentior, spirituosiorque, ne, quod nonnunquam errore evenit, loco venæ pertusa arteria, nobiliori fuga pateat sanguini; lapsus inde conjectandus, si, quod Galenus, de loc. malè aff. monuit, cum strepitu,

pitu, subflavens atque tenuis prosiliat, qui ilicò inhibendus. Quoties verò feliciter collimatum à chirurgo fuerit, num sanguis alacriter defluat, videndū, an verò stillatim tantùm & lentè prodeat. Quod si hæsitans, rubicundior sit, copiam, qua viam sibi obstruit, denotat: sin nigricantior appareat, ob crassitiem sui transitum prohibet: quæ tarditas vulneri oleo illito: poterit adjuvari, modò illa non formidine patientis, aut plagæ angustiâ provenerit. Aliis Sanguinis statum, hoc pacto, examinare visum est. Guttam ungui injectant, quæ, si continuò defluat, tenuitatem; sin subsistat, crassitiem ipsius colligunt. Id quod & hac ratione experiri licebit. Aquæ inspersus vitro contentæ, si innatet, tenuitatis; si submergatur, è pondere, crassitiei: in medio verò pendulus, mediocritatis suæ: dabit conjecturam. Calor sanguinis subinde digitis explorandus, eâdemque opera lentor ipsius atque densitas. Quātò igitur calidior deprehensus fuerit, crassiorque, tantò sinendus est currere liberior; quo verò frigidior, tenuiorque, eò citiùs compescendus. Frequentanda etiam admoto digito, sanguinis interceptio, qua devitata, Syncope, colligenteque sese naturâ, Sanguis ibit non tantùm alacrior, sed juxta exturbabitur, qui ibi deterior. Quod verò hoc in negotio potissimùm, & in emanatione sanguinis diligentiùs advertendum, Color ipsius est. Hic si qualis nuper descriptus, probus & æqualiter profluat, similem corpori inesse reliquum existimandum: nihilominus ipsius abundantiam propter, necessariam fuisse eventationem. Sin depravatus conspiciatur, & impurus totus, multò utiliùs vacuatum esse putandūm,

dum, quòd copia simul & qualitate peccet; qui & postmodum vel repetità venæ sectione, vel etiam moderato purgante conveniente extirpandus. Ubi autem contingat, sanguinem primò venientem sincerum esse admodum, posteriorem verò, citra Phlegmonem corruptum; non dissimilium circa viscera latentium humorum præbebit argumentum, unàque de mutanda diæta, atque solita curatione instituenda consilium. Sin ex inflammatione talis proveniat, materiem è parte affecta detractam, conjectandum. Solet enim internis inflammationibus emissus sanguis principio minùs apparere vitiosus, quod deterior circa morbi sedem figatur, ac si foret cucurbitula detentus.

Proinde Hippocrat. l. 2. acut. cap. 10. in talibus, coloris mutationem (si vires tamen admittant) expectare jubet. Cui Galen. libr. de curat. per sang. miss. subscribens, in quibus, inquit, juxta sectam venam phlegmon est ingens, optimum est, mutationem sanguinis attendere, veluti indicavit Hippocr. loquens de pleuritide. Nam alius est in phlegmone sanguis, quàm qui secundum naturã, utpote plus excalefactus. Si enim ante hac candidior erat, rubior modò & flavior efficitur, sin talis prius fuerat, ad atredinem vergit, adustione. Hæc ille.

Quod si verò sanguis, qui initio excernebatur pravus, ultimo fundatur purus, perfectam testatur vitiositatis exinanitionem. Raro observatum, malè olere Sanguinem; quod si tamen fædum ille spiret, maximam portendat putredinem oportet. Atque ista sunt, quæ circa exeuntem sanguinem spectanda.

Quò verò, præter hæc, in reliquorum considerationem perveniatur commodiùs; Sanguis non uno duntaxat, quod plerumque solet, vasculo, sed tribus ad minimum; iisque fictileis, aut vitreis, nequaquam autem de materia bibula, aut quæ qualitate aliqua Sanguinem possit inficere, compositis, excipiendus: ordineque loco tuto & umbroso repositus, chartæ tegmine, contra pulverum illapsus defendendus; perque vices retectus, quomodo se circa concretionem habeat, contemplandus. Sicuti enim, quamdiu intra venas degit Sanguis, non tàm caloris temperie, & spirituum contubernio, quod Aristoteles putavit, sed potius ob peculiarem facultatem, quâ locato locus saluti est, non glaciatur & concrescit: sic extra has prolapsus, etiam intra corpus, mox vel putrescit, vel in grumum vertitur perniciosum. Et cum nullibi, præterquàm in Corde & torculari, quod Hierophilus cerebri lacunar vocat, naturaliter extra venas Sanguis subsistat: his quoque tamen locis, id quod in quibusdam Apoplexia tactis, aut syncope frigida, ut Salio videtur, collapsis, anatome deprehendi, solet in grumum facessere. Occasionem coalitioni huic, fibræ suggerunt. Hisce qui sanguis destitutus, aut cui, quod lanii norunt, demtus, nunquam gelatur, quæ in partium corporis nostri censura staminum vices subeunt, affusum sanguinem excipientia, firmantiaque.

Corpora hæc, quando è manu, pedeque minori, pro more, in calentem aquam Sanguis mittitur, lanæ carptæ in modum, vasis fundo, tùm injectis virgultis, instar glutinis adhærent: quæ vulgò vitiosi humoris, & morbificæ causæ nomine damnant, cum tamen utilis ple-

plerumque pituita fit, & similium partium alimentum.

Sanguis igitur, (quod intra horam explorari potest) aut mox, aut tardè, aut nunquam congelatur. Qui coit ocyus, crassus, densus, è fibrarum corpore censendus, & autor obstructionis: qualis oxymelite incidendus, attenuanteque emendandus victu. Qui verò ob cruditatem tardiùs stabilitur, viscerum roborationem, alimentaque requirit crassiora. At subsistens nunquam, aqueus, aut stans tantùm tremulus; quia vel fibris prorsus destitutus, vel minus cohærentibus præditus; ideoque alendis agglutinari partibus nescius, consummatæ existit cacochymiæ nuncius.

Elapsis pòst non minùs sex à venæ sectione horis, loco illuminato, extracti sanguinis ulteriùs instituenda examinatio. Et primò quidem, cruori circùmfusus spectatus humor, lacti quod inest, sero (inde fortassis quod tardius prodeat) similis, Sanguinis Serum dicitur, estque recrementi portio urinarii. Suppeditant hoc, tùm pocula, tùm humidiora esculenta. Istud substantiæ siquidem aqueæ, nimiumque tenuis, nunquam verti in alimentum potest; usu tamen non caret, quem præstat, cibos partim in ventriculo diluendo, partim chylum in tenuissimas venas ducendo. Est optimo habitu præditis perpaucum, nec tamen nullum. Copiosius, nisi largiori meri potatione, humidiorum esitatione, aut febris colliquantis æstu proveniat, minatur hydropem. Quapropter coacervatum, vim ne exerceat, motu dissolvendum & vigiliâ, veluti quoque alimentis, tùm

medicamentis calefacientibus, sudores, urinasque provocantibus, imminuendum.

Penuriæ autem ipsius, contrariis consulendum. Sed quò certius, tàm de quantitate, quàm colore Seri, judicium fiat, placidâ effusione, vitro exceptum, inspectandum, colorem æquè, ut lotium, à bile habet, quâ cum, tenuitate sui, convenit Serum. Idcirco, in valentibus, pauxillo apparet veluti Croco tinctum: in ægris verò, vel ad morbos dispositis, cernitur luteum. Sunt Serorum totidem, quot Humorum species, ita ut nequicquam, uti videtur, simplex existat, sed quale, Sanguis ipse, mixtum; cujus quoque, si naturaliter sese habeat, tenax est proportionis. Constat hinc, duplex esse Serum genus, unum, ut est humoribus commune omnibus (de quo potissimùm hîc) quatenus verò cuique proprium, alterum. Quin & utrumque rursus geminum, naturalitate & innaturalitate contentum: hujus ἰχῶρα: illius ὀῤῥὸν Græci nominant.

Per ἰχῶρα Hippocr. non simpliciter Serum intelligit, sed id quod pravâ præditum simul substantia & qualitate, unde 2. Epidem. à causâ ἰχῶρας vocat, quasdam in cute pustulas.

Plato in Tymæo, ichorem alium sanguinis & quidem mitem, alium acidæ bilis, & agrestem, citat. Utriusque autem interpres Galenus, crassioris partis colamentum in singulis humoribus agnoscens, serorum collatione institutâ, bilis nigræ maximè censet noxium; benignius, flavæ: magis placidum, pituitæ; omnium verò blandissimum, Sanguinis pronunciavit; nisi corruptione substantiæ propriæ, aut etiam, quod non insolens, alterius in societatem

vitii

vitii veniente evadat perniciosius. Seri cujusque humoris excessum color docebit: rubicundior, Sanguinis: pallentior, pituitæ: flavior, bilis: nigricans, humoris atri. Sed & gustus, experiri volenti, futurus declarator: dulcis sapor Sanguinis, insipidus vel salsus, pituitæ; bilis flavæ, acris: acidus nigræ. In hasce qui negligentiùs attendit Ichorum differentias Medicus, eum & circa Morborum causas speculando confundi oportet atque falli, & in remediorum quoque excogitatione graviter hallucinari.

Remoto sero, cruor tandem ipse contuendus. Sanguis exactè percoctus, nulla vitiatus cacochymia, ruborem cum splendore floridum, ex hepatis carne, repræsentabit; integerrimæ valetudinis documentum. Nam, quia syncerus, probè ipsum mistis constare humoribus, & æquabili chylo ortum, existimandum. Is verò, qui diverso positu, velut columbæ collum intuenti apparet varicolor, gliscentis in tumultum sanguinis edet augurium: quo etiam formidabilior multò is, qui maculis undique spectabilis distinctior. Justus enim tum metus urget vereri, ne, quem molitur natura corruptum secernere Sanguinem, imbellior fortè in partem aliquam amandet nobiliorem. Quare festinanter benignis submovendus catharticis, minimè autem medicamentis irritandus elateriis; Tripherâ similiter Saracenicâ, Myrobalanis conditis, Intybaciorumque decoctis, aut quoque seri usu caprilli emundandus. Sin verò pallorem quendam & albicantiam Sanguis præ se tulerit, indigestionis suspicionem movebit; eòque cruditatis majoris, quò ad lactis propius accesserit candorem. Sunt qui eundem ab adustione, pariter

generari contendant, mihi profectò nunquam, præter in corporibus nimiùm refrigeratis deprehensus: ut plurimùm verò morbo venereo correptis, ubi cutis instar, reliquæ massæ adhærere solet tenacissimus. Color postea, cum lumine flavus, lividus, viridis, & niger, Sanguinis in bilem, & atrum humorem incendio demutati (sive epatis intemperantiâ evenerit, sive etiam longiori illic Sanguinis hæsitantiâ) facit præjudicium. Quod si a. ater, vel quòque lividus, splendoris expers spectetur obscurus, arguet potiùs frigiditatem. Quemadmodum autem ibi, acria atque dulcia; sic hîc noxia sunt, quæcunque acida. Perrarò admodum observatus sanguis cineritius est, ea propter, quòd color hîc extremæ sit exustionis terminus. Sicut verò laudabilis in superficie color Sanguinis, quò descenderit in massam altiùs, est signum lætius; sic quantò deterior, tristius.

Præter hæc modò adducta, alia duo restant, nunquam sese grumo immergentia, superficietenus duntaxat hærentia, ubi adfuerint, consideranda. Primum pingue quiddam, ad implicatioris araneæ telæ formam superextensum; id quidem in obœsis, Sanguinis in adipem transitum; in gracilibus verò, ob colliquationem, marcorem portendit. Alterum, & visu frequentius, perstans spuma est, (nam quæ fluoris impetu emergit, nunquam durabilis) hæc crassus humido viscido inclusus flatus; qui tenuior, exhibet bullas. Flatus igitur omnis, siquidem debilis caloris filius, calefactoria postulat attenuantia, quibus ille dissolvitur, & natura corroboratur.

Hisce actis perspectisque omnibus, concretus postremò rudiculâ pertentandus Sanguis, qui impul-

sui

sui renitens, pituitæ lentorem patefacit, illiusque in substantiæ modo vitium, incidentibus emendandus. Obediens autem promptè, spondet mediocritatem. At illicò ad bacilli tactum dissiliens, fibrosi generis confitetur putredinem.

Solent quandoque etiam, contrectantibus Sanguinem Carunculæ quædam sese offerre, cineres item atque arenulæ; quæ ablutione, colaturâque distinctiora effici debent corpuscula. Hæc penitiùs digitis explorata, friabilia si fuerint, corruptos adustione humores ostendent, fœdamque ominabuntur scabiem: sin candida, lentorem ducant; corporis impinguationem & facultatem assimilatricem validam demonstrabunt. Alicubi de leprâ suspectorum cruorem, sale aspergunt, aut acerrimo aceto committunt, quo porrò consistente, ipsos quasi convictos, morbi reos peragunt.

Repeto quod sum præfatus: Sanguinem nimirum, præter corporis constitutionem, mentis quoque manifestare indolem. Sensit istud de nat. hom. Hippocr. idque libro singulari, cui titulus, Quod animi mores corp. temper. sequantur, confirmavit Galenus. Aristot. quoque in Physiognomicis, pariter à corpore Animam, ac hoc ab illa mutari affirmavit. Cui & Avicennæ dictum hoc: sicut Animam corpus sequitur in suis actionibus, ita Anima corpus, in ipsius passionibus, consentit.

Quis denique nativis corporum temperamentis, humorum commutatione, in contraria versis, Animi affectus atque studia non videt permutari? Cernuntur, quibus abundantior bilis est, humor mobilis, ingenio præditi excogitatorio promptoque, ira-

cundo tamen & sententias præcipitanti. Contra, Melancholiâ abundantes, succo subsidente tardo, quieti potius consultant, & sibi constantes, deliberatè judicium proferunt, immutabiles. Sanguinei in inveniendo, judicandoque perstant medii. Simplicitatis autem & ignaviæ author, in quibus excedit pituita. Etsi verò his diversis Sanguinis temperaturis affectus hominum variant, sensusque animi, non ob id tamen constitutionem hanc, quod quibusdam etiam doctis putatum est, Animam ipsam, adeoque Mentem esse, concludendum. Sic enim foret hæc, quod cogitatu turpe, dictu impium, merum accidens. Verùm inesse nobis aliam temperaturâ superiorem, diviniorem formam atque substantiam, vel unum istud satis convincat, quod non secus, ac in cicurandis indomitis bestiis potens institutio, humanis affectibus dominetur ratio, Magistra superior actionum.

Ioan. Iessenius à Iessen.

LXI.

Purgante assumpto, gulæ aut regioni ventriculi, calida non sunt applicanda.

Malè iis consulitur, quibus ab assumpto Pharmaco, ne vomitus superveniat, calidi panni, aut gulæ, aut regioni ventriculi applicantur: illud enim potius vomitum trahendo conciliat, hoc autem & calorem naturalem à loco avocat, & sæpènumero flatus excitando, ex materia in ventriculo contenta nauseam promovet. Gulæ igitur & Oesophago, potius frigida statim admoveri debent, ventriculo autem non nisi, cùm difficulter ad actum deduci potest,

test, aut dolor à flatu concitatur, calida applicentur. Cavendum autem semper, ne calor excedat; revocatur enim potius sic Natura ab opere.

Septal. l. 3. animad. med. part. 7.

LXII.

Mercurius duplex: summum omnis corruptionis & putredinis alexipharmacum.

Mercurius duplex est, naturalis & artificialis. Nativus activus & summè depuratus, in Almagro propè Calatrava, in regno Castiliæ reperitur vivus, per se fluens, & in Cinabari coagulatus, qui ignis vi educitur. Hanc mineram antiquissimã, Plinius vocat vomicam liquoris æterni. Huic similis reperitur in Idriâ, pago Cõmitatus Goritz in Sclavonia. Sed Hispanica bonitate excellit: quamvis Idria longè fertilior. Est autem admiratione dignum, quod quamvis in vicinia Idriæ singulis ferè Annis lues pestifera grassari, illa tn. ab hac im̃unis nunquam non manere soleat: id quod viri provectæ ætatis sese observasse, idemque à Majoribus suis accepisse, mihi ante Annos 8. eò profectò, sanctè confirmarunt. Non minus & illud stupendum, prodigioque simile, quod ibidem notavi. Senex erat decrepitus, qui toto vitæ suæ tempore, in paranda cinabari, consumptô, perpetuò tremebat: & aureum nummum manu compressum, ita dealbabat, ut color ejus nativus omninò dispareret.

Reperitur & alius Mercurius in monte Gimnavoda dicto 6. miliaribus à Cracovia in Polonia, inter Tarnava, Ribie & Streletzky, distante, qui sponte certis anni temporibus, usque ad terræ superficiẽ erumpit: præsertim a. autumnali tempore; quamvis etiam

circa festum Joan. Baptistæ, multa grana pisorum instar, in radicibus graminum, ibidem collegerim. Verùm, hic Mercurius nimis aqueus & Sclavonico, ut & Hispanico longè inferior. Invenitur etiam naturalis in multis aliis locis: & interdum in auri & argenti fodinis.

Artificialis fit, modo satis trito & Artistis noto, per sales resuscitativos, tàm ex mediis mineralibus, quàm metallis. Quin & in hac urbe plures viros fide dignos & præcipuæ autoritatis, dignitatisque novi: qui non modò è Mineralibus, sed etiam ex sanguine humano priùs calcinato, & ex plantis etiam, Mercurium vivum elicuêre.

Beguin. l. 2. tyroc. chym. c. 13.

LXIII.

Mercurii probatio.

Quemvis Mercurium oblatum hac arte probabis cochleari argenteo, tantillum Mercurii, supra candelam, aut carbonem ignitum exhalari permittito: in fumum enim abit mox. Qui si argentum aureo colore tinxerit, certus esto esse purum & laudatum Mercurium. Sin nigro quodam aut livido vel fusco inficiat, certum est, impurum esse & maligna aut etiam venenata qualitate præditum. Atque hic certissimus, tutissimusque est probandi Mercurii, & puri & laudati, ab impuro atque illaudato dijudicandi modus.

Querc. in consil. de l. vener. p. 371. Beguin. l. c. Hic modus videtur suspectus Libav. in Apoc. Hermet. cùm ex eo concludi nequeat, de totâ quantitate, præsertim si vel plumbum, vel stannum aut bismuthum,

thum, non exquisitè fuerint Mercurio permixta: idcircò satiùs esse docet, per Tartarum & calcem vivam, bis vel ter distillare, tunc enim posse vulgariter etiam, in Pilulis, Emplastris, Unguentis, Amuletis, vaporibus Chirurgicis scirrorum, ad vulgare præcipitatum & similia adhiberi.

Varios depurandi Mercurium modos, ut tutò ad usum Medicum possit adhiberi, vide apud Unzer. l. 1. Anatom. Mercur. Spargir. c. 9.

LXIV.

Ut Mercurius sophisticetur.

Mercurius plurimùm sophisticatur cum plumbo, quod beneficio bismuthi (ut vocant Germani) tàm benè apteque miscetur, atque cum Mercurio dissolvitur, ut ipsa non possit melius aqua cum aquâ. Et miscetur, inquam, si vel æquis partibus plumbum cum hydrargyro sumatur, modo & ratione prædicta. Nec miscetur tantùm, sed transit etiam Plumbum cum eo, per lintea æquè mobile ac fluidum, ac si nihil esset aliud, quam solus, purus, putus Mercurius, ut non sit talem fraudem discernere, aut detegere visu. Sed viderint interim qui tali utuntur in unctionibus aut aliis, quid agant. Nam noxius est admodum & prorsus malignus, ut quivis facilè secum perpendere potest, nec attinet eâ de re plura à nobis dici, cum ex naturâ ipsâ Plumbi frigidissimâ, atque terrestri (quæ tamen Mercurii vehiculo internas etiam subire solet partes, ipsasque adeò membranas atque ligaturas) satis manifestè appareat, quid boni inde consequi possit. Et quod pejus, nec exhalari aut dissipari potest, æquè facilè, ac Mercurius, quem constat naturæ

esse

esse aëreæ, ac prorsus spiritualis: & per consequens exhalationi opportunæ. Nec sophisticari tantùm artificio potest & solet Mercurius, uti jam dictum, & à nullo hactenus observatum est: sed in propriis etiam mineris, allicere sibique consociare potest Mercurius varias corporum terrestrium & prorsus heterogeneas qualitates, ut ex mineris plumbi, antimonii, aliisque substantiis metallicis, quæ proximè assident, aut adhærent mineris argenti vivi: unde ei imprimi possunt variæ vires, propria verò ejus virtus perturbari, atque inf.ici. Quare diligens adhibenda est cautio, in electione Mercurii, nisi velimus frustrari voto, aut aliquid sinistri in ejus usu evenire, ut nimis sæpè accidere solet.

Quercet. l.c.

vide cent. 4. nostr. mem. part. 90. & seqq. cent. 5. part. 86. & seqq.

LXV.

Cinguli Mercurialis infelices successus.

Agyrtæ, impostoresque Medici, astuto velo tegere aggressi sunt, ut sub alia specie hominibus nocere possent: etenim Cingulis Mercurium & monilibus incluserunt, quæ scabiosorum & cutis prurigine laborantium hominum lumbis circumdederunt ac carpis manuum applicarunt. Atque hæc quidem cingula & armillæ, tetrum illud argenti vivi virus, in corpus gestantis ejaculabantur, quòd adeò per universum ejus habitum pervadebat, ut fætentes protinus salivæ per ora faucesque defluerent, collum intumesceret, pedes vacillarent, ac viscera nobilia magis coinquinarentur, quam cutis prius fœdà

dâ ſcabie, quam hoc periculoſo & noxio medicationis modo depellere nitebantur, turbata fuerat. *(a)*

Fidem facient ſubſequentes hiſtoriæ. Cingulum autem duorum transverſorum digitorum latum & ex limbo panni adaptatum, Mercurio crudo & axungiâ porcina, vulgari modo extincto imbuitur, nudisque lumbis induitur. *(b)* Quidam Mecurium ſalivâ aut ſævo extinctum, albumine ovi excipiunt & illinunt ſupra goſſypium, quod in cinguli modum ſuendo, conficiunt. *(c)*

Honeſta quædam matrona, annorum æt. 40. circ. conſtitutione corporis humidâ & obœſâ, corpulenta, cum Ann. 1621. Menſ. Februar. propter pruritum, levemque ſcabiem cingulum hoc per 3. hebdomadas, dies noctesque geſtaſſet, à ſcabie & pruritu quidem liberata fuit, ſed in morbum longè pejorem incidit. Superveniente enim ſalivatione, atque gingivarum exulceratione, cum gravedine capitis, nauſeâ, & catarrho correpta fuit, cum virium quadam proſtratione, quam dolores cum totius ſiniſtri lateris impotentia mox ſequebantur, multis tandem adhibitis remediis in integrum reſtituta fuit. *(d)*

2. Senex quidam podagricus ſcabie laboravit, cujus tædio uſus eſt cingulo mercuriali, à quo quidem ſcabies deceſſit, at virus Mercurii in corpus receptum, infecit palatum, gurgulionem & fauces exulceravit, ſerpentes faciendo aphtas & fœtidas, ſalivationem copioſam & ſpumantia labia, anhelitus tetrè olens, qualia accidentia ab inunctione & ſuffumigio Mercurii provenire ſolent: dentes vacillabant, gingivæ ru-

tumidæ, buccæ exulceratæ, tenſio in nervis & tendinibus colli, duritiesque, maxillarum immobilitas, maſticatio impedita, deglutitio depravata, appetitus proſtratus, febris lenta hectica, lipothymiæ multæ, vires debiliſſimæ. Tandem octavâ ſeptimanâ hujus morbi, obiit totus emaciatus & paululùm convulſus. *(e)*

3. Juriſconſultum eleganter doctum novi, Tubingæ olim meum congerronem, uſu cinguli Mercurialis, ſcabie repercuſſâ, Ictericum factum, qui ægrè curari potuit. *(f)*

a) *Minderer. threnod. Medic. cap. 14. pag. 330.* b. d) *Fabric. centur. 5. obſerv. 93.* c. e) *Hochſtetter. decad. 3. obſerv. caſ. 7. pag. 241. 244. 247.* f) *Autor ex obſerv. prop.*

Plura de cingulo Mercuriali vide Oberndorferum, in Apol. Med. chym. pract. p. 30. & ſeqq. & Ruland. in alexic. chymiatr. p. 44. & ſeqq.

LXVI.

Vitrivori temeritatis & inſolentiæ juſtas luunt pœnas.

Satellites cujusdam Regis, ſe vino ingurgitantes, contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri præbibit illum pulverem. Elapſis vix duobus menſibus, omnes mortui ſunt.

Ante paucos Annos fuerunt quidam Ambergæ, in Bavaria, qui longa potatione inebriati, tandem vaſa teſtacea, è quibus biberant contundunt, ſeu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in vino præbibit, tandem ventum eſt ad vitra, quæ ſimiliter in pul-

pulverem redacta sunt, ac invicem sibi præbiberunt. Hæc historia hûc scripta est, additumque erat in literis, tres ex Nobilium numero eo die esse mortuos, reliquos ægrotare, & mortem certissimam expectare. *(a)*

Ego hîc in vicinia tres cognovi viros robustissimos, quorum duo adhuc vivunt & quidem satis commodè: tertius verò ante annos duos ex phtisi obiit: hi vitra quamplurima veluti cum aviditate devorârunt. Quomodo autem fragmenta illa ventriculum & intestina, partes exquisitissimo sensu præditas, sine mortis periculo pertransire potuerint, nescio. *(b)*

a) *Manlius in loc. com. p. 243.* b) *Fabric. centur. 5. obs. 2. Idem*, In Vorbereitung zum Christlichen Schlafftrunck: *pag. 25.* Ist ein überauß grosses Wunder/ und kan nicht wissen/ wie es der Natur müglich sein könte/ solche scharffe und schneidende spitzen der Gläser/ durch das zarte/ und überauß empfindliche Eingeweid/ widerumb von den Menschen ohne tödliche Schmertzen zutreiben/ ꝛc.

Vide cent. meam. memorab. 5. part. 6.

LXVII.

Mendicantium vaframenta.

1. *Historia adulterini brachii.*

An. 1525. cum essem Andegavi, stabat pro templi foribus vafer Mendicus, qui proprio brachio post terga revincto & abdito, in ejus locum ex suspendiosi cadavere resectû, thoraci adjunctum, fulculâ fulciente, populo ostentabat, quasi sacro igne correptum, quo præ-

prætereuntes in sui commiserationem magis incitaret. Latuitque fraus, omnibus certatim stipem erogantibus, donec tandem haud fideliter adnexum, solutis omnibus vinculis, in terram procidit, spectantibus & observantibus multis. Comprehensus & in carcerem conjectus, Magistratûs sententiâ, alligato ex cervice & in pectus propendente adulterino brachio, virgis publicè cæsus est, & in exilium ejectus.

LXVIII.

2. *De mammâ cancrosâ ementitâ, & 3. ulcere tibiæ.*

Frater meus Joan. Paræus Chirurgus, Vitrei in Britannia habitans, aliquando animadvertit mulierculam mendicantem, quæ mammam ostentabat, velut cancroso ulcere obsessam aspectu horribili, propter multum & sordidum pus, quod in subjectum linteum manare videbatur. Mulierculæ faciem, vividumq; in facie & circumstantibus ulcus locis colorem, totius denique corporis colori illi consentientem evexiam, cum propius & diligentius esset contemplatus, facilè adductus est in suspicionem latentis doli. Conjecturam suam Magistratui indicavit, impetravitque, ut Mendicam illam sibi liceret in suas ædes deducere, quò certiore notâ rem omnem exploraret. Renudato igitur ejus pectore, comperit sub axilla spongiam, imbutam liquore ex brutino sanguine & lacte commixto, sambucino tubulo, per latentia ficti cancrosi ulceris foramina decurrente. Ergò calente aquâ mam̃am fovit, udoque fotu sibi invicem supertextas, & glutine ex bolo armeno, ovi albumine

mine & farinâ cohærentes, ranarum nigrarum, viridium & citrinarum pelliculas resolvit, hisque resolutis subjectam mammam integrâ sanitate fruentem comperit. Conjecta in carcerem eo nomine mendica fassa est, eas se fraudes edoctã à mendico adultero, qui & ipse circumposito tibiæ liene bubulo, certisq; locis, quibus comoratus liquor stillaret perforato, monstrosæ magnitudinis & malignitatis ulcus, circumtectis undiq; sordidato linteolo lienis appositi marginibus effingebat. Quæsitus sedulò mendicus, comperi non potuit, ipsa loris operta, in exilium acta est.

LXIX.

4. *De Elephanticum simulante.*

Vix Annus exactus erat, cùm in eandem Urbem appulit mirè versipellis alter ejusdem farinæ Mendicus, qui occupatis statim templi foribus merces suas explicuit, ricam nempe, minutâ stipe, qualis in pauperes erogari solet onustam, ligneum doliolum & crepitacula, quæ dextrâ manu comprehensa, magno strepitu ex intervallis concutiebat. Facies illi crassioribus pustulis conspersa assurgebat, confictis fabrili glutino ex rubro, Elephanticorum in morem, livescente. Hæc enim persona, horridum aspectu, omnibus miserabilem reddebat, quod causæ erat, cur illi quisque de suo erogaret. Tùm frater meus, se illi propiùs admovit, quæsivitque, ex quo tempore tàm diro morbo correptus esset: ille obscura voce rauca respondit, ab utero se materno Elephanticam prodiisse, Elephante tàm diro sibi utrunque parentem mortuum, ut membra frustatim conciderent. Cæterùm laneam circa fauces fasciolam habebat, quâ manu læ-

vâ, ſub pallio conſtrictâ, guttur ſibi ſic arctabat, ut ſimul multus ſanguis ater in faciem aſſurgeret, & vox vix vi erumpens, magis rauceſſeret: continere tamen ſe non potuit, quin inter loquendum ducendi liberiùs aëris gratiâ faſciam remitteret. Quod poſtquam animadvertit Frater, fraudem ſubeſſe ratus, à Magiſtratu impetravit, ut ſibi liceret hominem, verè ne Elephanticus eſſet, probare & examinare. Primùm igitur ipſi faſciam cervicibus circumfuſam exemit, inde tepente aqua, faciem lavit, ſic ut ficta & glutino coagmentata tubercula diſſolverentur, facieſque vitii omnis expers, naturali & bono colore ac charactere renideret. Totum inde ipſi corpus renudavit, anxieque veſtigatis & luſtratis omnibus membris, nullũ Elephantis ſignum univocum aut æquivocum comperit. Quod poſtquam reſcivit Magiſtratus, comprehenſum ipſum, & in vincula conjectum, iterũ, tertiumque per urbis compita, flagris cædendum, pendente in pectus doliolo, in dorſo verò crepitaculis, tortori tradidit, addita perpetua exilii pœna. Accidit, dum tertia nundinali die cæderetur, ut per jocum conclamaret populus, ne vereretur eum graviter cædere, qui ſe Elephanticum profeſſus, nihil planè ſentiret: acclamatione urgentis populi accenſus carnifex, adeò cædendo invectus eſt, ut paucis pòſt diebus miſer ille & mendicus flagris interierit, dignus profectò tali mercede.

Paræus l. 24. oper. chir. c. 18.

LXX.

LXX.

An tenebræ sensu oculorum percipiantur.

Tenebræ non percipiuntur sensu oculorum per se, sed per accidens, id est, ex absentia formæ seu habitûs, id est, coloris aspectus, percipit tenebras aëris, quatenus animal cognoscit suum adspectum, non percipere lumen aëris & colorem, nec ab eo affici, seu tunc dicuntur, tenebræ cerni, cùm in rebus objectis luminis capacibus nullum cernitur lumen. Hinc judicari possit de eo, an somnus videatur? an silentium audiatur? Privatio enim non sensu, sed intellectu percipitur. 10. Metaph. Arist.

Goglen. P. in anal. in exerc. Scalig. p. 8.

LXXI.

Gallarum inspectio, post festum D. Michaelis, quid superstitionis habeat.

Non exiguâ superstitione laborat observatio & inspectio Gallarum, quas glandiferæ arbores pariunt: cujus figmenti Ranzovius (vir aliàs doctissimus) acerrimus est assertor & propagator. *(a)* Inquit enim, si post festum Michaelis, in globulis Gallarum reperiuntur vermiculi, ubertatem frugum promittunt; si muscæ, portendunt bella; si aranei, minitantur pestem. Causas obscuras non esse dicit, cum vermiculos ex putrefactione natos, argumentum & indicium esse constitutionis cæli calidæ & humidæ, quæ fœcundat terram, & rebus nascentibus suppeditat vigorem, affirmat. Muscas urentem siccitatem arguere dictitat, qua inflammata corpora & velut ustulata, implentur

fervidis & acribus humoribus. Araneos ex venenata, contagiosa & impura putredine nasci dicit, quam corripientem & inficientem corpora humana in pestilentes febres: putredine verò augescente, erumpentes in bubones pestilentes & anthraces, exardescere colligit.

Quamvis itaque hac in parte Astrologi sibi repugnent, quibusdam vermiculo reperto ubertatem annonæ, quibusdam verò sterilitatem significare & polliceri statuentibus, omnium tamen horum opinio vana est, & futilis. Concedent enim illi, ut credo, libenter, hujus putrefactionis humoris, ex quo musca, vel vermiculus, araneus vel simile animal nascitur, causam esse præcipuam aëris ambientis dispositionem & qualitatem: quod si est, cur quæso non eodem momento aërem ambientem idem in corpore humano efficere quod in Gallarum globulis profert, statuitur? quæ causa quæso moræ & dilationis in sequentem annum? non certè natura venenati aëris, cujus proprium est, omnia quàm statim inficere, infecta destruere & corrumpere, nisi forsitan naturalis calor intensus veneni hujus aculeum retundat. Si enim, ut de araneis loquamur primò, venenato aëri ambienti illa insit vis, ut valeat in gallarum globulis ex putrefactione producere araneum, multò magis in corpore humano, attractus per respirationem, pestem & mortem ipsam procreabit. Quid de vermiculis, qui qualitatem aëris sequentis anni designant, dicam? vix enim est, ut aliquis mente constans, efficientem causam postponat effectui, quod tamen necessariò faciunt illi, qui huic superstitiosæ divinationi insistunt. Aer ambiens enim, in præcedente anno vermicu-

miculi generationem causat, cujus qualitas ex effectu dignoscitur: præcessisse ergò effectum, non sequi necesse est: quod si est, cur non potius præteriti, aut præsentis, quàm futuri anni habitudinem arguit; utpote cum nullo modo ex hâc vermiculi generatione possit colligi, eandem aëris constitutionem in sequentem usque Annum duraturam, quod tamen ridiculè à talibus divinatoribus fingitur. Eadem ratio militat in Musca, quæ secundum ipsorum somnia, bella, tumultus adnunciat, cum scilicet tempore æstivo, multum negotii hominibus & brutis facere soleat. Nec admittenda discrepantia subjectorum, quorum diversitas efficiat, ut hoc vel illud tardiùs vel citiùs, invadat infectio, cum teneritate & mollitie corpus humanum nulli cedat animalium: natura verò aëris venenati hæc sit, ut non præparet, sed inficiat & generet ipsum malum. Præparationem autem mali, à generatione distare, firmissimis inductus rationibus arbitror: nec enim illicò præparationem sequitur malum, sed plerumque impeditur, quod in generatione mali rarissimè contingit: illa quidem aliquando diuturnum tempus, hæc verò modicum requirit intervallum, utpote omnibus ad generationem paratis. *(b)*

a) *In Calendar. Astronom. p. 61. Mizald. cent. 7. memor. 33.* b) *Sattler. in dian. astrol. c. 7.*

LXXII.

Thermarum caloris causa.

Vera Thermarum caloris causa, ignis est subterraneus, qui fovetur & sustentatur à materia pingui, oleosâ atque aërea? qualis est bituminosa & sulphu-

rea: quæ aliquando mista: sæpiùs bituminosa: frequentissimè sulphurea. Nil quippe facilius accenditur sulphure: apparetque in eo vis ignis maxima. Ratio est, quia pingue & oleosum: quo nomine pinguedo & axungia terræ à fossilium rerum scriptoribus appellatur. Accenditur verò ab halitibus, non quibuslibet (quia non omnes inflammari sunt apti) sed certis ac definitis, certaque ex materia eductis: quales sunt sulphurei & bituminosi, qui à terræ calore, à simili materia exsuscitantur: cumq; levissimi sint, valdeque mobiles, sursùm tendunt & exitum quærunt; cum tamen præ terræ soliditate non ubique inveniunt. Itaque angustiis inclusi agitantur, colliduntur, & ad circumstantia corpora, quæ vel saxea, vel terrea impelluntur: ex quâ collisione & attritione incalescunt, attenuantur, tandemque prorsus igniuntur. Hinc corpora subterranea, quæ flammam facilè concipiunt, ut sulphur, bitumen, ejusq; species, quæ variæ, accenduntur: quæ accensæ perfluentes aquas calefaciunt.

LXXIII.

Quibus in locis, ignis subterraneus, aquas præterlabentes calefaciat.

Cæterùm non uno semper in loco accensus iste ignis subterraneus præterlabentes aquas calefacit: sed vel in venis ipsis terreis, aut saxeis, hoc est, ipsis canalibus, alveis, atque ductibus, per quos aquæ feruntur: vel extra venas: vel utrobique: cum pabulum ignis undiquaque sparsum est. Ignis in canalibus accensus cognoscitur, si aquæ & colore & odore & sapore, admodum fomitem bituminosum, aut sul-

phu-

phureum referant: multum etiam de corpore & craſſamento ejus ſecum vehant & eructent. Ad hæc inſigniter caleant: eoq; intenſiùs, quò ignis ſcaturigini eſt vicinior & major. Unde Thermas quasdam magno cum murmure, & quidem ebullientes, effluere videmus, quas hoc nomine Bullas appellant. In noñullis etiam ignis adeò vicinus ueſt ſcaturigini, ſive meatui cuniculi, ut unà cum aquis flamæ erumpant. Quod ipſum non ſolùm in canalium oſtiis: verùm etiam in balneorum pavimentis & piſcinarum vadis, dimiſsâ aquâ, obſervatur.

Extra verò canales accenſus intelligitur, ſi Thermæ minùs ferveant, aut caleant ſolùm: item, ſi non multum, ex ſubſtantia bituminis aut ſulphuris, vel ſubſidens vel innatans habeant: denique, ſi non ita manifeſtè calorem, odorem & ſaporem iſtarum minerarum repræſentent. Nam quò longius à canalibus Thermarum ignis eſt diſſitus, eò quoque longiùs ab iis fomes & pabulum ignis abeſt. Aqua ergò per longum, forſan etiam flexuoſum canalium iter, fervorem deponit, nonnihil alteratur, & craſſamentum minerale in itineris curſu, majori ex parte amittit.

Plin. natur. hiſt. l. 35. c. 15. Sebizius de acidul. ſect. 1. diſsert. 2. coroll. poſit. 4. 16. ſeqq. diſſert. 6. poſit. 28. Küeffer, in deſcript. therm. Marchic. c. 2. p. 52. & ſeqq. Panſa c. 1. de Th. Carol. Schvvenckfeld. de Therm. Hirſchbergenſ. p. 14.

Vide centur. noſtr. 4. part. 70. centur. 5. part. 40. & ſeqq.

LXXIV.

Ignem subterraneum Bitumen & Sulphur alunt.

Perennem quendam fomitem esse oportet, materiamque, quâ alatur ignis subterraneus: quænam illa? Georgius Agricola, vir in secretis naturæ subterraneis longè peritissimus, subjectum conservans ignem sub terra Bitumen esse dixit: *(a)* Aristoteles verò Sulphur. *(b)* Gabriel Fallopius, experientiâ Aristotelis effatum confirmat: In agro Volaterrano, ait, monte dicto Cerbero sunt balnea vetustissima, quæ oculis conspicua, non subterranea, ita ut quisque cernere possit, aquas illas calefieri à Sulphure, quod in illis ebullit, & in marginibus lacunæ Sulphur passim reperitur. *(c)* Non negat tamen, quòd & Bitumen sit in quibusdam locis pabulum perpetui ignis. Statuendum ergò, quòd ignis subterraneus in quibusdam à Sulphure, in quibusdam à Bitumine nutrimentum capiat.

Sed objicitur,

1. Si ita est, tota terra intus Sulphur erit & Bitumen: quùm à memoriâ hominum Thermæ emanârint, nec dum desinant: unde sequitur semper ignem hunc conservari. Sed quanto indigebit pabulo? verùm sufficere nos arbitramur, tantum adesse Sulphuris vel Bituminis, quantum alendus ignis postulat. Atqui semper adest, cum perpetuò generetur, atque semper sufficiat materia ex quâ: & quùm semper generetur, semper quoque alit ignem. Ferrum cæteraque metalla regenerati fossores Metallici docent.

Stra-

Strabo idem testatur de Insula Ilvâ, ubi ferrifodinæ: quas si incolæ post defluxum centum annorum reviserent, maximam ferri copiam regeneratam inveniebant. Quid de sulphuris & Bituminis generatione continua rogas, quum de Ferro, ut Metallo durissimo, id manifestum sit? *(d)* Ambo hæc quatuor postulare annos Auctor est Fallopius, *(e)* idemque de Bitumine in agro Mutinensi Italicæ memorant Historiæ.

Objicitur 2. Si Sulphur & Bitumen materia aliti ignis subterranei sunt, ignis mutabit locum, atque non ex eo loco, ubi ante multos annos Thermæ erupére, etiam hodie fluent: nec semper in pari calore, sed nunc tepidæ, nunc fervidæ, nunc alio in loco. At contrarium patet. Ergò. Confirmatur Major, quia Sulphur vel ardet totum: & sic jam dudum esset consumptum; vel pars in illo post partem, & sic aliquando. Sed facilè avertitur telum hoc ab illis, qui flammam duobus modis ali intelligunt. Alitur enim ignis hic, vel eo modo, ut flamma insequatur materiam, sicut videre est in igne, urente lignum, aut stipulas: vel altero, quando ignem sequitur materia, ut fit in lucerna, ubi oleum insequitur flammam, non flamma oleum. Posteriori modo Sulphur & Bitumen alunt ignem sub terrâ. De Bitumine quidem non dubitandum, quum liquidum sit: de Sulphure verò ambiges; cujus partem post partem uri quùm solidæ sit substantiæ, nec eliquari à flammâ dices, ut ignem consequatur. Quid ergò? in concavitatibus terræ non accenditur tantùm Sulphur à flammâ, sed & eliquescit. Rationem vis; quia contra experientiam pugnare vides, Do. Parietes cavernarum sub-

terranearum igniti sunt, unde Sulphur eliquatur, eliquatum flammam contingit. Pone Sulphuris fragmentum in ollam cineribus calidis impositam, eliquabitur utique à calore ollæ ambientis, eliquatum ubi fuerit, adde lychnium & accende, videbis eliquatum sulphur consequi flammam. Sic res se omninò habet in cavernis illis terræ, ubi non à flammâ, sed parietum fervore eliquatur Sulphur, atque flammam sequitur: & sic continuè incalescunt aquæ, igne ipso locum minimè permutante. *(f)*

a) *l. de subterran.* b) *sect. 14. problem. 19.* c. e) *l. de aq. therm. & metall. c. 5.* d. f) *Cellar. partit. meteorol. sect. 33. art. 3.*

LXXV.

Unde acidulæ saporem suum habeant.

Mineralia, quæ Acidulis insunt, duplicis sunt generis; acida & acore destituta. Ab his vires quidem Acidulæ accipiunt: at non saporem acidum. Ab illis, & vires & aciditatem habent: intensiorem quidem à chalcantho & ejus *(a)* speciebus: (ubi enim inveniuntur acidulæ, ibidē aut certè locis conterminis chalcanthi fodinas reperire est. 2. Chalcanthum saporis acidissimi esse norunt omnes Chymistæ, qui vel chalcantho, vel ejus oleo, aut spiritu, quo nihil acidius, dicto citiùs, tincturam rosarum, acore jucundissimo, cum febribus calentissimis, ipsaque peste pugnantem *(b)* conciñant) remissiorem verò ab Alumine: adhuc remissiorem ab ære sive cupro, *(c)* (Si enim Chalcanthum causa acoris est, erit & Cuprum: quoniam hoc illius particeps est. Ubi enim eu-

cuprum eſt, ibi & Chalcanthi aliquod genus eſt. Chalcanthi enim genera, ſunt Cupri initia. Quam ob cauſam nomen obtinuit Chalcanthum, quaſi ſit χαλκȣ̃ ἄνθος, æris flos: eò quòd ex ære quodammodo *(d)* effloreſcat) infirmiſſimam à Ferro. Ferratæ enim Aquæ, nil aciditatis habere videntur, & Fabrorum illa Aqua, in quâ candentia ferramenta extinguuntur, nihil præ ſe fert acoris. Crocus inſuper Martis, minimè acidus ſentitur. *(e)*

a. c) *Sebiz. ſect. 1. de Acidul. differt. 4 poſit. 79.* b) *Henr. ab Heer. de frat. Spad. c. 6.* d) *Agric. l. 5. de re metall. & libr. 3. de nat. foſſil.* e) *Sebiz. l. c. poſit. 75. diſſ. 8. th. 4. Macab. in deſcript. fontis acid. Ægrenſ. cap. 4. & 3. Henr. Ellenberg. in acid. Wildung. Comit. Waldeck. c. 1.*

De Acidulis Göppingenſ. vide cent. noſtr. 6. part. 1.

LXXVI.

Notæ ſpirituum in aquis medicatis.

Spiritus (aquarum Medicarum quaſi anima) partim accedunt ad naturam ætheream: quatenus puriſſimi & ſinceriſſimi: partim ad ignem & aërem: quatenus tenuiſſimi & leviſſimi, ideoq; corpora valdè ἐνεργητικὰ atque efficacia. Eorum autem præſentia realis perſpicitur.

1. ſi aqua ſit clara, ſive limpida atque perſpicua, tenuis item & levis.

2. ſi bullulas habeat multas, velut uniones, hinc inde diſcurrentes, præſertim cùm aqua recens eſt in poculum fuſa.

3. ſi non diu maneat in hypochondriis: ſed celeriter,

ter, vel per alvum, vel per urinæ meatus, vel per ſpiracula cutis excernatur.

4. Si facilè alteretur, & viribus exuatur. Sunt enim ſpiritus corpora ſubtiliſſima. Itaque facillimè exhalant: nî receptacula probè obturentur. Promptè etiam à calore externo diſſipantur. Citò proinde ſpirituoſæ aquæ virtus evaneſcit, cùm vel aliò transportatur: vel coquitur: vel in tepidariis aſſervatur.

5. Si vis in aquâ obſervetur mineralis: corporea tamen minera in illâ non appareat. Signũ quippe eſt, Aquam non σωματικῶς eſſe miſtã: ſed πνευματικῶς tinctã.

6. Si pota, vel nares ſtatim feriat: *(a)* vel oculos lancinet: vel ructus moveat: vel aurium tinnitum excitet: vel caput impleat: vel ſpiritus animales quodammodò agitet, in gyrum ducat & vertiginis quandam ſpeciem efficiat.

7. Si cum impetu ac furore proſiliat ex ſcatebrâ. *(b)* Notat enim Andernacus, aquas nonnullas medicatas, etiam actu frigidas, cum ſonitu quodam effluere, non ſecùs ac ſi ferverent. *(c)*

a) *Matth. Hörnigk. in deſcript. font. acid. Ægrenſ. Sekleder c. 4.* b) *Sebiz. diſſert. 5. de acid. ſect. 1. poſit. 50. & 48. & coroll. cit. diß. & diſſert. 6. poſ. 20. ſect. 2. diſſert. 1. poſit. 123.* c) *Dialog. 2. de baln. 124. 127. 133. 134. 135. 138. & 147. Hafenreff. deſcript. font. acid. in Nideraw. c. 2. Agricol. l. 1. de nat. eorum, quæ ex terra effluunt. c. 26.*

LXXVII.

Elleboratum vinum elegans, & innoxium εὐπέριστον *optimum.*

Accipimus radicum Ellebori albi craſſiuſculè contuſarum ſemunciam: fiolæ indimus ac effundimus vini

vini Hispanici, quod Petrus Semenus vocatur, libram. Solibus æstivis exponimus. Damus cochlearium vini; validè vomitum movet, nec affligit admodum. Interdum semicochlearium miscemus cum aliis laxantibus; præclarè subducit alvum, sine vomitu. Quin linctibus, in empyemate guttulas aliquot miscemus, ac copiosissimè expectoratum moveri hinc videmus.

Heürn. de morb. mulier. p. 101. Forest. observ. l. 20. p. 427.

LXXVIII.

Præstans ἐμετικὸν.

Bryoniæ, cyclamin. cujusque unciæ tres: ellebori albi unciæ sex: purgentur accuratè, ac redigantur in pulverem: leniter siccentur in aëre: his affunde aquam vitæ: dum duobus digitis supereemineat: digeratur aliquot diebus in balneo: hinc lentè distillelur, dum nil ultra elabatur: quod restibile fuerit, iterum in pulverem redige, ac huic nuper extractam aquam iterum committe: id repetatur ter. Plumæ apicem huic liquori imerges, ac vino malvatico elues, quod propinatum illicò vomitum irritabit. Hæc vis ab elleboro micat.

Heürn. l. 2. Meth. M. c. 21.

LXXIX.

Hellebori & Veratri etymon, & cur album potius quam nigrum veratrum, vomitum cieat.

Helleborus Græcis dictus, παρὰ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod esu perimat, vel quod corporis cibum eripiat. Latinis Veratrum, quod mentem vertat. *(a)* Veratrum

trum album vomitum potius ciet, quàm nigrum, quia vapores ex se tenues & acres, os ventriculi erodentes, fundit magis, quàm nigrum. Intelligi hoc ex eo potest, quod naribus admotum (si leniter sit tritum) sternutationes longè potentiùs moveat nigro. *(b)*

a) *Bauhin. in pinac. l. 5. sect. 4. c. Fuchs. herb. c. 105. Codronch. c. 1. comm. de helleb.* b) *Erast. de medic. purg. facult. quæst. 2.*

LXXX.

Ellebori albi succus sanguini venenum, carni non.

D. Ferdinandus, S. M. Imperator, de succo hellebori albi, (quem Hispani Balistariam herbam vocant) quo venatores Hispani sagittas inficiunt, & feras, maximè autem Cervos, interficiunt, hæc commemorabat. Ineunte æstate, inquit, succum ex totâ plantâ exprimi, eumque æstivis diebus in Sole præparari, atque in bovino cornu asservari. Cautionem autem summam, ab iis, qui uti volunt, adhiberi, ne odor, qui è cidoniis expirat, hunc succum attingat. Subitò enim omnem lædendi vim amittere. (id quod referri non in aliud, quàm in formæ vim obscuram potest) Cæterum si lingua degustetur, nulli noxium esse, sanguini verò communicatum, exitiosum. Cervos vulneratos primùm quasi obstupescere, & perturbari, ita ut visus ereptus illis esse videatur, circumire in gyrum, concidere deinde, & summum intra dimidiæ horæ spacium extingui. Carnem innoxiam esse, ac tantùm eam partem, quæ vulnerata est, abjici. Eadem hæc Generosiss. Palatii Imperatorii præfectus, D. Adamus Dietrichsteinius commemoravit & confirma-

firmavit, atque addidit: Asello, cui ex oneribus ferendis dorsum attritum atque sauciatum fuerat, impositum Cervum, eo modo, ut dixi vulneratum & interfectum, sanguinem, qui ex vulnere manabat, Asini vulnus fortè attigisse, atque isto modo Asellum sic infectum, ut priusquam impositum Cervum domum perferret, in itinere mortuus concideret. Imperatorem Rudolphum II. Augustum, vulneràsse sagittâ cervi tenerum & lacteum cornu, eumque statim fugâ, tanquam nullum vulnus accepisset elapsum. Post aliquot horas, cùm ex venatione redirent, mortuum repertum. Lacteum enim humorem istum germanum esse sanguini, Hipocrates nos docuit.

Crato in epist. Scholtz. ad Ph. Jordan. epist. 139. edit. post. fol. mihi 242. l. Costaus l. 2. de univ. stirp. nat. c. 15. vide cent. 3. nostr. memor. part. 55. & 56.

LXXXI.

Singultus remedia.

In Convivio Platonis aderat conviva Aristophanes, qui corripitur singultu, ut ferè fit, cum nimis festinanter edimus: aderat & Eryxymachus Medicus, hic jubet Aristophani, ut spiritum contineat: quia inde, inquit, calor intro coactus augebitur, cujus beneficio vacuabitur materia singultus; hac tamen viâ, non liberato Aristophane, suadet ut aquam frigidam ore contineat, descendit enim ad os ventriculi. Cum non quiesceret singultus, instituit postremò sternutationem, qua irritata, singultu levatus est Aristophanes. Est ergò remedium veterum contra singultum. Nam in sternutatione cerebrum, nervi, ventriculus vehementer concutiuntur, con-

cusso

cusso cerebro & ore ventriculi, ubi est singultus, vacuatur plenitudo, causa singultus. Aliquando tamen nascitur frigefacto ore ventriculi, & tum non difflatur materia. Itaque sternutamentum concussione suâ calefacit & rarefacit materiam, unde sedatur singultus. At singultus ab inanitione non sedatur iis viis.

Holler. Heürn. & Viscer. in explic. aph. 13. l. 6. Hippocr. Galen. ib. de diffic. spir. l. 3. l. 2. de caus. sympt. c. 6. Forest. l. 3. schol. ad obs. 15. l. 18. schol. ad obs. 12. Cent. 2. nostr. memor. part. 53.

Commune Mulicularum proverbium, singultientem furtivos devorâsse cibos, nec omninò ratione caret, nec semper tamen verum est. Hamberg. in app. disp. de sing.

LXXXII.

Experimentum ad singultum.

Ad singultum, sunt quædam vulgaria, ut experimentum, quod probari vidimus, compresso utrinque ad latera medico digito dextro, rei tristis narratio, aut insolitæ timor, aliò videlicet seducta virtute animali, quæ respirationem facit. Anisum quoque peculiari ratione singultui medetur. Cuidam nullis remediis cedebat singultus, nisi vino Hippocratico albo: cui refrigeratum fuisse ventriculum par est.

Holler. schol. ad cap. 33. l. 1. de morb. intern. Idem, Periochè 8. ad lib. Galen. de comp. med. sec. loc.

LXXXIII.

Obstetricum erratum, in præligando umbilico infantum.

Compertum est, quibus infantibus à partu, ante inci-

incisionem, quemvis in vena umbilicali sanguinem violentè ingerunt & intrudunt Obstetrices, (ne scilicet esuriant, quasi fames istis sit metuenda, quibus natura os statim aperuit, gulam perviam fecit, appetitumque simul concessit, ita ut eum sæpè indiciis manifestis prodant: nec ventriculo officiū coquendi denegavit, naturâ simul & facultatem & instrumentum dante: insuper etiam fidelem cibi administram voluerit esse matrem, cui statim à partu, nisi quod vitium est in angustiis venarum, vel aliud, lacte replet mammas, aut si hoc deest, alius conveniens cibus suppetit) eos aut valetudinarios fieri, longoque & periculoso conflictari morbo, aut brevi mori. Scelus istud excusaturæ postea, ajunt Epilepsia interfectos esse, cum ab obitu, circa umbilicum, totâque illa parte inferiore, usque ad plantas venenato illo sanguine erubescant & interdū atro colore inficiantur, neque quicquam Epilepticarum convulsionum in plurimis spectetur, quamquam hoc morbi genus ex malitia vaporum inde halantium exoriri, non est absurdum.

Libav. de cruent. cadav. p. 345. & seqq.

LXXXIV.

An pulmo peculiarem vim movendi habeat? Negatur.

Pulmonis motum à thorace esse, experientia constat. Nam si thoracem penetrante vulnere percussum aer ingrediatur, immobilis pulmo manet, quia thoracis dilatationē sequi non potest, aëre se per vulnus in spatium inane insinuante. At integro thorace, ejus amplificationem sequitur pulmo, ob fugam vacui.

cui. *(a)* Verùm (addimus) natura necessitatem motûs pulmonum agnoscens, ne confosso thorace, pulmonũ dilatationem, quæ vacui fuga fit, penitùs impediat, eos pleuræ adnecti voluit, ut sic pulmones necessariò thoracis dilatationem sequantur. *(b)* Et hoc ipsum Archangelus duplici experientiâ probat. 1. Vidi in viro, inquit, mihi familiari, qui è vitâ migravit, Pulmonem totum tenacissimè adhærescentem undique costis omnibus, & tamen in eo nulla erat spirandi difficultas. Quare sic tenaciter adhærescentes, necesse erat eos duci & reduci à dilatatione & astrictione thoracis. 2. Cuidam vulnus inflictum fuit in latus sinistrum, amplum & patens, per quod pulmo & facilè videbatur & facilè tangebatur, qui flaccidus factus & in sese concidens non movebatur ad motum thoracis, sed duntaxat tremere videbatur, & leviter palpitare: ob eam quidem causam, quod capacitas thoracis aëre externo per vulnus ingrediente implebatur. Quocirca cùm non daretur vacuum, aëre per vulnus intromisso, pulmo thoracis motum non sequebatur; ex quibus constare debet, cum pulmones benè affecti sunt, nec costis implicati adhærescunt, moveri fuga vacui. Si enim flaccescentes & quasi corrugati persisterent pulmones, & thorax dilataretur: profectò inter pulmonem & dilatatum thoracem vacuum reperiretur: quòd natura summè abhorrens & fugiens, præscripsit, pulmones moveri, scilicet dilatari ad motum thoracis fugâ vacui. Nam quando pulmones contrahuntur, non contrahuntur fugâ vacui, sed vel compressi à thorace coangustato, vel aëre è pulmonibus per exspirationem exeunte, vel utroque modo.

a) *Ga-*

a) *Galen. l. 8. de plac. Bartolin. instit. anatom. l. 2. c. 9. Knobloch. Disput. anat. 8. quæst. 2. Preibis. somatol. disp. 6. theorem. 10. Zwing. Physiol. l. 2. c. 54. Varol. anat. l. 2. c. 3. Vesal. l. 6. c. 4. de hum. corp. frabric. Laurent. l. 3. anat. c. 12. & quæst. 20. hæc habet: Nos cum Galeno, & Medicis omnibus Pulmonem nec propriâ & insitâ vi moveri volumus: ubi enim fibra & filamentorum robur? nec à facultate cordis pulsatili, quâ agitantur arteriæ: intermittit enim aliquando pulmonum motus, & nunc varior, nunc frequentior est, nunc tardior, nunc velocior, pro voluntatis arbitrio: nec à facultate animali, quia musculi nulli adsunt, sed moveri existimamus pulmonem, motu accidentario, quia thoracis motum sequitur, ad vacui fugam. Distento enim thorace, impletur aëre pulmo, & amplificatur, contracto eodem, depletur & concidit.* (b) *Bauhin. l. 2. theat. botan. c. 26.*

LXXXV.

Affirmatur.

Non credendum ad motum saltem thoracis moveri pulmones, sed propriâ vi eos moveri statuendum est. Licet enim Thorax non moveatur aut quiescat, quin Pulmo quoque moveatur & quiescat: tamen neutrum alteri principium motus est, sed ideò saltem simul fiunt, quia in unum finem conspirant & destinati sunt. Quàm primùm enim pulmo attrahendi aëris necessitatem percipit, mox vis ejus naturalis attractrix excitatur, & aërem attrahere conatur. Ut verò id commodè præstare possit, & locum inveniat, in quo dilatetur, facultas animalis simul, cùm pulmo movetur, thoracem movet & attollit; postea, depresso pulmone, iterum thoracem comprimit. Neque so-

lùm ſimul fiunt, ſed & proportionem quandam inter ſe ſervant. Diſtenditur enim pulmo, ut aëre repleatur: verùm tantum aëris attrahitur, & tantum dilatatur pulmo, quantum thorax dilatatus ſpacii relinquit. Et contra thorax, plus vel minus dilatatur, prout plus vel minus aëris attrahendum eſt. Sed non fit ejus dilatatio, quia thorax extenditur; verùm ſuâ virtute Pulmo dilatatur & impletur, tantum, quantum par eſt, ut vacuum evitetur. Unde videmus in vivorum animalium anatomiâ, non ſolùm pectore vulnerato, omnino motum Pulmonum durare: ſed per vulnus etiam extra thoracem, lobos pulmonum extendi, & quidem ſuo motu ita moveri. *(a)* Ego, ante ſexennium, plùs quàm ducentis ſpectantibus, Wittebergæ, Pulmonum motum accidentarium, (ob fugam vacui) falſum eſſe oſtendi. Nam vulnerato vivo cane, per horæ quadrantem, maximo impetu pulmo moveri conſpectus. Quocirca ob ingenitam vim, pulmonem, veluti cor & arterias, moveri, eſt veriſimilius. *(b)*

a) *Sennert. inſtitut. l. 1. c. 11.* b) *Jeſſen. anatom. p. 73. b.*

LXXXVI.

Ulterior affirmativæ aſſertio.

Creditum eſt hactenus, magnum illud viſcus, quod in inſpiratione dum thorax diſtenditur, attollitur, aëreque undique impletur, thoracisque ſpacium opplet, iterumque expirando, pectore conſtricto in ſe ſubſidet, conciditque, aëremque follis alicujus inſtar per aſperam arteriam, tanquam canalem efflat, non alia illius vi, ſed ſaltem ad evitandam fugam vacui, ad motum thoracis voluntarium, qui muſculis perficitur,

citur, se accommodare, pectoreque ampliato, ne vacuum relinquatur, spatium inane opplere, rursumque ab eodem thorace contracto, & angustato, comprimi, aëremque sic tanquam è folle exprimi. Verùm, cum multa sint argumenta, quæ validum & magnum hunc Pulmonum motum, etiam ab innatâ illi quâdam movendi potentia procedere ostendant, non immeritò, à vulgatâ & hactenus in scholis Medicis receptâ opinione discedimus.

Primùm, quòd in moderatâ respiratione, quæ frequentior est, veluti cum non loquimur aut sonum edimus, vel dormimus, thorax vix dum, vel saltem tantillum, ut ferè non appareat illius motus, moveatur; atque talis respiratio septi beneficio, ut plurimùm perficiatur, pulmones tamen se dilatêt, rursumque concidant: ex quo apparet, thoracis cavitatem internam adeò amplam esse, ut etiamsi thorax non vehementer in respiratione se dilatet, pulmones nihilominùs spacium movendi obtineant. Nec enim ob septi solius levem motum hæc cavitas adeò ampliaretur, ut pulmo totus se tantopere dilatare cogeretur: neque etiam totum thoracem tunc impleret, sed tantùm infimum thoracis spacium, quòd aliquousque saltem vacuum ex septi motu fieret.

Dein & cùm in Apoplecticis, motus voluntarius totius corporis penitus sublatus sit, uti & septi & thoracis, quomodo hisce imotis, pectoreq; ne minimùm dilatato, pulmo nihilominus movebitur, cum nullum vacuum hîc, hisce non ampliatis occurrat; videamus tamen respirationem, eamque sæpè validam in Apoplecticis aliquandiu perseverare, pulmonesque adeò se movere, necessitate impulsos, ut & ad thoracem

aliquousque extrorsum, ut se dilatet, non ex voluntate nostrâ, sed hac vi pulmonibus indita, impellant, cùm alioquin ratione musculorum, moveri minimè queat.

Sed & magnitudo & pondus hujus visceris, quo ferè non est majus in corpore, motusque quem obit vehemens, ostendunt, Pulmonem fugâ vacui solâ, nisi innata illi accederet vis, adeò attolli & dilatari minimè posse.

Uti & Cor ipsum, etsi inania circa ipsum sint spacia, nullo modo ob fugam vacui, sed propriis viribus, sicuti & arteriæ, moveri constat.

Accedit & firmissima hæc demonstratio. Quòd etsi nullum in thoracis cavitate sit vacuum, tamen pulmo in respiratione nihilominus moveatur; sicuti vulnerato pectore, vulnereque patente longo tempore, videmus accidere, ut per illud aer subiens, spatium thoracis non sinat esse vacuum, & nihilominus Pulmo moveatur, quod minimè fieret, si ad fugam vacui moveretur, uti & follem pertusum non ampliùs aerem, cum dilatatur, attrahere observamus.

Licet autem ex voluntate nostra respirationem aliquandiu continere, vel eandem etiam concitatiorem & frequentiorem reddere, pulmonumque motum hoc thoracis motu, vel impedire, vel promovere queamus, nec illud tamen eos ad fugam vacui moveri comprobat, sed hoc tantùm sequitur, liberiùs eos ampliato pectore moveri, eoque constricto rectiùs in se subsidere, magisque verisimile, cùm respiratio, aerisq; in ea attractio adeò sit necessaria, quæ pulmonibus perficitur, pulmones primùm innata vi ad motum

tum concitari, & voluntatem nostram monere & impellere, ut thoracem dilatemus, ut pulmo rectiùs in magnis præsertim exsufflationibus se possit extendere, aeremque copiosiùs haurire. Ob quam causam, etiam nil de ea cogitantes, vel etiam dormientes, pulmo ad motum sponte impulsus, nos ut thoracem dilatemus urget.

Sicuti & in alvi dejectionibus accidere observamus, primùm naturalem intestinorum facultatem expultricem insurgere, & ad excrementorum propulsionem stimulum addere, eamque voluntatem nostram, ut suppetias ferat, excitare: quâ adjuvante, naturâque impellente, dejectio fit, similique ratione & urinæ emissio, & fœtûs expulsio: mistusque sic ex utrisque motus obitur.

Ita ob necessitatem illam inspirandi aërem, pulmones motu proprio dilatatos, si magna fieri debeat inspiratio, ut thorax ex voluntate nostra illi cedat, voluntatem nostram solicitare, rursumque in valida exsufflatione, thoracem ut pulmones validius illud agant, veluti follem manibus solemus, ita hic thoracem comprimere animadvertimus.

Nec, quod validius hic pulmonis & magnus sit motus, eum non posse motu proprio hoc efficere, sed fuga vacui, comprobare poterit, cùm naturales aliqui motus, ut nutritioni & generationi inservientes, non apparenter & sensim fiant, sed & hoc etiam validè propriis viribus, motu naturali, nulla accedente fugâ vacui, in cordis & arteriarum motibus fieri videmus, adeò interdum violenter in cordis palpitatione, ut costam inde disruptam, seu potiùs, ut nos putamus, luxatam testetur Fernelius. *(a)*

Imprimis etiam Pulmonis cum corde & arteriis connexus, vasorumque mutua communicatio, è quibus vena scilicet arteriosa, atque arteria venosa, pulmonũ substantiam magnâ ex parte constituunt, vim hanc illi à corde subministrari posse, ut motu etiam proprio moveri queat, demonstrare & comprobare videntur. Eoque magis, quòd & fungosa pulmonum, apta ut dilatetur & subsideat, sit substantia.

Non negamus interim, voluntarium hunc thoracis motum, cum naturali pulmonum, in respiratione sic concordare, ut thorax se dilatando pulmonibusq; cedendo, amplius spacium, quo se pulmones latiùs extendere, aëreque impleri valeant, efficiat; & dum concidit, pulmones comprimendo, ut majori impetu, follis instar pressi, aërem in valida exspiratione exsufflent, adjuvet. Uti & quòd pulmo thoracem aliquo modo possit impellere, ut si vel non opus sit thoracem universum in levi respiratione moveri, nihilominus illi tantillum cedere possit, vel cùm omninò motus ipsius, uti in Apoplexiâ, est abolitus, tunc Pulmonum motu tantùm perseverante, thorax quoque ab illis impulsu, nonnihil assurgat.

Magnum argumentum etiam hoc est, pulmones non fugâ vacui, sed spontè moveri, quòd etsi portio illorum aliqua, interdum etiam major, adeò ut sæpè penitùs ferè vel semi absumptus in Phtisicis deprehendatur, nihilominùs moveatur, cùm tamen tunc vacuum, quod thorace dilatato, in eo sequitur, adimplere minimè possit, quod tamen requiritur, si aliquid fugâ vacui sequi & in illius locum cedere debet. *(b)*

a) *libr.*

a) *libr. 5. patholog. c. 12.* b) *Plater. in quæst. physiolog. quæst. 29.*

LXXXVII.

Pulmo cur dilatetur.

Pulmo non dilatatur, quia repletur, *(a)* sed repletur, quia dilatatur. Si enim dilataretur ob repletionem, sicut vesica, quæ inflatur, aliunde aërem in pulmonem immiti, & quasi inflari necessum esset: sed repletur, quia dilatatur suapte naturâ, ad modum follis scilicet. Id quod non solùm in vivorum sectione apparet, ubi aperto & vulnerato thorace, neque ratione vacui, & ad motum thoracis solùm, pulmo movetur; neque ipse thorax suâ dilatatione aërem, qui consequenter pulmones impleat & dilatet, attrahere potest; utpote qui vulneratus & apertus sit, & ratione vacui aërem attrahere non possit: verùm & ex eo colligi potest, quod in quibusdam cerebri affectibus, in quibus motus thoracis aboletur, respiratio nihilominus superest, eaque sæpè tàm levis, ut vix per plumam ori admotam possit deprehendi.

Sennert. l. c.

LXXXVIII.

An Diaphragma sit causa Risus?

Plinius l. 11. c. 37. Aristoteles l. 7. de part. cap. 10. scribunt, vulneratis in bello circa præcordia risum accidisse præter naturam, sine dubio ob calorem Diaphragmatis excitatum à plaga sive vulnere. Est enim titillatio Aristoteli nihil aliud, quàm Risus, ex partis, quæ subter alas est tractatione, qua perculsum cor

calorem ad vicinum diaphragma transfundit. Quamquam & in aliis corporis partibus titillatio accidit, ut in plantis pedum & aliis, unde tamen diaphragmatis concussio ita manifestè non fit, neque tàm copiosa spirituum effusio, sed & antequam quidem tangantur, titillationis sensum sibi percipere videntur, quoniam Cor futuram molestiam propulsurum, spiritum & calorem ad vicinas partes emittit, ut titillatio oriatur. Minùs autem facilè, si seipsum quis titillat, quia contrectatio ista, cum propria sit, sensum quodammodo effugit, & ad arbitrium quoque intermitti potest. Risus igitur, qui vulneratis illis accidit παρὰ φύσιν planè fuit, de quo etsi tanquam de comperto pronunciat Plinius, Aristoteles nihil certi affirmat, hoc solùm addens, quod magis ἀξιοπιστὸν sibi id videatur, quàm quod à quibusdam traditum est, caput hominis de cervice præcisum locutum fuisse, quod fieri posse disertè negat. Ejusmodi risus præter naturam est Sardonius, ab herba Sardoâ conciliatus, quâ vescentibus nervi contrahuntur, & os variè deducitur, ut ridentium facie intereant. Alius verò est Risus κατὰ φύσιν, isque ex causâ externâ, vel internâ est. Ab externâ causâ est, qui ex titillatione fit diaphragma calefaciente, quando quis aliquem ex improviso tangit; vel ab internâ causâ Risus est, qui gaudium comitatur, quando nimirum cogitatio vel memoria rei jucundæ cor ex voluptate perfundit. Unde Plato ait, quod Risus ex voluptate cordis oriatur, quæ voluptas cum θερμασία quædam aut calefactio sit Aristoteli, cor suaviter afficit, ut se dilatando spiritus & calorem copiosiorem effundat, quo calefactum & titillatum quasi diaphragma

gma vibratur, ſimulque muſculi thoracis & faciei commoventur, ut diducto ore ſpiritus emittatur. Itaque.

Riſus naturalis definitur,

quòd ſit vibratio Diaphragmatis & muſculorum thoracis, atque oris facta, conferta & plena caloris & ſpiritus è corde & pulmonibus effuſione, cum ſono aut voce, ad ſignificandum gaudium, quod ex re grata in corde exiſtit. Nec tamen riſus fit ex gaudio, alioqui is brutis quoq; ineſſet, ſed ex gaudio cum admiratione quâdam, quam novitatis ſpecies parit conjuncta, quæ cauſa eſt, quod

fatui & pueri ad riſum magis ſunt proclives, quoniam iis ob rerum imperitiam omnia nova & inſolita eſſe videntur. Riſus autem qui per iram fit, oris tantùm affectus eſt, neque diaphragmatis, aut muſculorum thoracis agitatione perficitur.

Knobloch. diſp. 9. anatom. ſub fin.

LXXXIX.

Admirabilis Patris ad Filium antipathia.

Pater quidam ita averſatus eſt filium ex conjuge legitimâ ſuum, ut aliqui ſolent feles, idque tùm à partu ſtatim, tùm poſteriore ætate etiam mutato temperamento qualitatum elementarium. Nam cum juberetur recens natum amplecti, abhorruit, nec poſtea tulit ejus præſentiam in eodem conclavi, abſque lipothymia. Jam enim duodenarius, duodecim aliis ſimiliter veſtitus non admonito patre, cùm ſatis jam diu in convivio miniſtraſſent reliqui, ipſe interim tanquam qui priùs

priùs quoque mensæ astitisset, intravit. Sed dum conspectus à patre, ipseque etiam ignorans, quinam esset inter convivas, intulit ei pristinam affectionem, lipothymia cum angore sudoreque invadente. Itaq; jussus discedere filius, perpetuo postea divortio à Patre est sejunctus. Narrabat Jenæ fide dignus Georgius Mylius Theologus.

Libav. l. 2. singul. p. 116.

XC.

Esu radicis Angelicæ sylvestris, Epilepticus factus; folia Sinoviæ dicata.

Puer 5. annorum, alioqui valdè agilis, cum jejunus esset, ac radicem Angelicæ sylvestris comedisset, ingenti dolore stomachi correptus, mox Epilepticus concidit corpore toto, ac manibus simul convulsis ad 5. horas: qui tandem difficulter à me curatus fuit. *(a)* Folia in vino decocta, si illud bibatur & admoveatur, admodum probatur in ulcere Gliedwasser reddente. *(b)*

a) *Forest. l. 18. schol. ad observ. 23.* b) *Plater. de dol. p. 918. Sinoviæ unde deducta sit vox ignoro. Josquin. Dalhem. Ostofrancus qui Paracelsum latine reddidit 1. part. Chirurg. magna tract. 2. c. 11. & Felix Wirtz. Chir. Basiliensis. part. 3. chir. c. 5. sub ea voce* das Gliedwasser *intelligunt. Fabric. epist. cent. 1. ep. 53.*

XCI.

Anisi vis in pueris. 2. diuretica.

Usu comperi, à seminis Anisi scrupulo crassè comminuto, jam recens natos puerulos commodissimè à viridi bile & fœdâ pituita purgari, (non aliter ac si senior

mior Rha-barbarum sumsisset) cùm pultem saccharatam sumunt, primo cochleari inditur, ac illis exhibetur: clamosos ventris dolores quoque & tussim sedat. *(a)* Comestum fœtidam urinam reddit, propter humorum putridorum colliquationem. *(b)*

a) *Heurn. Meth. ad prax. l. 2. c. 26. sub finem. comment. in aph. 24. lib. 3.* b) *Zuvinger. l. 2. physiol. c. 50. p. 683. & 691.*

XCII.

Ex strictioribus, arctioribusq; infantulorum involucris, gibbositas.

In quibusdam regionibus & familiis moris est, ut infantulos statim à partu involvendos (nescio quibus de causis) fasciis arctè nimis stringant. Unde sæpiùs evenit, ut eorum corpora & artus gibbis, aliisque deformitatibus genuum ac tibiarum &c. protuberent. Quin autem ob strictiorem involutionem id accidat, non est, quod quisquam dubitet: siquidem ossa adhuc tenera, mollia & cartilaginosa facile retorquentur, extraque sedem naturalem reprimuntur, quæ dein paulatim excrescentia indurescunt, id quod ego in multis observavi. Nutrices quoque nonnunquam studiô infantulorum decorandorum gratiâ (sicuti ipsæ quidem existimant) capita eorundem fasciis arctiùs constringere consueverunt, ut in longitudinem excrescant. Sed quemadmodum gibbus pulmonem opprimit, atque difficultatem anhelitûs seu asthma parit: sic quoque cranio compresso & in longitudinem extenso, cerebrum ejusque ventriculi simul comprimuntur. Unde spiritibus non satis præparatis, atque elaboratis, caput debilitatur, catarrhisque fit

ob-

obnoxium. Et si hujusmodi pueri adolescant, quod tamen rariùs accidit, ingenio sunt tardiori, hebetiorique.

Fabric. centur. 2 observ. 99. Sennert. l. 2. instit. part. 2. c. 13.

XCIII.

Odium inter Filicem & Arundinem unde?

Filici & Arundini illæ sunt inimicitiæ, ut altera alterius copia circumsepta, veluti inimicâ manu oppressa intereat, quod experimentum probat. Si enim, ubi Filix veteri jam stabilique hospitio plures egerit annos, Arundo quoque feratur, ita ut Filicem ambiat; ubi profecerit, excreveritque Arundo, exarescit Filix, id quod quidem adscribi naturæ soli non potest, quando eodem in loco ille antea exultabat. Interior igitur hujus erit causa maleficii, eaque non alia, quàm peculiaris formarum facultas, invicem adversa, cujusdamq; veneni vices gerens. Sicque continua halituum suorum efflatione Arundo, quasi regulus quidam Serpens, Filicem interimit. Sic è converso Filix si Arundinem ita intercipiat ut illam numerosa sobole exuperet, inimico suo halitu eam necat; atque adeò hæc privata suarum formarum vi in hunc sese modum odio mutuo prosequuntur. Sed fors, non aliud inter Filicem & Arundinem inimicitias parere putandum est, præter alimentum. Filix enim pinguia sponte amat loca; Arundo macris felicius provenit, proptereaque si utraque pingui macrové constiterint loco, tabescere earum alteram oportet.

I. Costæus de univers. stirp. nat. l. 1. c. 23. l. 2. c. 15. Dioscor. l. 4. c. 165.

Arun-

Arundo contrita & imposita corpori filicis stirpem extrahit, item arundinem filicis radix. Plin. l. c. 11.

XCIV.

Vanitas de Filicis semine.

Falsum & commentitium haud dubiè est, quicquid Neoterici aliqui de Filicis semine fabulantur, quòd scilicet unâ Solstitiali nocte floreat, eademque horâ, cum defloruit, maturum in terram semen cadat: ideoque nisi quispiam tunc affuerit, nec videri florem, nec colligi semen posse, tùm quia incredibilia sunt, tùm quod omnes, Theophrastus scilicet, Galenus, Dioscorides, Plinius sterilem & sine semine dixerunt. *(a)* Neque etiam Medici, vel Arabes, vel Persæ ad magicas vanitates nati, seminis hujus meminerunt. Quapropter omnia hæc Agyrtarum commenta esse videntur, humanæ ignorantiæ ad quæstum impudenter illudentium: quę certè vel unâ hac ratione abundè satis confutari possunt, quòd cuncta illa fieri & observari, natali nocte D. Joannis Baptistæ præcipiunt, cum natalis ea nox & solstitialis illa 12. dierum numero nunc inter se distent. *(b)*

a) *Cæsalpin. negat. l. 16. c. 2.* b) *Fuchs. in histor. plant. c. 229.*

Filices mas, & fœmina, flore, semine & caulibus deficiunt, & veluti tristes mero folio contenta sunt: neutra danda gravidis: nam abortum inferunt; fœtaeris, in totum steriles redduntur: earum vires Natura solertiate addidisse putatur, Theophrasti autoritate l. 9. hist. 20. Plin. l. 27. c. 9. immò qua eas supergradiuntur, abortiuntur, Porta l. 6. Phytogn. c. 1.

XCV.

XCV.

Plumbum liquatum ut manu tractetur.

Hybiſci radices, Portulacæque ac Mercurialis ſuccus, cur manus ad liquatum plumbum impunè tractandum muniant, quis intelligit? Et ſuſpicari quidem licet, hæc tùm ſuâ frigiditate hebetem ſentiendi vim reddere; tùm lentore, quo manum veluti tunicâ quâdam veſtiunt, ignis arcere injuriam: tùm etiam ob inductam manui lenitatem fuſum metallum facilius delabi, minusque hærere, quàm, ut ſubire in manum calor valeat, ex quâ causâ Philoſophus eos calidæ perfuſionem aquæ minùs ſentire ait, qui peruncti ſunt oleo. Cæterùm quando hos effectus Solanum ſuperioribus frigidius, glutinoſiusque non præſtat, habere ſuperiorem cauſam videntur, & non temerè referri in formam.

Coſtaus de univ. ſtirp. nat. l. 1. cap. 25. l. 2. cap. 24.

XCVI.

Elephantus, ejus genera, nomina & qualitates.

Elephantus terreſtrium omnium maxima bellua; ſed non maximè bruta. Senſu enim intellectionis, cùm per ſe, tùm ad diſciplinam maximè viget. Lunam ſalutare, poſtquàm aſperſu aquæ ſeſe purificârit, quod inter narrationes Græcas referendum cenſeo: addunt & ſolem exorientem certis geſtibus adorare. *(a)* Barrum Afri vocant. Latini, quia primi, ab ipſis, in Lucanis, Pyrrhi Regis bello viſi Lucas Boves appellârunt. Eorum Indi maximi qui Praſſii dicuntur, novenûm cubitûm altitudine, quinûm latitudine, pro-

proximi qui Taxilæ vocantur: sunt præterea Africani: deinde Arabes minimi, quos nothos vocant. Indorum Taprobanici præstantiores sunt, quàm qui in Continenti oriuntur. Durissimum tergum, rarissimus pilus contigit: etiam in cauda non multùm frequens, quam suillæ specie gerit: cutis cancellata. Promuscide pro manu utitur, quam etiam in eo manum vocant: oculis pro corporis ratione parvis: auriculis demissis: dentibus duobus, ut Apris exertis maximis: ob quos ajunt se peti scire: quare visis venatoribus primos constituunt, quibus minimi sunt dentes, ut minuant existimationis spem: tandem circumventi frangunt ad arborem, ut se se redimant prædâ: horum situm Aprorum dissimilem quidam ajunt, cùm horum sursum, eorum verò deorsum spectent: quod falsum est: quamquam fœminas tales gestare dicat Aristoteles. Olim summo in precio Ebur: nunc summa vilitas. Expetitur rarò ulli operi, præterquam pectinum. Dentium usum atque officia eos partiri ajunt. Altero radices fodiunt: alterius mucroni parcunt ob pugnandum: eorum candore juventa dignoscitur: pedes habent priores posterioribus majores, quibus digiti quinque informes & indivisi insunt. Nigro sunt colore, candidum unum legimus in monumentis literarum. Eumque pro altore suo ita pugnasse, ut fugatis insectatoribus, partim etiam occisis, levatum terra in stabula detulerit: in Æthiopia infima ajunt Elephantos esse maximos, eosq; omnes albos. Illud non minus miraculum, aut mendacium: non transire maria, nisi promisso reditu, etiam jurejurando. At docilitatis esse miræ, ac jussa facere certum est. Saltare ad tibiam & tympanum:

panum: *(a)* at noctu meditari præcepta, quæ interdiu dictata sunt, nescio cui, aut quomodo id cognitum esse possit: nosse autem sua nomina, cum canibus id commune habent. Maximæ sunt memoriæ, agnitumque in senecta ab eo eum, qui in juventa rector fuisset, constat. Item accipere stipem à populo, & Rectori porrigere: unum etiam finxisse iram, atque arrepto puero, elatoque in altum non amisisse, metu per jocum hactenus facto. Ivisse verò per epulantium triclinia sine nocumento, mihi incredibile fit: neque si vellet, tanta moles posset: ut taceam eos per funes incessisse à Plinio *(b)* scriptum: quæ enim contentio, aut qui demum funis tàm bello funambulo satis esse videatur? ut & perfidus sit aucto mendacio. Aversos quoque subire funes, atque etiam regredi, victum victoris vocem fugere credibile est: sic facit Gallinaceus & Canis. Terram & Verbenas porrigere qui credit, etiam Elephantum homini præferat. Oderunt adulteria, quàm qui maximè, ut ea etiam nonnunquam detexerint: ferunt quoque, eos adulteros deprehensos transfixisse: alii addunt transfixis illis veste stragulâ turpitudinem contexisse: advenientique alteri suo relicto operimento uxorem mœcham, atque adulterum ostendisse. *(d)* Cùm amnes tranant, vitulos tenellos, natandi invalidos, dentium eminentiâ sublatos, ad frontem ferunt. Quod officium miror quare Matribus attribuerint, cùm fæminis dicantur ab Aristotele, ut à nobis relatum est, dentes non sursum, sed deorsum spectare, superiori de maxilla demissos. Algoris impatientes sunt: aquas amant, (sed profundiores *(e)* horrent) atque earum frequen-

quentes accolæ. Negat Aristoteles, præ ponderis vastitate natare posse, sed vadare extante extrema promuscidis orâ, per quam spiritum recipiant. Sed hoc falsum est. Nam Balæna longè vastior, tamen natat. At Balænæ natatus à naturâ datus: nam quid in mari ageret. Elephanto autem inutilis, nisi aliquando ad transfretandos amnes. Satis habet si aliquantulum nandi facultatis habeat pro necessitate. Qui verò scripsêre, in digitos pedes divisos esse, verum prodidêre: atcùm reddunt sic: ex quo fit, eos minimè habiles ad natandum: digni non sunt, qui refellantur. *(f)*

a) *Joach. Camerar. centur 2. emb. ex quatrup. embl. 1.* b) *Plutarch.* περὶ ψυχῆς. c) *l. 8. c. 2. & 111. Seneca. epist. 86. Sueton. in Neron.* d) *Ælian. l. 10. c. 15. libr. 8 c. 17.* e) *Lipsius l. 1. epist. 50.* f) *Scalig. comment. in Aristot. histor. de anim. l. 1. text. 94. l. 2. text. 133. l. 9. text. 495.*

XCVII.

Elephantos venandi multiplex ratio.

Venandi multiplex ratio, alii cicuribus insidentes feros insequuntur: pugnâ commissa defatigatos conscendunt ac regunt: alii excelsa arbore occulti, in prætereuntis dorsum extremum desiliunt: apprehensaq; caudâ quàm celerrimè possunt poplites succidũt: aliquando eliduntur belluæ ruinâ: alii in convallem manu factam, longâ fugâ agitatos impellunt, ibique conclusos domant: alii arcubus humi fixis ingentibus, multâ operâ contentis, jacula procul dirigunt: vulneratum sanguine observato tandem adipiscuntur. Mirum quod addunt, cùm in foveam u-

nus delatus sit, ab aliis aggerem in cavum ingeri, ut sternatur iter exituro. Argumentum amissæ feritatis, ramus à domitore pacatè acceptus. Quamdiu rectore insidentur, parent omnes. At ille ubi desiluerit, non omnes servant mansuetudinem. Itaque catenis vinciuntur, præsertim pedes primores, verberibusque aliorum Elephantorum castigantur. Turriculas ipsis imponunt, in quibus duo cum minimum propugnatores: tertius regit belluam, voceque jubet quid agendum ei sit: ad xv. armatos etiam ajunt aliquando visos gerere: mollius incedit juvencus Elephas: adultis fluctuat dorsum: genua flectit sessorem accepturus dorso: neque loro aut fræno regutur, sed jussu tantùm. Alii foveis instratis frondibus incautos excipiunt: fameque domitant: hordei succo facilè mitescunt. Neque verò semper eos fallunt foveæ: sed animadversis illis, tùm vitant, tùm circumacto itinere directò in venatores impetum faciunt: visa est fœmina Elephas, cum soboles in foveam incidisset, sese in eandem dedisse præcipitem. Cæteri profligati conferto agmine abeunt: mutilis inutilibusque in medium receptis pro eis pugnant. Hausta hirundine vehementer cruciantur hærente peste visceribus. Ignem quoque magnopere exhorrere perhibentur: itaque eos incensis silvis circumventos capi. Mares tamen alii animosiores, alii fæminas dixerunt, atque oneribus portandis firmiores: tanta est inconstantia mendaciorum. Alia venandi ratio fœminas, ad quarum auditus cum irruant mares, per pontem eo consilio factum ingrediuntur. Tùm venatores pontem demoliuntur: illi cadunt: domant circumsectâ colli cute, &c.

Scal.

Scal. comment. in Arist. hist. de animal. l. 2. c. 18. text. 133. Sebast. Münst. cosmograph fol. m. 805.

XCVIII.

Elephantes se mutuo intelligunt: aliquando loquuntur: scribunt.

Vulgaris opinio est, in provincia Malabar Elephantos se mutuo intelligere. Loquutum autem aliquando in Urbe Cochin (quæ illius provinciæ nobilis civitas est) publico testimonio constat hoc modo.

Elephas quidam in littore maris urbi vicino laborare solitus, jamque laboribus fessus, domum redire properabat, ut quiesceret: Præfectus verò illius urbis orabat illum, ut in labore pergeret, atque liburnicam, quam jam commovere inceperat, in mare traduceret: renuentem Elephantum Præfectus denuò compellare, blandisque verbis demulcere cœpit, id in suam gratiam faceret, ita enim decere, quandoquidem in servitium esset Christianissimi Regis Lusitaniæ. Hîc Elephas motus, clarè hæc duo verba ingeminat, Hoo, Hoo, quod Malabarum lingua est, volo, volo, ac sine morâ navim traxit in mare.

Elephanti cuidam ad horam cibus non oblatus; Queritur & barrit. Magister excusat, & vas æneum ejus cibarium ostendit perfluens & pertusum, caussam hanc moræ esse, quod cibi non ultra tenax, jubet igitur, si esse velit, ad fabrum ferrarium ferat reconcinnandum. Ille paret, promuscide aufert, fabro offert. Cacabarius negligentiùs reparat. Elephas refert. Herus vitium videt & indignatur, inclamat illum absentem, hunc præsentem, denique redire ju-

bet, cum illo ipſo vaſe. Facit, & fabro querulus impingit. Ille homo ſua vis iterum imponere conatur, & admoto malleo claudere rimam ſimulat, non claudit. Nec tamen imponit. Nam ille cautus lebetem reſumptum ad flumen defert, immergit & aqua implet periculi faciendi cauſa. Videt effluere. Plenus igitur iratum ad fabrum recurrit, intonat magna voce, confluunt vicini & inter eos Vicarius Regis. Faber blandis verbis demulcet belluam: vas denique ſumit & refingit probè atque ex fide. Sed ille ne tùm quidem fidit, iterum ad flumen & ad hauſtum, dum contineri aquam videt, vertit ſe ad ſtantes, oſtendit, velut teſtes eos advocans in hoc factum, ita demum abiit domum. *(a)*

Grandia hæc, grandia: tamen de illis artibus quid dices, quæ non niſi propriæ videntur humanæ mentis? legere aut ſcribere, quis ab homine ſejunget? ego: niſi ſi elephas inter eos. Nam is quoque ſcribit. Plinius è Muciano clarè adfirmat, quendam Græcas litteras pingere didiciſſe, eâque linguâ ſcripſiſſe. IPSE EGO HÆC SCRIPSI ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Et Philoſtratus: Scribunt igitur. Quod ſi hos duos teſtes elevas, Æliano quid facies. *(b)* qui oculis ſuis id ſpectâſſe, pænè per oculos ſuos jurat? Vidi, inquit, ego ipſe, quendam in tabula literas Romanas promuſcide ſcripſiſſe, ἀτρεμβῶς καὶ ἀτρέπτως (rectè & non contortè) Quin etiam cum ſcriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabulam erant: ut planè intentos diceres & ſcriptitantes. *(c)*

a) *Chriſtoph. Acoſta de Aromat. p. 22.* b) *l. 2. c. 11.* c) *Lipſius l. 1. ep. 50.*

XCIX.

XCIX.

Elephanti beneficiorum memores, gloriæ avidi, vindictæ cupidi.

Naturâ gratus est Elephantus, beneficiorumque memor, nec cuiquam nocet, nisi injuriâ affectus, aut dum certo morbo corripitur, quo veluti in furias agitur, quod singulis annis fieri solet: tùm enim nemini parcunt Elephanti, sed obvium quemque proterunt.

Accidit in Urbe Goâ, in qua legati Regis Lusitaniæ, qui Regiam potestatem obtinent, degere solent, ut unus ex Elephantis, qui istic ad Regis servitia aluntur, hujusmodi morbo correptus, vincula & catenas (nam solent ferreis catenis constringi & loco quodam concludi, donec morbo liberentur) disrumperet & per urbem vageretur: fugientibus verò omnibus, mancipium quoddam in ulnis filiolum gestans in platea obviam habuit, quod conspecto Elephanto exterritum ad suas ædes celeri cursu confugit, quas ut aperiret, filiolum humi ante januam exponit, moxque ædes ingressum januam occludit, præ metu filioli oblitum: Elephas puerum conspiciens, promuscide leniter sublevans, in proximum humile tectum, quod è regione istarum ædium erat, collocat, atque aspicit, an puer istic sine damno consistere queat, deinde furibundus ulterius progreditur: beneficii memorem, tametsi furens, sese ostendit hic Elephas, qui puerum non necavit, sed agnoverit filium ejus mulieris esse, quæ eas ædes inhabitabat, quæque illi & aliis domesticis Elephantis, quotiescunq; istac transirent, panem aut fructus dare solita erat: nam hu-

hujusmodi cibos & alia edulia, ante suas ædes venalia exponebat.

In ejusdem Urbis foro vagabatur hujusmodi furiis correptus Elephas: vir quidam æger effugere cupiens pronus cadit, Elephas minimè ei nocens promuscide comprehendit, & in scamno quodam deponit. Ajebat hic vir, eodem loco, illi ipsi Elephanto, antequam in morbum incideret, magnum quendam fructum, Jaca Incolis appellatum, sua manu præbuisse. Gloriæ avidi sunt Elephanti, cujus causa interdum mira facinora præstare conspiciuntur. Nonne in littore urbi Goa vicino quidam crepuit medius, dùm solus magnum æneum tormentum bellicum sublevare cupit ?; quoniam ipsius rector gravibus verbis objurgâsset & contumelia affecisset, ostendens illi duos juniores Elephantos adventantes illius ænei tormenti tollendi gratiâ? Uti beneficiorum sunt memores & gloriæ avidi, non minùs vindictæ cupidi esse deprehenduntur.

Miles quidam Cocci sive nucis Indicæ putamine domesticum Elephantum petiit, eumque in fronte attigit: Elephantus putamen colligit, & cum eo tempore injuriam ulcisci minimè posset, in os recondit, donec elapsis aliquot diebus militem in platea quadam deambulantem conspiceret, tùm demùm promuscide nucis putamen ore eximit, atque militi vicinior factus, in ipsum conjicit, deinde abit, veluti lætus, quòd injuriam sibi illatam ultus esset.

Alius quidam miles, in eadem Urbe Elephanto suum rectorem injuriâ affecisse visus est, quod ei in via minimè cedere voluisset: eam injuriam ulcisci cupientem rector vetuit. Post aliquot dies ministeria quæ-

quædam in littore Mangate fluminis (quod Urbem Colchim alluit) absente suo rectore obiens, militem cum aliis quibusdam sermones conferentem conspicit, promuscide eum corripit; nec eorum qui ipsum rogabant, ut militem dimitteret, voces moratus, aliquoties flumine mersit, subinde eum in altum sublevans & aquam qua madebat defluere sinens: deinde cum injuriã suo rectori illatam probè ultus sibi visus esset, militem quo comprehenderat loco, denuò in pedes sistit.

Acosta l. c.

C.

Cur Elephas, quò magis est oneratus, eò firmiùs incedat, & murem fugiat?

Narratur hoc à nonnullis scriptoribus, eò firmiùs incedere Elephantos, quò majore onere sunt oppressi. Ratio autẽ videtur allegari posse ea, quod (cũ teste Alberto sit animal adeò robustum, ut etiam 12. in tergo viros, vel ut aliis placet, 30. cum victu, armis & instrumentis bellicis portare queat) ubi leve gestat onus, id ob corporis robur & oneris levitatem non sentiat, & idcircò etiam segnius quasi incedat, contra verò, quod suas, ubi majori aliquo est gravatus pondere, robori suo conveniente, vires omnes exerat & ingrediatur firmiùs, non secus, ac videmus viros strenuos & fortes eò magis suam exerere virtutem, quantò plures eum circumstant res adversæ. Quod verò Elephanti maximè mures fugiant, constanter asseverari legimus ab Elephantorum curatoribus. Causam autem crediderim in eo sitam esse, quod mus sit fœtidi mucidique odoris;

dum nempe in parietum foraminibus & aliis terræ cavernis delitescit, nec liberè ipsi super terram vivere licet: contra verò Elephas animal sit exquisitissimi odoris, quod nullum possit ferre fœtorem, sed maximè delectetur fragrantiâ: unde Elephas meritò, ceu animal, exquisitissimâ odorandi vi præditum, gaudensque fragrantiâ, à mure tanquam fætidissimo & mucido animali ita abhorret, ut etiam pabulum à mure tactum fastidiat. Cæterùm de emunctis Elephantorum naribus & exquisito olfactu mira scribit Ælianus. Tùm sagacissimè, ait, odorantur, tùm acerrimis sensibus existunt, tùm verò ex his partim subsequentes ordinatim eunt, atque horum primus narium sagacitate, herbam ante pedes suos positam sentiens, humanis pedibus esse transitum, evellit eam, & dat ei, qui à tergo proximus est, is rursus alteri, qui post eum stat, ac deinde per omnium quasi manus sagaciter contrectatur, quoad illum ipsum, qui extremum agmen ducit perventum fuerit, is simul ac olfecerit, barritum edens, quasi signum ad fugam dat. Nec sanè absurdum hoc potest videri ei, qui considerat naturam Elephanto promuscidem prælongam dedisse, quæ foramina habeat angusta, ita ut spiritus odoriferus diu in ipsis hæreat, nec facilè dissipetur, quemadmodum in reliquis contingit animalibus, quibus nasus brevior, & nares existunt breviores.

Keckerm. curs. phil. disp. 18. probl. 3. & 4.

CEN-

Finis Partis Primæ.

